ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ANNUS X - VOLUMEN X

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMXVIII

f

I

Annus X - Vol. X 2 Ianuarii 1918 Num. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

CONSTITUTIO APOSTOLICA

QUA PAROECIA S. CORDIS IESU PRO ANIMABUS IGNE PURGATORIO EXPIANDIS IN URBE INSTUITITUR.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolicis litteris « Cum Nobis », die xxianuarii mcmxiii datis, decessor Noster fel. rec. Pius X, vehementer probans Victoris Jouet, pientissimi sacerdotis missionarii, opera in hac urbe ad spiritualem civium utilitatem, *Prata Castelli* sub Hadriani molem incolentium, instituta, id est publicum oratorium iam a vicinia celebratum, consociationem fidelibus defunctis adiunvandis ibi constitutam, et novi eiusque amplioris templi fabricam, quam ille morte interceptus inchoatam reliquerat, ea omnia in suam curam suscepta, Missionariis a Sacro Corde Iesu provinciae italicae regenda atque administranda concredidit. Cumque in animo haberet, exstructa templo, novam ibi condere paroeciam, decrevit ut iisdem Missionariis, ad praescriptum iuris canonici de paroeciis regularium, ea committeretur. Certior autem factus dilectum filium Petrum Benedetti, ex eadem Missionariorum familia sacerdotem, tum in obitu benemeren-

tissimi viri tum postea egregie laborasse ne salutaria illius instituta quidquam detrimenti caperent, eum consociationis quam diximus templique condendi moderatorem elegit, atque etiam harum rerum omnium curam ei delegavit ita ut in eiusmodi genere obnoxius uni esset Summo Pontifici. — Nunc vero, cum templi in? honorem Sacri Cordis Iesu pro animabus igne purgatorio expiandis absoluta est aedificatio, Nos quae de consociationis, quam quidem nuper in Archisodalitatem eveximus, et novae aedis atque adiunctorum operum regimine et administratione a decessore Nostro statuta sunt, rata habentes et dilectum filium Petrum Benedetti in demandato munere confirmantes, ut animarum saluti prospiciamus, de Apostolicae potestatis plenitudine novam ibidem paroeciam erigimus, erectamque his litteris declaramus. Ei partem e paroecia S. Mariae trans pontem Aelium detractara iisque circumscriptam terminis quos Cardinalis in Urbe Vicarius Noster definiet, in territorium attribuimus: certamque pecuniae vim eidem congruos in reditus destinamus. Consociationi autem quam memoravimus, sublato pristino oratorio ubi*orta erat, principem sedem posthac in aede nova esse volumus.

> Praesentes litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam ex causa* colore et capite, etiam ex eo quod Paroeciae S. Mariae trans pontem Aelium Patroni sive ecclesiastici sive laici, vel alii quilibet in praemissis seu in eorum aliquo, ius aut interesse, quamvis ex fundatione, dotatione vel ex alio quovis titulo habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu ad ea vocati, et auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu : aliquo defectu inexcogitato et substantiali, notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse: sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio, et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, de Nostrae Apostolicae Potestatis plenitudine editas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros

effectus sortiri et obtinere, atque in omnibus inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae reguHis, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus et quarumcumque Ecclesiarum etiam Patriarchalium seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam Motu proprio aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, de illis eorumque totis tenoribus praesentibus pro expressis habentes, pari Motu, scientia et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, plenissime et latissime specialiter - derogar mus. Praesentium vero transumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen notarii apostolici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in iudicio et extra haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis et dismembrationis, derogationis Indulti, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Eius Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo decimoséptimo, die x mensis decembris, Pontificatus Nostri anno quarto.

V. CARD. VANNUTELLI
Datarius.

O. CARD. DE AZEVEDO
S. R. E. Cancellarius.

Loco Plumbi

VISA
M. RIGGL C. A., *Not*

Reg. in Can. Ap., vol. XVI, n. 9.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ECCLESIA PAROECIALIS B. M. V. DE MERCEDE IN URBE BONAERENSI TITULO AC PRIVILEGIO BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacras conspicuas Aedes, quae prae ceteris sive divini cultus splendore, sive artis operibus excellant, honoribus privilegiisque libentes exórnamus, quibus augustiores factae, fidelium augeant venerationem ac pietatem. Huiusmodi templum, Deiparae Virgini a Mercede consecratum, in civitate Bonaerensi existit, quod cum secundum dignitatis locum post cathedralem ecclesiam facile obtineat, cumque par sit vetustae eiusdem cathedralis paroeciae, vulgo « Paroquia de la Cathedral al Norte » nuncupari solet. Complura atque eximia huius paroeciae, antiquitate non minus quam architectura praestatis, sunt memoriae et monumenta; nam praeterquam quod ibi gloriosa vexilla, seu tropaea, Argentinae Ditionis in libertatem vindicatae religiose asservantur, quae Belgrano, supremus exercituum dux, ei dono anno MDCCCXII dedit, marmoribus quoque ac Sanctorum imaginibus, affabre pictis, eius altaria commendantur, idemque templum coloratis vitris splendide nitet. Quae super omnia eminent tum nonnullae Coelitum ibidem extantes reliquiae, tum privilegia et indulgentiae ipsi sacrae Aedi concessa, *Xum* etiam eius dives supellex, atque imprimis cleri studium et labor, quibus cultus decori prospicit et christiani populi religionem provehit ac fovet. Cum igitur Venerabilis Frater Marianus Antonius Espinosa, archiepiscopus Bonaërensis, occasionem nactus magnae sollemnitatis, qua die secundo augusti adventantis anni mirabilis recoletur eventus, quo Beatissima Coelorum Regina septem ante saecula sese Barcinone conspiciendam obtulit, enixe a Nobis petierit ut, suis et cleri populique votis benigne exceptis, praeclaram, quam supra memoravimus, paroeciam Pontificiae benevolentiae significatione cohonestare dignaremur; Nos piis huiusmodi optatis propensa quidem voluntate obsecundamus. Quare, praesentium tenore, apostolica auctoritate Nostra, ac de consilio etiam W. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praepositorum, parochialem ecclesiam civitatis Bonaërensis in honorem B. Mariae Virginis de Mercede erectam, Basilicae minoris titulo

ac dignitate perpetuum in modum augemus, illique omnia et singula * conferimns iura, privilegia, praerogativas, honores, indulta, quae minoribus almae huius Urbis Nostrae Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper extare et permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant plenissime suffragari: sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si quidquam secus, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MGMXVII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

NOVUS VICARIATUS APOSTOLICUS « DE BENI » NUNCUPANDUS ERIGITUR

BENEDICTUS PP. XV

Ad futuram rei memoriam. — Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi Apostolatus officium, quo in terris licet immeriti divinitus fungimur. Iamvero cum in regione « Beni » catholica in praesens res adeo sit valida, ut proprio Vicario apostolico committenda videatur; Nos, inspecto gravi Internuntii apostolici suffragio, auditoque Venerabili Fratre Nostro S. R. E. Cardinali De Lai, episcopo Sabinensi, Sacrae Congregationi Consistoriali praeposito, haec, quae infra scripta sunt, decernenda existimavimus. Nimirum Motu proprio ac de certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Missionem « Beni » in Vicariatum apostolicum erigimus atque constituimus, huiusque novi Vicariatus sedem ponimus in urbe « Trinidad » cui vulgo nomen. Novi huius Vicariatus regimen Fratribus Minoribus S. Francisci Assisiensis committimus ; ac praecipimus ut ipse Vicariatus, « de Beni » nominandus, praeter pristinae Missionis territorium, comprehendat quoque regiones « Colonias », « Caupolican » et << Yuracarès » appellatas. Porro haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sor-

tiri atque-obtinere, illisque ad quos spectant plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die i decembris **MCMXVII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

„ P. **GARD. GASPARRI,** *a Secretis Status**

III

SODALITAS FILIARUM MARIAE, SUB TITULO PRAESENTATIONIS, AD S. AMBROSII IN CIVITATE CUNEENSI, IN ARCHISODALITATEM ERIGITUR ET INDULGENTIIS DITATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad-perpetuam rei memoriam. — Pias fidelium Consociationes, quae antiquitate non minus quam pietatis caritatisque operibus amplissime commendentur, ad potiorem dignitatis gradum libentes evehimus, easque conspicuis privilegiis propensa voluntate cumulamus. Laeto itaque accepimus animo, in templo S. Ambrosio dicato, civitatis Cuneensis, iam inde ab anno **MDCCXLH** Sodalitatem Deiparae Virginis Filiarum, sub titulo Praesentationis eiusdem SSmae Mariae, canonice erectam fuisse, quae huc usque floruit atque uberes eximiae religionis fructus inter puellas edidit. Cum igitur devotum huiusmodi Sodalitium primum sit in ipsa dioecesi exortum, ac summam sibi laudem erga fidem et populum compara verit; preces, quas dilectus filius hodiernus eiusdem paroeciae Prior commendatarius Nobis adhibendas curavit, benigne excepimus, idemque ut maius in dies incrementum capiat, tum nobiliore titulo, tum peculiaribus gratiis in Domino complectamur. Quare auctoritate apostolica Nostra atque auditis V V. FF. NN. S; R. E. Cardinalibus Tridentini Concilii Decretis interpretandis, Consociationem Filiarum Mariae, quae s%b nomine Praesentationis Deiparae Virginis ad templum S. Ambrosii in Cuneensi civitate existit, in Archisodalitatem cum solitis privilegiis perpetuum in modum, harum Litterarum vi, erigimus atque instituimus. Quo autem potiore benevolentiae Nostrae significatione eandem Sodalitatem complectamur, Nos plenariis ac partialibus indulgentiis, quibus ipsa iam fruitur, has alias, quae sequuntur, addere consentimus. Omnibus idest ac singulis Sodalibus, quae vere poenitentes et confessae ac S. Communione refectae sollemnitatibus Paschatis Resurrectionis et Ascensionis

Domini, Pentecostes et Corporis Christi, nec non die festo SSmi Cordis Iesu, ac praeterea festivitatibus Immaculatae flonceptionis, Nativitatis et Assumptionis B. Virginis Mariae, festis Transitus et Patrocinii S. Ioseph, S. Annae, S. Ioachim, S. Agnetis, S. Ursulae et Ss. Innocentium, a meridie dierum haec festa praecedentium ad mediam eorumdem festorum noctem, ac postremo secundis cuiusque mensis Dominicis ab ortu usque ad occasum solis, praefatam parochialem ecclesiam ibique situm Sodalitatis sacellum devote quotannis visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo praedictorum die id egerint, plenariam; insuper universis ac singulis ex utroque sexu Christifidelibus, qui admissis rite expiatis ac Sacra excepta Synaxi, parochialem supradictam Aedem, Sancto Ambrosio sacram, a meridie diei Dominicam praecedentis, qua ibi festivitas Praesentationis Deiparae Virginis celebratur, vel hac ipsa Dominica usque ad mediam noctem visitaverint, atque, ut praefertur, oraverint, plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et largimur. Quoties vero Consorores vel Sacro, vel aliis divinis officiis, in memorato eorum sacello celebrandis, adstiterint, vel etiam eiusdem Sodalitatis conventibus, sive publicis sive privatis, interfuerint, septem eis annos totidemque quadragenas; quoties denique quodvis caritatis opus confecerint, eis item trecentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Archisodalitatis deinde sic erectae Officialibus et Sodalibus praesentibus ac futuris facultatem eadem apostolica auctoritate Nostra perpetuo similiter facimus, cuius vi ipsi alias quaslibet cognominis atque eiusdem Instituti Sodalitates, in dioecesi Cuneensi tantum erectas vel iii posterum erigendas, servatis tamen forma Constitutionis rec. me. Cì&mentis Pp. VIII Dec. Nostri aliisque apostolicis desuper editis ordinationibus, aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Sodalitati, nunc a Nobis in Archisodalitatem erectae, iam concessas vel deinceps concedendas, et quae aliis impertiri queant, communicare libere liciteque possint ac valeant. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant plenissime suffragari; sicque iudicandum esse ac definiendum, irritumque atque inane

fieri si secus super his a quoquam, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die **XIV** decembris **MCMXVII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI**, *a Secretis Status.*

IV

TEMPLUM VULGO «DEL CARMINE MAGGIORE» NUNCUPATUM CIVITATIS NEAPOLITANAE IN BASILICAM MINOREM ERIGITUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Tempia Dei quae tum antiqua fidelium religione, tum historicis memoriis, tum mirandis artis operibus prae ceteris eniteant, de Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum more, peculiaribus itemque honorificis titulis cohonestare satagimus, ut pietatem quoque fidelium eadem templa celebrantium singulari Nostrae voluntatis pignore rependamus. Merito inter italicas urbes, quarum civibus maxime cordi est Deiparae Virginis cultus, Neapolis recensetur. Haec enim civitas iam inde a saeculo decimo secundo prodigiis inclyta leone Virginis, titulo « la Bruna » ex eius colore, gaudet ac laetatur; quam sacram effigiem nonnulli Montis Carmeli eremitae Turcarum tyrannidem e Syria effugientes secum tulerunt et in parvula ecclesia S. Nicolai Barensis publicae venerationi primum proposuerunt. Post saeculum, scilicet anno reparatae salutis millesimo ducentésimo sexagesimo sexto, Margarita Bavariae Regina Neapolim adveniens ut Conradinum Regem domo « Hohenstaufen » ex inimicorum manibus eriperet, cum infelicem natum iam dira morte mulctatum Reperisset, pretium redemptionis miserandi pueri, ingentem nimirum pecuniae vim, Patribus Carmelitis dono dedit, ut novum templum, quasi piacularis ara, exsurgeret, praestans amplitudine molis et omnigenae artis operum ornamento. Interea sacra ipsa Aedes altero non minus insigni ac miro locupletata fuit simulacro, idest SSmi Crucifixi, cuius caput, obsessa millesimo quadringentesimo trigesimo nono post Christum natum anno civitate, ut documenta referunt, ad bellici tormenti ictum vitandum, singulari modo inclinatum est. Christiani populi devotionis studio percrebrescente, anno iubilari millesimo quingentésimo, sacra effigies Deiparae una cum altera SSmi Crucifixi per sanctam peregrinationem ad almam hanc Urbem delata, in Patriarchali Vaticana Basilica exposita mansit. Romanum iter,

instar triumphi a coaevis historicis conclamatimi, caelestibus signis illustratum fuisse dicitur, ex innumeris prodigiis quae SS. Iconum reditum comitata sunt et quae coram ipso piissimo Rege Friderico Aragonensi evenerant. Postremis his saeculis cum Reges, tum Sacrorum Antistites nec non universi ordines civium, qui in omnigenis necessitatibus atque in publicis calamitatibus praesentem eius opem experti sunt atque eadem in sacra Effigie firmissimum invenere tutamen praesidium que, certatim thesauros suos, ut templum ipsius Deiparae Virginis magnificentissime exornarent, profuderunt. Novissime prodigiosa Imago anno millesimo octingentesimo septuagesimo quinto a Capitulo Nostro Vaticano diademate aureo sollemni pompa redimita fuit. Neque in praesens" tam gravibus his nostris temporibus ardens populi studium ac pietas germana deferbuit, cum quotidie frequens fidelium multitudo cuiusque aetatis, sexus, conditionis ac dignitatis, templum idem celebret atque ad illud potissimum feria quarta cuiusque hebdomadae ingens confluat nautarum numerus, qui suam Garmeli Matrem ac Reginam intensissime venerantur, sive ut lacrymis ac gemitibus opem et auxilium Eius implorent, sive ut post navigationis pericula pia gratiarum actione laetentur. Cum, haec animo repetens, dilectus filius Ioannes Maria Lorenzoni, hodiernus vicarius prior generalis Ordinis Carmelitarum antiquae observantiae, amplissimo commendationis officio dilecti Filii Nostri Iosephi S. R. E. Presbyteri Cardinalis Prisco, ex dispensatione apostolica archiepiscopi Neapolitani, suffultas preces Nobis humiliter adhibuerit, ut neapolitanum Deiparae Carmeli templum ad Basilicae minoris dignitatem evehere dignemur; Nos, auditis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationi praepositis, haec quae infra scripta sunt edicimus atque statuimus. Nimirum apostolica Nostra auctoritate, praesentium tenore, templum B. Mariae Virginis de Carmelo, vulgo « del Carmine « Maggiore », Neapoli exsistens, Basilicae minoris titulo ac dignitate cohonestamus, illique honorificentias et privilegia omnia tribuimus quae minoribus almae huius Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri ac obtinere; illisque ad quos spectant nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die **XVIII** decembris **MGMXVII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

r

AD IOANNEM S. R. E. CARD. CSERNOCH, ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM, CETEROSQUE EPISCOPOS HUNGARIAE, QUI E COETU BUDAPESTINENSI COMMUNES LITTERAS SIBI MISERANT.

Dilecte fili noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Tanta Nos mole curarum et sollicitudinum oppressos, quantam non possemus sine praesentissima Dei ope sustinere, aliquo nuper solatio affecerunt eae litterae, quas in auspicando Budapestinensi conventu communiter ad Nos misistis. Ex iis enim plane eminebat animus vester, studii pietatisque plenus erga hanc Apostolicam Sedem, gratissimusque in Nos ob ea quae anno vertente in Ecclesiae sanctae utilitatem ipsiusque societatis humanae salutem egissemus. Atque ad Iuris Canonici Codicem quod attinet, immortale opus prudentiae instantiaeque debitum inclyti Decessoris Nostri, quem quidem promulgare felicitate quadam Nobis contigit, eum Episcopis praecipue volumus commendatum et traditum, ut vere valeat ad ecclesiasticae disciplinae ñervos roborandos : in quo vestram certe diligentiam non desiderátum sumus. Item de praedicatione divini verbi, vobis maximae curae futurum confidimus ut ea in vestris dioecesibus adducantur ad effectum quae praescripsimus. Vestram vero praesertim amplectimur luculentam significationem gratae voluntatis quod rectoribus populorum inter se dimicantium auctores nuper fuimus reconciliandae pacis; eo magis quia documentum illud paternae caritatis quod apostolici officii conscientia, quod communium aerumnarum miseratio, quod iustitiae et aequitatis ñon minus quam publicae tranquillitatis amor Nobis suaserat, a quibusdam, praeiudicatarum opinionum hominibus, indignas in suspiciones vocari vidimus. Ita, improbissimarum sectarum opera, concitatur quotidie magis adversus clerum multitudinum caeca temeritas, ut iam possimus eam Apostoli usurpare vocem: *maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus.*Verumtamen Nostras muneris partes tueri constanter, divino freti auxilio, perseverabimus. Interim ne cessemus humili prece ac supplici obsecrare Deum, ut « quam mundus dare non potest paeem » ipse tandem misericors largiatur. Auspicem

caelestium bonorum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, vestroque clero ac populo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III mensis decembris MCMXVII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD RR. PP. DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS REGNI BAVARIAE : COMMUNIBUS EORUM LITTERIS E CONVENTU FRISINGENSI DATIS RESPONDET.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Gratias vobis agimus ex animo ob commune litterarum officium, quo sub initium coetus Frisingensis summam erga nos observantiam fidemque vestram testati estis. Id enim non mediocri voluptati Nobis fuit, vel potius solatio; quo quidem videtis valde Nos in hac acerbitate temporum indigere. Nam ad cetera quibus diuturnitas luctuosissimi belli animum Nostrum angit ac sollicitat, accedit ut Nostra illa ad revocandam pacem hortatio, quae quidem non aliunde quam e sincero boni publici studio profecta erat, non modo eum habuerit exitum quem minime omnium sperabamus, sed etiam a nefariis hominibus detorta sit contra Nos in materiem popularis odii, cum documentum esset Nostrae caritatis. Qua in re non tam illatam Nobis iniuriam querimur - siquidem parati semper esse debemus pro nomine Iesu contumeliam pati - quam tot animarum iacturam dolemus. Verum, Iesu Christi auxilio confisi, qui numquam defuturos est Ecclesiae suae, tantorumque maiorum ab eo finem implorantes, dare in primis operam ut in Ecclesiae sinu magis ac magis sanctitas morum ac disciplina vigeat, summa Nos contentione pergamus. Huc pertinet vel Iuris Canonici proxime promulgatus Codex, vel de praedicatione divini verbi Encyclica Epistola. Utrumque ut fructuosum eveniat, maxime Episcoporum erit, Deo adiuvante, efficere. In quo vos sane, quorum exploratam habemus, pastoralem curam, quique tanta grati animi significatione Nos ob eadem acta prosecuti estis, nemini cessuros arbitramur. Auspicem divinorum munerum, quae vobis patrocinio Magnae Dei Matris, cuius in tutela Bavaria est, precamur uberrima, et simul paternae benevolentiae Nostrae testem, apostolicam bene-

dictionem vobis, venerabiles fratres, vestroque clero atque populo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v mensis decembris **MCMXVII,** Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD ANDREAM CARD. FERRARI, ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM, PONTIFICII LYGAEI IURI CANONICO TRADENDO MAGNUM CANCELLARIUM, ET AD EIUSDEM LYCAEI PRAESIDEM AC DOCTORES, DE OFFICIOSISSIMIS COMMUNIBUS LITTERIS GRATIAS PERSOLVENS.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — In consilium convenire ubi primum, de more, vobis licuit, datis ad Nos communibus litteris, gratulati Nobis estis de promulgato non ita pridem Codice, uti de re quae magna Ecclesiae portendit, studiumque vestrum atque operam ad hoc polliciti estis, ut quae in novo Codice tradita ac praecepta sunt, fidelium animos pervadant penitus vitaequae actionem in omnes suas partes moderentur. Laetamur utrumque: optimum de absoluto a Nobis opere iudicium, et dignum vocatione sancta vestra propositum. Alterum enim commendat non vulgaris doctrinae vestrae laus: optabile efficit alterum quaesitarum utilitatum spes haud sane exigua. Quum enim, ut scitis, labia sacerdotis custodiant scientiam et legem requirant populi ex ore eius, quis est qui non videat quantum ii, qui sacrorum doctrina canonum imbuendis clericis dant operam, possint ad hoc, ut/ populi iidem Ecclesiae legum non notitiam solum assequantur, sed vim teneant et ea perspecta habeant doctrinae momenta, quibus voluntas moveri potest et ad oboedientiam fiecti? Susceptum igitur vobis propositum ad usum adiungite, nulla, cum tempus aderit, interposita mora. Nos, ex animo vobis gratulati, Deum exorabimus, bonorum consiliorum adiutorem, ut labores vestros faciat in omni opere bono fructificare.

Caelestium interim auspicem adiumentorum testemque benevolentiae Nostrae, vobis omnibus, tibique in primis, dilecte filii Noster, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx decembris **MCMXVII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECLARATIO

SUPER DECRETO DE CHORÉIS

Cuidam Ordinario in Foederatis Americae Statibus roganti « utrum choreae, de quibus agit decretum S. Congregationis Consistorialis diei 31 martii 1916 quasque eadem S. Congregatio proscripsit, licitae aliquando sint, seu in reprobatione non comprehendantur, si fiant diurnis horis, aut primis tantum noctis horis, nec nimium protrahantur, vel etiam si fiant sine conviviis aut ea methodo quae vulgo appellari solet *Picnic »:* Sacra Congregatio Consistorialis, re considerata, respondendum censuit: *In reprobatione comprehendi;* ideoque clericos omnes prohiberi quominus eas, etiam in memoratis adiunctis, promoveant et foveant, et si ab aliis promoveantur, prohiberi quominus ipsi intersint.

Sanctissimus autem Dominus in audientia diei 30 novembris huius anni resolutionem confirmavit, et edi iussit pro norma omnium ad quos spectat.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 10 decembris 1917.

)$(C. **CARD. DE LAJ**, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

MONITUM

Quum sacerdos *Carolus Tacchini,* e dioecesi Láuretana, modo degens in civitate Menphis Tenn. in Foederatis Americae Statibus, quaerite! Missarum stipes et oblationes qua director cuiusdam Societatis internationalis pro Lauretano sanctuario, sciant omnes, nulla ipsum facultate

ad hoc praeditum esse, nihil de legitima memoratae Societatis erectione, nihil quoque de collectarum eleemosynarum erogatione in finem ab oblatoribus praescriptum sive apud S. Sedem sive apud Lauretanum Episcopum constare. Caveant itaque fideles ne decipiantur.

III

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis. Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

30 novembris 1917. — Titulari episcopali ecclesiae Berisensi praefecit R. P. D. Raymundum De La Porte, hactenus episcopum Cenomanensem.

7 decembris. — Cathedrali ecclesiae Fernensi in Hibernia, R. D. Guilelmum Codd, parochum loci Blackwater eiusdem dioecesis.

22 decembris. — Cathedrali ecclesiae Caputaquensi et Vallensi R. D. Franciscum Cammárota, vicarium generalem dioecesis Aeserniensis et Venafranae.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DIOECESIS *T.*

INCARDINATIONIS

Die 27 ianuarii 1917

SPECIES FACTI. - Sacerdos quidam, vota solemnia professus in Ordine S M., ad onera vitae regularis diutius perferenda impar quum evasisset, Episcopo benevolo receptore Ordinario *N.* invento, impetravit, an. 1904 exeunte, a S. Congregatione super Disciplina Regulari indultum quod dicitur saecularizationis perpetuae ac, dimisso habitu Ordinis, in dioecesim benevoli sui receptoris transivit. Quum autem postmodum finitimae dioecesis *T.* Ordinarius, eidem sacerdoti paroeciam quamdam vacantem conferre voluisset, litteras formales excardinationis sub an. 1908 praefatus sacerdos a suo benevolo receptore obtinuit, quibus receptis,

ab Ordinario *T.* Apostolicae Datariae commendatus, adeptus est bullas collationis praefati beneficii paroecialis, cuius subinde possessionem cepit. Res tamen haud e votis cessit; sed immo quintum post annum, instituto processu administrativo ad normam decreti *Maxima cura,* sacerdos ipse a paroecia regenda amoveri debuit; et quum ille parere decreto amotionis renuisset, suspensionis vinculo ad Ordinario *T.* est innodatus, donec, non modo paroeciam sed et dioecesim desereret. Etenim idem Ordinarius *T.*, obtendens numquam editum fuisse formale decretum incardinationis praefati sacerdotis, neque ab eo exactum iuramentum pro domicilio acquirendo, quamvis Ordinarius *N.* dedisset excardinatorias litteras, asserebat, ad normam decreti *A primis,* S. H. C. d. 20 iul. 1898, excardinationem illam nullos effectus exseruisse, ac propterea iniungebat ut sacerdos ille quamprimum dioecesim T. relinqueret, quod et animarum bonum exigere testabatur.

Adversus haec sacerdos a paroecia remotus recursum interposuit ad S. H. C, in qua, post confirmatum, aliqua pensione favore amoti parochi constituta, decretum remotionis, demum disceptandum propositum fuit dubium:

An constet de legitima incardinatione sacerdotis N. N. *dioecesi* T., *in casu.*

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - *Quae favore recurrentis deducta sunt.* - Vel prima fronte deprehendi, autumat recurrens, incivilem esse quaestionem promotam, iuxta vulgare adagium, *turpius eiicitur quam non admittitur hospes.* Nam, quod voluntas utriusque Episcopi, excardinantis et incardinantis, non solum tacita, sed et expressa intercesserit in dubium revocari non potest, dum pacifica tituli possessio ex parte sacerdotis, saltem per quinquennium, abunde eos sanasset defectus, qui in actu absolvendo, bona fide, committi potuerunt. Imo cum idem sacerdos fuerit a possessione paroeciae remotus, inhumanum profecto sapit, quod *afflicto afflictio addenda sit,* per expunctionem nempe, praeterquam a paroecia, ab ipsa dioecesi. *

Sed; hisce omissis, quum praecipuum, immo unicum argumentum quo legitima incardinatio deesse in casu contenditur, derivetur a neglecta duplici solemnitate in decreto *A primis* praescripta, nempe ex defectu documenti scripti, quo incardinatio fieri debuisset, ac iuramenti quod ab incardinando emittendum erat, recurrens negat has ipsas causas in facto iureve consistere.

Quod enim scriptum documentum attinet, in primis animadvertit, laudato decreto id tantum contineri, videlicet «incardinationem faciem-

« dam esse ab Episcopo non oretenus, sed scriptis » ; et cum forma scripturae et aliae solemnitates non sint praeceptae, sufficere videtur quod de incardinatione constet ex aliquo scripto documento, unde probatio indubia sequutae adscriptionis in clerum desumi possit. At in casu talia documenta non desunt; prostant enim non modo litterae Ordinarii *T.* ad Ordinarium *N.* datae ut excardinationis testimonium sacerdoti de quo agitur ad effectum illum cooptandi clero dioecesis *T.* concederet, sed etiam petitio Ordinarii *T.* ab Apostolica Dataria postulantis «ut « praedictum beneficium conferre eidem sacerdoti dignetur, qui, obtenta « a suo Episcopo excardinatione, *ad Nostram est incardinatus;* quin immo « in ipsa bulla Apostolica collationis, paroecia conferri dicitur sacerdoti « dioecesi *T. rite incardinato* ». Ex his igitur scriptis documentis pienissima ac iuridica probatio desumitur de facta incardinatione, immo de die et de modo *(rite)* quo peracta est: unde etiam liquet praesumptione iuris et de praestito *iuramento* constare. Ceterum, iuramentum quod attinet, satis videtur erui posse ex tenore ipsius decreti *A primis,* praesertim ex § 4, atque ex analogia cum celebri Const. *Speculatores,* Innocentii XII, illud requiri potius ut clericus Episcopum ordinationis sortiri possit, a quo nempe sacros ordines nondum initiatus suscipere possit, quam ad validam sacerdotis adscriptionem in clerum.

Praeterea animadvertitur in casu, defectum, si quis concedi debeat, scripti documenti incardinationis aut iuramenti, abunde supplere collationem beneficii paroecialis recurrenti sacerdoti factam; etenim per huiusmodi collationem haberi *implicitam* incardinationem communis sententia est, quam ita ex multis colligit B. Oietti, *Synopsis rerum moralium et canonicarum,* tom. II, sub voce *incardinatio:* « Nota incardina- « tionem aliquando etiam implicite fieri, cum scilicet clerico confertur « beneficium in dioecesi non sua, quod ipse acceptat, et ad dioecesim « in qua situm est beneficium transit, venia accepta a priore Episcopo «suo. Cfr. causam *Viterbien.,* apud S. C. EE. et RR. 14 iul, 1905 », ex qua etiam Card. Gennari (ap. *Mon. Eccl,* XVII, 435) haec deducit: « Chi « riceve un beneficio in qualche aliena diocesi, per ciò stesso rimane « implicitamente incardinato alla diocesi. Il beneficio è infatti perpetuo, « e la collazione di esso è paragonata quasi a un mistico connubio con « la chiesa del beneficio ».

Sed dato etiam et non concesso, quod collatio beneficii parochialis haud suppleret in casu defectum scriptae incardinationis, semper tamen verum esset, sacerdotem recurrentem ad dioecesim *T.* pertinere. Agitur enim de sacerdote regulari saecularizato: atqui iuxta veriorem sententiam, quae confirmatur etiam ex praxi sacrarum Congregationum EE.

et RR. et de Religiosis, quae decretum *A primis,* numquam applicandum censuerunt regularibus, praedictum decretum non attinet clericos regulares. Ergo pro incardinatione sacerdotis recurrentis non requirebatur scriptura, uti constitutum est pro clericis saecularibus; consequenter incardinatio oralis, imo et aequipollens seu implicita, quae ante decretum *A primis* pro omnibus clericis indiscriminatim valide et licite adhibebatur, quaeque pro solis clericis saecularibus abrogata fuit, nunc pro clericis regularibus viget omnino uti prius. Dummodo igitur constet de voluntate utriusque Episcopi clericum perpetuo et absolute dimittendi, eumque item perpetuo et absolute recipiendi, incardinatio Religiosorum sive oralis sit, sive aequipollens seu implicita, uti valida omnino retinenda est (cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 39, pag. 41). Iamvero in casu, ut vidimus, non solum ex collatione beneficii parochialis, sed etiam ex litteris supra relatis, laudatis superque constat de voluntate utriusque Episcopi, sacerdotem hunc perpetuo et absolute dimittendi, eumque item in perpetuo et absolute recipiendi. Certo igitur certius praedictus sacerdos ad dioecesim *T.* pertinet.

Tandem animadvertendum quod Curia *T.,* quae iam prius suis litteris scriptis Emo Card. Pro-Datario affirmavit sacerdotem in casu fuisse rite incardinatum dioecesi *T.,* quamvis nunc hoc ipsum deneget, admittere cogitur praedictum sacerdotem non fuisse valide incardinatum *ex culpa ipsius Curiae,* quae contra apertam iuris dispositionem, decretum incardinationis non emiserit, nec iuramentum exegerit. Atqui culpa in eo est, qui contra ius egit, isque de damnis sarciendis tenetur. Aperta enim est dispositio cap. 9 *De iniuriis et damno dato* (V. 36) in quo decernitur: «Si tua culpa datum est damnum,. . . . aut haec *impe-« ritia tua sive negligentia* evenerunt: iure super his satisfacere te opor-« tet, *nec ignorantia te excusat,* si scire debuisti ex facto tuo iniuriam « verisimiliter posse contingere vel iacturam». Hinc iure meritoque: « iudex condemnabit partem quae nullitatis causa fuit, ut adversarium « indemnem reddat, seu damnum reficiat ex actu nullo alteri prove-« niens. *Et hoc praestandum est,* sive nullitas ex dolo proveniat, *sive « absque dolo habita sit* » (Ita Émus Lega, *De iudiciis eccl.,* vol. 1, ed. % n. 252-8). Merito igitur in *Regol. Giudiz. Gregoriano,* art. 410 decernebatur : « Nemo opponere potest nullitatem actus ob defectum formae, cui nulli-« tati ipse aut alii, eius nomine agentes, causam dederint». Et articulo 411 cavebatur: « In casibus nullitatis ob omissionem aut inobservantiam «praescriptae formae, poterunt iudices ordinare, actus renovandus esse « expensis procuratorum (scil. litigantium)... qui actus ponere debebant « legitime: praeterea poterunt pro rerum adiunctis, eos condemnare in

« refectionem expensarum et damnorum, aut etiam in certam mutatam ». Cum igitur Curia admittat *sua culpa* damnum datum fuisse, seu incardinationem recurrentis esse nullam ob omissas ab eadem iuris solemnitates, necessario consequitur ab ipsa damnum esse resarciendum, supplendo nempe nunc, *si opus sit,* omissas solemnitates, et conficiendo decretum incardinationis ad normam laudati decreti *A primis.*

Argumenta adversus recurrentem prolata. - Praemittit pars adversa easdem causas quae Curiam impulere ad amovendum sacerdotem recurrentem a sua paroecia, nunc urgere ne idem in dioecesi commoretur: ratio nempe scandali vitandi et salutis animarum, quae suprema lex est, et praecipue interesse debet. Has vero causas omnino contigisse absque ulla culpa Curiae, immo cum gravissimo ipsius moerore, easque sibi prorsus, non alii, sacerdotem recurrentem imputare debere. Quum igitur ipse unus in causa sit, si res in eam statum incidit a quo initium capere non potuisset, nec profecto quisquam cogitasset de hac quaestione movenda si ipse in suo officio se continuisset, hinc patet non modo nihil incivile aut inhumanum subesse si iuris rigor adhibeatur in actus valore dispiciendo a quo salus animarum periclitan potest ; sed etiam de nullo damno Curiam teneri erga sacerdotem non rite incardinatum, cuius ceteroquin erat urgere ut actus rite perficeretur aut tempestive reclamare; multo minus posse sine manifesta absurditate Curiam cogi ad eam incardinationem in praesentibus rerum adiunctis instaurandam.

At vero, de iuris rigore ad validitatem incardinationis probandam in casu requiri tum scriptum documentum incardinationis, seu ipsas litteras ineardinatorias, tum iuramenti praestiti iuridicum testimonium, quae utrumque, utpote quae numquam in rerum natura exstiterunt, exhiberi nequeunt sive a sacerdote recurrente sive ab ipsa Curia, in comperto est. Incardinatio enim in casu, non ante annum 1898 incidisset, sed immo decimo post editum decretum *A primis* ad cuius tramites igitur erat omnino perficienda: porro, conditiones eodem decreto art. 2 praescriptas, « incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, *sed in scriptis,...* praestito ad hoc iuramento » esse requisitas non ad meram *probationem,* sed *ad solemnitatem* seu ad substantiam actus, qui, absque illis positus, inferius irritusque omnino esset, exploratum in iure habemus, post decisionem S. R. R. in *Londonen.,* 9 ianuarii 1912 (A. A. S., IV, 249 ss.) et disceptata in causa *Bismarckien et aliarum,* 31 ian. 1913 (A. A. S., V, 34 ss.). Idcirco nullo modo iuvat testimonia proferre, etiamsi scripta, unde per incertam sane coniecturam *possit* argui scripturam intercessisse, utpote sunt testimonia a recur-

rente prolata, quae profecto contrariam probabilitatem non excludunt, dum ad summum testantur opinionem scribentis, sive se'referentia ad alterius assertionem, *rite* incardinationem factam fuisse; verum oportet omnino scripturam ipsam exhibere, quae sola rigorosam et indubiam probationem conficere potest. Cfr. Reiffenst, 1. II, tit. 22, n. 282 et 291: «Scriptura ipsa requiritur (ad probandum actum) et testes non suffi- « eiunt... in actibus, in quibus, iure sic disponente, requiritur scriptura « ad substantiam actus sive contractus ».

Neque hanc necessitatem satis levât asserta implicita incardinatio quae haberetur per collationem beneficii. Etenim, attenta differentia quae inter ipsos conceptus iuridicos incardinationis et collationis beneficii evidens est; attenta etiam maiore firmitate vinculi, quod dicit incardinatio, quae absolute omnino et in perpetuum dioecesi mancipat, dum collatio beneficii tantum *de se* est perpetua quum vinculum per eam inductum cum ecclesia beneficii possit dissolvi, ac de facto saepius dissolvatur : non videtur, ante *explicitam positivae legis dispositionem,* incardinatio semper iii collatione beneficii contenta. Etenim, ut clericus beneficium consequatur in aliena dioecesi, non est necessarium quod ipse suae dioecesi in perpetuum valedicat, sed sufficit *venia* proprii Episcopi: quo in casu clericus duplicem Episcopum haberet proprium, alterum incardinationis, alterum beneficii: quod constare posse clare deducitur ex Const. *Speculatores,* Innocentii XII. Neque explicita positivae legis contraria dispositio satis evincitur ex allata a citatis auctoribus decisione S. C. Episc, et Regul. in *Viterbien.* quae, ut alia omittamus, attinet ad incardinationem a. 1871 peractam, longe ante decretum *A primis, per* quod huiusmodi implicitae seu praesumptae incardinationes, ex testimonio etiam adversae partis, sublatae fuisse videntur.

Iterum non levât praedictam necessitatem conditio religiosi saecularizati; enimvero hi, post saecularizationem peractam et incardinationem dioecesi benevoli receptoris (in qua incardinatione ultro conceditur posse servari tantummodo conditiones a S. Sede in rescripto saecularizationis iniunctas, quin oporteat sequi solemnitates decreti *A primis),* omnino tamquam clerici saeculares habendi videntur, atque iisdem legibus generalibus ac dioecesanis quibus isti subiecti. Igitur dum a dioecesi benevoli receptoris ad aliam transeunt, servari profecto debent praescripta iuris: porro, in casu liquet, non agi de prima incarditione dioecesi *N.,* de qua valere potest recurrentis argumentatio, sed de excardinatione ab ea et de incardinatione ad dioecesim *T.,* quod negotium profecto cadit sub imperium decreti *A primis.*

Hucusque contrariae partium deductiones.

Ex officio etiam nonnulla animadvertebantur. In primis attendendum esse in casu, agi non de sacerdote saeculari, sed de religioso solemniter professo et ad saeculum reducto in vim rescripti Apostolici. Porro religiosi quum impetrant perpetuae saecularizationis decretum, sub immediatam S. Sedis iurisdictionem facto et iure descendunt ; ipsi enim per solemnem professionem, *originalitatem,* seu Episcopum *originis* amittunt, nec iure quodam *postliminii,* quando ab obedientia proprii praelati regularis sunt liberati, illam iterum acquirunt. In hac iuris conditione, prout religiosi non valent, communibus legis praesidiis, sibi Episcopum constituere, cui subsint tanquam *proprio* praelato, a pari Episcopi non possunt (salva precaria iurisdictione, ratione commorationis in loco), religiosos in saeculo degentes suos subditos constituere; sed praevia designatione Episcopi *benevoli receptoris,* S. Sedes indulget, ut religiosus in saeculo maneat sub dependentia illius *determinati* episcopi, cui perpetuo mancipatus manere debet. At haec peculiaris subiectio non videtur posse licite et valide infringi, vel in alium refundi, sola Episcopi et subditi voluntate, sed opus est interveniat S. Sedis auctoritas, quae prout necessaria fuit pro subiciendo viro religioso iurisdictioni *designati* Episcopi, iterum intercedat oportet ad eumdem religiosum subducendum ab illius iurisdictione, et alteri subiciendum. *Omnis* enim *res, per quascumque causas colligitur, per easdem dissolvitur (Reg.* 1 iuris in VI°).

Fortius urgere videtur argumentum si perpendatur religiosum ope indulti saecularizationis, non *radicaliter,* sed *accidentaliter* subtrahi ab obedientia Superioris regularis; nam vota *quoad substantiam* integra manent, et rescriptum facultatem tantummodo indulget manendi extra claustra, cum clausula « ita tamen, ut *substantialia votorum,* quatenus fieri poterit, *observet* ». Hinc fit quod integra manente substantia voti obedientiae, religiosus saecularizatus subditur Episcopo benevolo recepturi « in vim quoque solemnis obedientiae voti » prout edicitur in rescripto; quae, cum episcopo loci non debeatur iure ordinario, sed iure delegato (quia religiosus saecularizatus immediate S. Sedis iurisdictioni subditur), non videtur posse in alium episcopum refundi, iniussu S. Sedis.

RESOLUTIO. - Porro in generali conventu S. G. Concilii in Palatio Apostolico Vaticano habito die 27 ianuarii 1917, ad suprascriptum dubium nimirum:

An constet de legitima incardinatione sacerdotis N. N. *in dioecesi* T., *in casu.*

Emi ac Rmi Patres respondendum censuerunt:

Ad mentem. Mens est. « Sacerdotem *N. N.* utpote regularem perpetuo saecularizatum, adhuc manere sub iurisdictione Episcopi benevoli receptoris; attamen Ordinarius *T.*, eidem conservet assignatam pensionem; *facto verbo cum SSmo ».*

Facta autem de praemissis SSmo Dno Nostro Benedicto Div. Prov. Papae XV relatione per infrascriptum S. Congregationis Secretarium, in Audientia diei 28 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbare et Confirmare dignata est.

I. **MORI,** *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

FERENTINA

DUBIA

Dominicus Bianconi, episcopus Ferentinus, sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expostulavit nimirum:

I. Episcopo in solemni benedictione cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, loco Diaconi et Subdiaconi, possuntne ministrare duo diaconi dalmaticis induti ac Presbyter cum pluviali, iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap, 33, n. 8, Decretum S. R. C. n. 3728 *Montis Regalis* die 10 maii 1890 ad III et alterum *de caeremoniis quibusdam servandis coram SSmo Sacramento, adsistente vel celebrante Episcopo,* diei 8 februarii 1913 ad II, etiamsi praedicta benedictio solemnis non detur immediate post processionem cum eodem augustissimo Sacramento aut post Vesperas pontificales?

IL Si Episcopo in eadem functione ministrent Diaconus et Subdiaconus de more induti, ad mentem Decretorum S. R. C. possuntne ei assistere etiam duo Diaconi cum dalmaticis atque Presbyter cum pluviali, quamvis eadem benedictio cum Sanctissimo Sacramento Missam pontificalem immediate non sequatur?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad 1. *Affirmative* si adsit consuetudo, servato Decreto n. 4080 die 9 iunii 1899 pro adhibenda stola subtus dalmaticam a Diacono digniore.

Ad Ii. *Negative.*

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 23 novembris 1917.

ffa A. **CARD. VICO**, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
& R. G. Pro-Praefectus.

Alexander Verde, *Secretarius,*

Ii

DECRETUM

URBIS **ET** ORBIS

*

DE ELEVATIONE RITUS AD DUPLICEM I CLASSIS DIE 19 MARTII, S. IOSEPH SPONSI B. MARIAE V1RG. CONF., ET DIE 29 SEPTEMBRIS, IN DEDICATIONE S. MICHAELIS ARCH.

Quum ex Canone n. 1267 § 1, iam vigente, Codicis iuris canonici, inter dies festos de praecepto adnumeretur etiam Festum S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis, Conf., quod maxime decet nobiliori ritu decorare, quumque etiam Festum in Dedicatione S. Michaelis Archangeli, cum quo militiae caelestis principe omnes angelorum chori honorantur, eadem ritus nobilitate dignum visum fuerit, Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV supplicibus quoque votis cleri plebisque fidelis ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro^Praefecto relatis libentissime obsecundans, utrumque Festum primarium, respectiva die 19 martii et 29 septembris in universa Ecclesia recolendum, a ritu duplici secundae classis ad altiorem ritum duplicem primae classis absque octava evehere dignatus est; atque sub tali ritu duplici primae classis cum subsequentibus variationibus infrascriptis in futuras Breviarii Romani typici reproductiones inducendas esse iussit ac decrevit; servatis Rubricis:

In Kalendario.

19 martii - S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Conf., Duplex I classis.

29 septembris - Dedicatio S. Michaelis Archangeli, Duplex I classis.

In Catàlogo Festorum.

Duplicia I Classis Primaria.

Post Assumptionem B. M. V, ponatur: Dedicatio S. Michaelis Archangeli.

Post Nativitatem S. ioannis Baptistae ponatur: Festum S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg., Conf.

In Catalogo Festorum.

Duplicia II Classis.

Expungantur festa Dedicationis S. Michaelis Archangeli et S. Ioseph.

In corpore Breviarii.

Die 18 martii, in fine, rubrica Vesperarum sic ponatur: Vesperae de sequenti, Commemoratio tantum Feriae. Post titulum Festi ponatur: Duplex 1 classis.

Die 19 martii - In I Vesperis expungatur rubrica: Et fit Commemoratio praecedentis.

Die 29 septembris - Post titulum Festi ponatur: Duplex I classis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12 decembris 1917.

j$l A. **CARD. VICO**, Ep. Portuen. et S. Ruf.,

S. R. G. Pro-Praefectus.

h. * S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

SECTIO DE INDULGENTIIS

I

CONCEDUNTUR INDULGENTIAE RECITANTIBUS PIAS PRECES IN HONOREM S. PASCHALIS BAYLON, CONF.

Responsorium

« Paschalis admirabilis,
« Qui, clarior virtutibus
« Signisque fulgens plurimis,
« Superna confers munera,
« Adesto nobis, quaesumus,
« Opem tuam rogantibus:
« Et, quae timemus, amove ;
« Quae postulamus, adiice.
« Mensae paratae caelitus
« Fac rite nos assidere,
« Ut robur et viaticum
« Possimus inde sumere.
« Adesto nobis, etc.
« Gloria Patri, et Filio,
« Et Spiritui Sancto.
« Adesto nobis, etc.

« ℣. Ora pro nobis, beate Paschalis.
« **℟**. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

« OREMUS

« Deus, qui beatum Paschalem, Confessorem tuum, mirifica erga « Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria dilectione decorasti : concede « propitius ; ut, quam ille ex hoc divino convivio spiritus percepit pin- « guedinem, eamdem et nos percipere mereamur. Qui vivis et regnas « in saecula saeculorum.

« **℟**. Amen ».

Die 3 augusti 1917

Ssmus D. N. D. Benedictus div. Prov. Pp. XV, in audientia infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, benigne concedere dignatus est indulgentiam trecentorum dierum, semel in die lucrandam, omnibus et singulis Christifidelibus, qui, corde saltem contrito, supra relatum Responsorium cum versículo et oratione recitaverint; iis vero, qui easdem preces per integrum mensem persolverint, plenariam indulgentiam, semel tantum lucrandam, si, confessi ac S. Communione refecti, ad mentem Summi Pontificis pie oraverint, clementer elargitus est; quas indulgentias etiam animabus in purgatorio igne degentibus applicari posse declaravit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

GULIELMUS M. **CARD. VAN ROSSUM,** *Poenit. Maior.*

L. E0 S.

F. Borgongini-Duca, *Secretarius.*

II

ACTUS QUIDAM ADORATIONIS ERGA DOMINUM IESUM CHRISTUM INDULGENTIIS DITATUR.

(Ex testamento S. Francisci Assisiensis)

« Adoramus te, sanctissime Domine Iesu Christe, hic et ad omnes « Ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi ; quia per « sanctam Crucem tuam redemisti mundum ».

Die 3 augusti 1917

Ssmus D. N. i). Benedictus div. Prov. Pp. XV, in audientia infra: scripto Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, benigne concedere dignatus est indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum iis omnibus christifidelibus, qui, saltem corde contrito, supra relatum adorationis actum flexis genibus elicuerint, sive ecclesiam vel publicum aut semipublicum oratorium ingredientes, sive inde exeuntes, qualibet vice; iis vero, qui, confessi ac S. Synaxi refecti, id per mensem integrum, semel saltem in die, peregerint, plenariam indulgentiam largitus est. Has porro indulgentias etiam animabus in Purgatorio degentibus applicari posse declaravit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

GULIELMUS M. **CARD. VAN ROSSUM,** *Poenit. Maior.*

i , * S.

F. Borgongini-Duca, *Secretarius.*

CONCEDITUR INDULGENTIA C DIERUM SACERDOTIBUS RECITANTIBUS QUANDAM ORATIONEM POST MISSAM.

Oratio
ad Sanctum in cuius honorem Missa celebrata est.

« Sancte *N.*, in cuius honorem incruentum Corporis et Sanguinis « Christi sacrificium obtuli, fac, tua potenti "apud Deum intercessione, « ut, usu huius mysterii, passionis et mortis eiusdem Christi Salvatoris « nostri merita consequar, ac, cum illius frequentatione, continuo cre- « scat meae salutis effectus. Amen. ».

Die 16 novembris 1917

Ssmus D. N. D. Benedictus div. Prov. Pp. XV, in audientia infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, omnibus et singulis sacerdotibus, qui, peracto Ss. Missae sacrificio, supra relatam Orationem ad Sanctum, in cuius honorem Missa celebrata est, recitaverint, indulgentiam centum dierum, animabus etiam christifidelium in gratia Dei vita functorum applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

GULIELMUS M. **CARD. VAN ROSSUM,** *Poenit. Maior.*

L.)$t S.

F. Borgongini-Duca, *Secretarius.*

IV

DECRETUM

SOLVUNTUR DUBIA CIRCA PIUM VIAE CRUCIS EXERCITIUM ET INDULGENTIAS EIDEM ADNEXAS RITE LUCRANDAS.

Postquam, die 24 iulii 1912, a Suprema Sacra Congregatione S. Officii promulgatum fuit Decretum de Indulgentiis pio Viae Crucis exercitio adnexis, nonnulla dubia oborta sunt,, quae Sacrae Poenitentiariae. Apostolicae Tribunali solvenda sunt proposita; videlicet:

I. Utrum praedictum Decretum abrogaverit etiam pias Uniones et pia Exercitia « Viae Crucis Perpetuae » et « Viae Crucis Viventis », cum. indulgentiis quae eisdem respective sunt adnexae?

II. Utrum abrogatio coronarum, quas vocant Viae Crucis, et cuiusvis concessionis, quae eas respiciat, se extendat etiam ad illas Viae Crucis coronas, quae ante abnegationis Decretum fuerant legitime benedictae, indulgentiis ditatae et fidelibus iam distributae?

III. An per idem Decretum censendus sit abolitus usus crueium vel crucifixorum, quibus per facultates speciales, cuicumque tributas, adnexae fuerant indulgentiae Viae Crucis, lucrandae ab iis etiam qui nullo detinentur impedimento ab exercitio rite obeundo; et an huiusmodi cruces et crucifixi, qui fuerint iam benedicti et distributi, in posterum pro lucrandis indulgentiis valeant tantum in casu legitimi impedimenti?

IV. Utrum in usu crucifixorum cum adnexis indulgentiis Viae Crucis rite benedictorum, ad indulgentias lucrandas, requiratur Passionis Dominicae meditatio, vel saltem pia eiusdem recordatio; an sola sufficiat statutarum precum recitatio, viginti nempe *Pater* cum totidem *Ave, Maria,* et *Gloria ?*

V. An laudato Decreto abrogata fuerint etiam Indulta, quibus confessariis aliisve concessa est facultas impeditis commutandi preces iniunctas in alia pia opera?

Vi. An eodem Decreto abolitae sint etiam illae concessiones, quibus permittitur, in stationibus singulis rite visitandis, ut multitudo populi fidelis in suo loco consistat, ibique pro qualibet statione assurgat tantum et genuflectat?

Et Sacra Poenitentiaria respondendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative* ad utramque partem.

Ad IV. *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

Ad V. *Negative,* dummodo usus crucifixi benedicti non omittatur,, et aliqua saltem addatur pia Passionis Dominicae memoria.

Ad VI. *Negative,* si agatur de publico exercitio in ecclesia, quod a multitudine fidelium in communi peragatur.

Quae responsa, in audientia diei 7 decembris vertentis anni ab infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori relata,' SSmus D. N. Benedictus div. Prov. Pp. XV adprobare rataque habere, contrariis quibuscumque non obstantibus, dignatus est, ac publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 14 decembris 1917.

GULIELMUS M. CARD. VAN ROSSUM, *Poen. Maior.*

h. $ S.

. . . . F. Borgongini-Duca, *S. P. Secretarius^*

' SAGRA ROMANA ROTA

PORTUEN. ET SANCTAE RUFINAE

INCIDENTIS

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die 7 maii anni 1917, RR. PP. DD. Seraphinus Many, Ponens, *Ioannes Prior et Aloisius Sincero, Auditores de Turno, in causa* Portuen. et Sanctae Rufinae - iuris administrandi, *inter Rmum* Capitulum ecclesiae Collegiatae loci Castemuovo di Porto, *repraesentatum per legitimum procuratorem Henricum Benvignati, advocatum, et Reve- „ rendissimum* Torelium Bartoccini, *archipresbyterum, qui propria iura per se defendit, hanc sententiam interlocutoriam tulerunt.*

Die 3 augusti anni 1912, S. Congregatio Concilii sententiam tulit, qua iussit ut inter canonicos Collegiatae loci Castelnuovo di Porto et Archipresbyterum redintegraretur massa communis, quae, occasione exsecutionis legum italicarum circa assis ecclesiastici confiscationem et conversionem, dissoluta fuerat; addebat S. Congregatio, ad normam decreti *Ad dirimendas,* diei 22 februarii 1876, annuam portionem, archipresbytero postea ex nova massa communi solvendam, non minorem esse debere ea quantitate quam ante bonorum direptioaem pércipiebat. Exsecutio huius sententiae multis difficultatibus et controversiis inter Capitulum et archipresbyterum locum dedit; quae cum non potuissent pacifice componi, Emus Secretarius Congregationis Consistorialis, relatione facta ad S. Pontificem, iussit, datis litteris die 20 decembris anni 1914, ut controversia servato iuris ordine resolveretur, id est, ab Emo Ordinario Portuensi in prima instantia definiretur, reservato appellationis iure secundum regulas iuris communis. Itaque, die 10 decembris anni 1915, Illmus D. Calogerus Licata, iudex ab Emo Ordinario Portuensi delegatus, sententiam tulit, qua decrevit:

i. Ut Capitulum et archipresbyter ad redintegrationem massae communis procederent, collatis in commune omnibus reditibus ecclesiae Collegiatae; ut e summa inde connata detraheretur primum favore archipresbyteri summa libellarum 2772,12, quam ante bonorum direptionem percipiebat; ut reliqua pars divideretur inter quatuor canonicatus, ita

ut unusquisque summam libellarum 1386,06 reciperet; et tandem, si adhuc esset reliquum, ut iterum inter archipresbyterum et quatuor canonicatus, ad normam Constitutionum, divideretur;

2. Ut camerarius Capituli, scilicet canonicus Pacini, reditus duorum canonicatuum vacantium (tunc enim erant duo canonicatus vacantes) Curiae traderet, et archipresbytero reditus canonicatus dicti « Antonelli », et capellaniae dictae « de Angelis » restitueret.

3. Ut archipresbyter quartam partem integrae suae portionis parochialis Curiae traderet pro « sacrista » et sacrario;

4. Demum ut 'administratio bonorum esset penes archipresbyterum pro quota parochiali a fisco relicta, et penes camerarium pro ceteris Collegiatae bonis, salva pro utroque annua rationum redditione.

Contra hanc sententiam, qua se gravatos exsistimabant, canonici, die 24 decembris 1915, ad S. Rotam appellarunt. Cum autem per totum annum 1916 nullum actum iuridicum fecissent ad prosequendam appellationem, archipresbyter apud Ponentem institit, ut appellatio, ad normam iuris communis, deserta declararetur. Quod revera fecit Ponens, decreto suo diei 5 februarii 1917 quo declaravit dictam appellationem esse desertam, et ideo sententiam a Rmo Calogero Licata, die 10 decembris 1915 latam, transisse in rem iudicatam.

Verum contra hoc Ponentis decretum ad Turnum appellarunt canonici, allegantes sibi iusta impedimenta fuisse, ne anno 1916 appellationem prosequerentur. Quam appellationem Ponens, die 7 martii, admisit, per Memoriale tractandam, sub hoc dubio: *An sustineatur decretum de appellatione deserta, diei 5 februarii 19.17.*

Quod ad ius spectat. - De terminis seu fatalibus ad prosequendam appellationem agitur in cap. *Cum sit Romana,* 5, *De appellationibus,* et in Clementina *Sicut appellationem,* 3, eod. tit. Ex quibus iuribus doctores concludunt appellantibus dari unum annum ad prosequendam appellationem, et, si iusto impedimento fuerint detenti, biennium; hunc autem terminum unius anni aut biennii decurrere a die interpositae appellationis. Cf. Scaccia, *De appellationibus,* q. 15, n. 27-28; Reiffenstuel, in tit. *De appellationibus,* n. 169-183; Schmalzgrueber, in eumdem titulum n. 79-85, etc. Quod attinet ad impedimentum prosequendi appellationem, contingere solet sex modis, quos exponunt praefati doctores, praesertim Scaccia, loco cit., n. 44 seq. Provenire enim potest ex parte ipsius appellantis, v. g., inopia, infirmitas; vel ex parte appellati, qui dolose obstet ne appellatio ad exitum perducatur; vel ex parte utriusque, scilicet appellantis et appellati, qui communi consensu, ad normam Const. Clemen-

tinae *Quamdiu,* 4, *De appellationibus,* de differenda appellatione conveniant; provenire etiam potest ex parte iudicis, qui, v. g., nolit apostolos concedere, vel ex parte tertii, v. g., procuratoris, qui negligentia sua causa sit cur appellationis prosecutio differatur, vel tandem ex casu fortuito. Singula haec impedimenta exponit Scaccia, loco cit., ad inquirendum utrum et quatenus concessioni biennii locum dare possint. Cum autem haec impedimenta sint facta, non praesumuntur, sed oportet ut probentur a parte quae ea allegat. De quo haec ait Schmalzgrueber, loco cit., n. 84: « Cum huiusmodi impedimentum in facto consistat, et ex veritate facti « dependeat, non debet praesumi, sed omnino, plene, et evidentibus « argumentis ab appellante probari, prout colligitur ex cap. *Ex ratione,* « 8, hoc tit. ibi: *Dummodo constiterit,* et clare traditur cap. *Cum sit,* 5, « hoc tit. ». Revera, in hoc capite, *Cum sit Romana,* aperte dicitur non concedi alterum annum nisi *ex necessaria et evidenti causa.* Unde etiam concludunt citati doctores, Scaccia, Reiffenstuel, et Schmalzgrueber, non sufficere ut probetur impedimentum, sed appellantem probare debere se adhibuisse diligentiam ad removendum impedimentum. Sic ait Schmalzgrueber, n. 85: «Non sufficit solum probare impedimentum, « sed insuper requiritur, ut appellans probet quod diligentiam adlii- « buerit ad impedimentum amovendum et appellationem prosequendam, « quia tum demum dicitur ex iuxta et necessaria causa impeditus, quando « post adhibitam diligentiam manet impedimentum; alioquin, qui facile « potest tollere impedimentum, et non tollit, non dicitur impeditus, sed «s potius volens pati », Similia habent Scaccia, loco cit., n. 156 seq.; Reiffenstuel, loco cit., n. 177, et alii. Notandum est, ex citata Clementina *Sicut appellationem,* appellantem debere, intra dictum terminum unius anni, non tantum prosequi, sed et *finire* appellationem. Quod attinet ad hanc partem, de *finienda* appellatione, terminus unius anni non observatur nec observari potest in magnis tribunalibus, neque in S. Rota; haec enim tribunalia adeo sunt causis et negotiis obruta, ut intra annum appellationes non possint unquam finire; et hoc impedimentum, ex parte iudicis *ad quem,* appellanti non imputatur nec nocet. Unde, in his tribunalibus, terminus ille unius anni non observatur nisi quoad priorem partem, quae ad ipsum appellantem spectat, scilicet de *prosequenda* appellatione; imo, quoad* hanc partem, S. Rota, quod attinet ad appellationes contra suas sententias, terminum restrinxit ad sex menses, uti patet ex § 236 *Regularem S. Rotae,* n. 3. Unde manifestum est intentionem S. Rotae esse, ut, in quibusvis appellationibus, appellans quamprimum expediat, quantum in se est, appellationis instantiam, ne ex hoc capite huius prosecutio retardetur.

Quod ad factum attinet. - In facto constat, canonicos qui, ut dictum est, a sententia primae instantiae appellarunt die 24 decembris 1915, per totum annum 1916 nihil prorsus fecisse ad prosequendam appellationem; non enim constituerunt procuratorem apud S. Rotam, nec instantiam exhibuerunt ad petendam citationem partis adversae, nec ullam dilationem postularunt. Procurator canonicorum, in praesenti causa incidentali, allegat tria impedimenta, quae obstiterunt ne canonici appellationem prosequerentur: quae sunt seorsim expendenda.

Primum impedimentum stat ex facto utriusque partis litigantis,, scilicet ex tentata transactione, iuxta consilium Curiae; quod sic exponit Procurator: « In primis sane causa in tractatibus inest, Curiae consilio « initis, pro re amicabiliter componenda: quae cum penderent, quisque « videt canonicos de lite prosequenda ne cogitare quidem potuisse, quin « erga Superiorem reverentiam, eiusque consilium nihili fecissent ».Verum, quod attinet ad tentamina concordiae, ius non recognoscit, uti impedimentum legitimum, nisi compromissum, quo nimirum utraque pars, communi consensu, arbitris committit, ut controversiam componant; quod expresse sancitum est in capite *Quamdiu,* 4, *De appellationibus,* in Clementinis, in quo sic legimus: « Quandiu appellationis prosecutio « per compromissum, vel alias de partium expresso consensu, differtur, « tempus ad prosequendam eamdem, ab homine vel a iure praefixum, « currere nolumus appellanti ». Quod auctores adeo stricte interpretantur, ut, ad legitimitatem impedimenti, requirant, non solum compromissum fuisse ab utraque parte contractum, sed etiam ab ipsis arbitris acceptatum; ita Scaccia, loco cit., n. 113. Revera, si, ad legitimitatem impedimenti, sufficeret ut una pars, extra compromissum, traetaret apud Curiam, aut aliter, aliquam controversiae compositionem, concordia in infinitum posset protrahi, et sic appellatio sine fine suspensa maneret. Porro, in specie, nunquam fuit inter partes communi consensu factum compromissum de committenda arbitris, aut Curiae, quatenus arbitro, controversiae compositionem; sed modo una,modo altera pars, apud Curiam agebat, ut hanc concordiam proponeret; sic, die 21 septembris anni 1916, Rmus archipresbyter Bartoccini Curiae aliquod concordiae schema tradidit, pro privata Curiae informatione: quod schema in archivio Curiae per totum annum 1616 remansit. Aliquando etiam ipsa Curia uni vel alteri parti quasdam concordiae propositiones fecit. Sed, in actis, veri et legitimi compromissi vestigium nullum exstat. In citata Clementina *Quamdiu,* statutum est etiam, ut, si ambae partes litigantes alio modo (praeter compromissum) conveniant, expresso consensu, de differenda appellationis prosecutione, tempus ad hoc praefixum non currat litigan-

tibus. Verum, ex actis, nullo modo constat canonicos et archipresbyterum, in primo anno, qui ab interposita appellatione decurrit, inter se unquam expresse consensisse de differenda appellatione; huiusmodi enim consensus nullum est indicium in actis. Igitur reiiciendum est primum impedimentum a canonicis allegatum.

Alterum impedimentum allegat Procurator canonicorum, ex parte ipsorum appellandum, scilicet, ex parte canonici Menichelli, impotentiam agendi prae senectute, et, ex parte canonici Pacini, impotentiam agendi, quia ad arma, mense iulio 1916, vocatus fuit; tunc enim, ait Procurator, « vix duabus horis, vespere, nec quotidie, libertas illi relicta: «duabus vero illis horis, cum labore sit fessus, et victum sibi compa« rare debeat, tempus et vis defuit quidquam agendi pro lite prose« quenda ». Verum nec hoc alterum impedimentum est legitimum; canonicus enim Pacini per sex aut septem primos anni 1916 menses, nullo modo fuit impeditus; per ceteros quinque aut sex menses, cum fuisset ad arma vocatus, impeditus quidem erat ex parte, sed non totaliter; ut enim ait archipresbyter: « Il canonico Pacini fu aggregato al « corpo di sanità, e presta fin d'allora servizio a Roma nella caserma, « adesso ospedale Regina Margherita in Prati ; quasi tutte le feste passa « la seconda parte della giornata a Castelnuovo di Porto, dove ha pas« sato ancora già due licenze, una di quattro, ed un'altra di dodici «giorni». Unde can. Pacini forte per hos quinque menses non poterat multa aut difficilia facere pro appellationis prosecutione, sed saltem facilia quaedam facere poterat, v. g., exhibere instantiam pro citatione alterius partis, petere dilationem, constituere procuratorem, sicut fecit pro hac causa incidentali, aut sicut sibi proposuerat, gratuitum patrocinium postulare, etc.

Procurator canonicorum allegat tertium impedimentum seu potius tertiam causam cur retineri debeat appellatio, scilicet vacationem duorum canonicatuum; cum enim Capitulum, de quo agitur, constet, praeter archipresbyterum, quatuor canonicis, unus ex canonicatibus, initio a. 1915, quando inceptus est processus, vacabat; mense autem februario eiusdem anni, can. Picchietti defunctus est, ita ut Capitulum redactum sit ad duos canonicos praeter archipresbyterum; porro duobus praefatis canonicatibus vacantibus non datus est defensor in processu; unde, quidquid sit de legitimitate huius processus, ait idem Procurator, saltem retinenda est appellatio, ne hi duo canonicatus in perpetuum indefessi remaneant. Verum nec etiam haec tertia causa admitti potest. Ut enim omnes norunt, in Capitulo, quando etiam maior pars canonicorum mortui sunt, vel exilio aut perturbationibus publicis dispersi, vel ob censuras

aliave impedimenta omnino incapaces effecti, ita ut non nisi duo aut etiam unus remaneat, omnia iura Capituli, scilicet eligendi, administrandi, etc., in duobus aut etiam uno remanente consolidantur. Quod iam iure romano provisum erat, ut constat ex L. *Sicut,* 7, D. *Quod cuiuscumque universitatis,* III, IV: « Si universitas ad unum redit, magis « admittitur posse eum convenire et conveniri, cum ius omnium in unum « reciderit et stet nomen univesitatis ». Licet ergo, iure romano, iuxta L. *Neratius,* 85, *De verborum significationibus,* L., 16, tres requirantur ad collegium, seu universitatem, ius tamen in uno remanet.

Porro haec dispositio in iure canonico omnino recepta est, uti constat ex iurisprudentia tribunalium et Congregationum romanorum. Sic, in casu quo aliquod Capitulum iure fruebatur concedendi dimissorias, et unus tantum adiri poterat canonicus, censuit S. C. Concilii hunc unum iure capitulari frui dandi dimissorias, ut refert Fagnan., in cap. *His quae,* 11, *De maioritate,* n. 62-63. Ita etiam, cum in pluribus Hiberniae dioecesibus, Capitulum ad unum canonicum fuisset redactum, censuit eadem Congregatio hunc unum posse eligere Vicarium capitularem, modo non eligeret seipsum, uti refertur in ephemeride *Acta S. Sedis,* t. 24, p. 516. Ita etiam pluries S. Rota, v. g., in *Maioricen. - Beneficii,* diei 29 martii 1700, coram Muto. Et haec est doctrina communissima, imo unanimis doctorum, v. g., Petra, *In Constitut. I S. Leonis Magni,* sect. II, n. 32-33; De Luca, *De Praeeminentiis,* disc. 17, n. 7; et *De Beneficiis,* disc. 23, n. 9; et *Ad Concilium Tridentinum,* dise. 31, num. 4, et disc. 43, n. 24-25; Fagnan., loc. cit., et in cap. *Nullus, 1, De Electione,* n. 30; Pirhing; in tit. *De Electione,* n. 12; Barbosa, *De officio et potestate parochi,* Pars I, cap. % num. 28; Ceccoperius, *Lucubrationes canonicae,* lib. IV, tit. II, n. 20-22. etc. Hic ultimus ait: « Quamvis Capitulum ab « initio per unum institui nequeat, si tamen ad unum redigatur, adhuc « potest nomen retinere, non quia unus sit Capitulum, sed quia privi- « legia et iura Capituli devolutive resident in illo uno, qui eo casu pro « pluribus consideratur... Idipsum procedit, omnibus canonicis, voce « privatis, vel suspensis, aut interdictis, sive excommunicatis, vel mor- « tuis, praeter unum ». Unde, in specie, etsi Capitulum ad duos canonicos redactum fuisset, hi duo omnia iura Capituli exercere poterant, et etiam convenire et conveniri, ut audivimus ex citata Lege iuris romani, quin necesse esset canonicatibus vacantibus specialem defensorem dare; duo enim dicti canonici duorum canonicatuum vacantium iura, utpote eadem quae sua propria iura, optime noverant et strenue defendebant. Unde admitti nequit tertium impedimentum a Procuratore canonicorum allegatum.

Itaque, in specie, cum canonici appellantes per primum annum ab interposita appellatione decurrentem, nihil prorsus fecerint ad prosequendam appellationem, cumque nullo impedimento canonico nullave ratione excusari possint, procul dubio ad normam eorum quae in expositione iuris dicta sunt, appellatio deserta declaranda est.

His ergo omnibus tam in iure quam in facto consideratis et bene perspectis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, declaramus et hac sententia interlocutoria decernimus, appellationem, quam Rmi canonici, contra sententiam ab Jllmo D. Calogero Licata latam, interposuerunt die 24 decembris anni 1915, esse desertam, et proinde sustinendum esse decretum diei 5 februarii 1917 de appellatione deserta; unde ad propositum dubium respondemus: *Affirmative.* Statuentes praeterea expensas iudiciales inter partes esse compensatas.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam SS. Canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De reform.*, Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 7 maii 1917.

Seraphinus Many, *Ponens.*
Ioannes Prior.
Aloisius Sincero.

L. © S.

Ex Cancellaria, 15 maii 1917.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

SUPREMUM
SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

MAÑILEN.

CIRCUMSCRIPTIONIS SEU SUPER DECRETO DE INTERIM EXSEQUENDO

Die 28 aprilis 1917

In ordinario Congressu habito in aedibus Emi ac Rmi D. D. Michaelis Card. Lega, S. T. Praefecti, die 28 aprilis 1917, intervenientibus, una cum R. P. D. Secretario, nonnullis RR. PP. DD. Praelatis Votantibus ac Referendariis, inter alia ad examen revocatus fuit recursus procuratoris parochi loci Candaba, adversus sententiam incidentalem Turni Rotalis, in causa Manilen. Legati Pii, *latam die 27 martii 1917, interpositus ad obtinendam declarationem nullitatis seu circumscriptionem praefatae sententiae. Quum autem, omnibus mature perpensis, recursus fundamento boni iuris destitutus appareret, rescriptum est ab Emo Card. Praefecto, ad normam can. 40. Leg. Prop.* « Recursum esse reiiciendum » *addito eiusdem Emi Card. Praefecti decreto ut extenderetur decisio.*

Decisio vero sequentis tenoris est:

i. In S. R. Rota coram altero Turno, Ponente R. P. D. Rossetti Auditore, pendet causa *Legati Pii* inter Provinciam SS. Nominis Iesu, Ord. Erem. S. Augustini et parochum loci Candaba, dioec. Manilen., circa dominium praediorum quorumdam, quae a. 1679 pia testatrix Lucia Gumamela legavit tum Provinciae tum Conventui S. Andreae loci Candaba ut ex reditibus onera quaedam Missarum persolverentur. Quum enim, anno 1898, Regulares ecclesias et animarum curam dimittere coacti fuerint atque in eorum locum suffecti sacerdotes saeculares, Vincentius Lapus, parochus constitutus in ecclesia S. Andreae oppidi Candaba, praetendit ut a Religiosis praefatorum praediorum dominium ipsi traderetur, atque in hunc finem causam iis dixit coram Archiepiscopo Manilensi. - Secundam sententiam obtinuit die 14 augusti 1908, contra quam appellarunt Religiosi ad viciniorem Episcopum; quum tamen nonnulla acta ad prosequendam appellationem omisisset Provinciae procurator, declarata est instantiae peremptio. Sed provocantibus ad S. R. Rotam Religiosis, decisio Rotalis coram Rmo P. D. Sebastianeiii Decano, data die 7 februarii 1916 *(Acta Ap. Sed.,* VIII, 275 ss.), definivit «fieri locum

eorum, favore restitutioni in integrum, dominiumque eontroversorum praediorum adiudicavit Regulari Provinciae.

2. Appellationem ad alterum Turnum interposuit procurator parochi Lapus admisitque Sacri Auditorii Decanus decreto 17 aprilis 1916. Quamvis tamen novi Turni Ponens a die 1 maii eiusdem anni partes invitasset ad concordationem dubiorum, procurator parochi, licet semel iterumque citatus, non comparuit, donec, die 12 ianuarii 1917, Ponens per decretum ex officio declaravit: « attentis hodiernis.civilis societatis adiun« ctis, locum non fieri péremption! appellationis, ad normam Reg. Rot. 236, « n. 2, sed appellationem ipsam esse serio prosequendam »; quapropter, assignato termino duorum mensium ad acta efficaciter complenda, praemonebat « his inutiliter elapsis locum fore *exsecutioni provisoriae* senten« tiae appellatae, servatis de iure servandis ». Sed quum, post mensem, certis argumentis ac praesertim ex nova longioris dilationis petitione ex parte procuratoris, iam compertum esset inde nihil causam profecisse nec profecturam esse, die 22 februarii 1917 Ponens dato novo decreto ex officio, iussit causae disceptationem differri sine die, ac sententiam appellatam interim et provisorio modo, praeviis opportunis cautionibus, favore Religiosae Provinciae exsecutioni mandari; quod decretum Ponentis per sententiam incidentalem Turni, die 27 martii 1917, latam ad tramites can. 20 Legis Propriae et reg. Rot. 83, confirmatum fuit.

Adversus hanc incidentalem sententiam recursum interposuit parochi procurator ad Supremum Hoc Tribunal, postulans praefatae sententiae nullitatem aut circumscriptionem seu rescissionem declarari, sive decerni.

3. Primum ac praecipuum recursus argumentum respicit *ritum,* quo sententia edita est, atque ita proponitur. Ex art. 82 Reg. serv. in S. R.Rota: « a decretis a Ponente editis, competit *appellatio* ad Turnum »; in casu tamen Turnus decretum Ponentis inappellabile dixit, ac tantummodo *recursum* adversus illud recepit. Et quamvis id videatur omnino consonum praescripto can. 20 L. P. et art. 83 Reg., - nam can. 20 statuit: « quoties in S. R. R. quaestio fiat circa exsecutionem provisoriam ... res « *inappellabili* sententia a solo Praeside Turni est definienda », art. 83 vero subdit: « salvo iure *recursus* ad Turnum a quo cognoscendum est, « utrum Ponens suas partes transgressus sit », - attamen recurrens assumit his normis urgendum locum in casu non fuisse, quia can. 20 L. P. dum limitat suam vim ad certos casus, nempe « quoties quaestio fiat, « circa exsecutionem provisoriam alicuius sententiae aut circa *inhibi« tionem* exsecutionis » satis innueret regulam vigere, quando exsecutio iam decreta est, et tantummodo quaestio fit de modo exsequendi, aut non exsequendi. Verumtamen haec difficultas penitus evanescit inspecto

textu reg. Rot. 83, quae est declarativa can. 20 Leg. Pr, : ibi enim legitur huic canoni fieri quoque locum « in casu quo Ponens exsecutionem « provisoriam *praescribant* » h. e. quando quaestio fit de ipsa exsecutione, non de eius modo dumtaxat, decernenda. Et ubi verba legis tam clara sunt, non est profecto facienda adeo contraria interpretatio.

4. Cetera recursus argumenta *meritum* potius appellatae sententiae spectant. Videlicet, quum Turnus, ad normam reg. 83, tantummodo expenderit: « utrum Ponens partes suas transgressus fuerit » huicque quaestioni negativum dederit responsum, recurrens hisce argumentis male Turnum de re iudicasse contendit, dum evincere ex adverso conatur revera Ponentem partes suas transgressum esse, pluribus adductis ad rem ratiocinationibus, quarum potiores, quae in hac sede expendi mereantur, hae sunt:

primo, quia exsecutionem provisoriam Ponens concessit, immo iussit, *ex officio,* absque praevia partis petitione;

secundo, quia concessit, dum causa in *altero* gradu iurisdictionis, seu in appellationis iudicio, versabatur;

tertio, quia concessit, *nulla* intercedente *ex causis* art. 84, Reg. Rot. recensitis.

At vero, primum gravamen facile fundamento destitutum invenitur quum in Regulis Rotalibus nullibi legatur expressum exsecutionis provisoriae beneficium non esse a iudice concedendum nisi ad instantiam partis. Quin immo contrarium satis aperte edicitur per distinctionem, in iisdem Regulis saepius obviam, inter *decretum* ac *rescriptum* quo huiusmodi exsecutio dicitur *praescribi,* aut etiam *praecipi, iniungi;* ita § 83, 1; « Praedictae regulae fit exceptio in casu quo Ponens provisoriam sen« tentiae exsecutionem *praescribat,* quod *decretum* aut *rescriptum* est « inappellabile » ; ib. 2 : « Hoc autem *decretum* aut *rescriptum* debet ratio« nibus, tum in iure tum in facto muniri »; §84: « A Ponente provi« soria exsecutio *praecipitur,* quoties id conforme sit iuri communi»; § 85, n. 2 : « Ponens, provisoriam exsecutionem *iniungens,* mandat, etc. » ; § 229: « Si exsecutio provisoria fuit *praescripta,* ad normam § 84 », etc. Etenim in primis satis apertum est, in iure verba haec « praescribere », « praecipere », « iniungere », absque alio addito, ministerium iudicis ex officio, nec ad partis instantiam, procedentis denotare. Quae interpretatio firmatur ex alio legis praescripto in subiecta specie, ubi, praecedente partis instantia, iudex petita *concedere,* non autem praescribere, praecipere, dicitur: nempe § 228, ubi haec legimus: « Quando exsecutio « provisoria, in primo gradu expetita, *concessa* non fuerit », etc. Ulterius, explicita distinctio quae in allatis textibus occurrit, inter *decretum*

et *rescriptum* Ponentis exsecutionem provisoriam iubentis, comprobat omnino posse iudicem ecclesiasticum exsecutionem prov soriam mandare, sive ex officio (per* decretum) sive ad partis instantiam (per rescriptum).

5. Neque opponere iuvat praefatam distinctionem esse potius exponendam ad normam duplicis, quod in hodiernis civilis iuris codicibus recensetur, generis regularum, per quas videlicet vel provisoria exsecutio obtineri valet *ope legis* (per decretum, ut assumitur) vel relinquitur *arbitrio iudicis* (nempe, per rescriptum) eam concedere aut negare, in utroque tamen casu praevia partis instantia: cfr. v. g. *Reg. Giudis. Gregor.,* § 975, 976, *Cod. civ. it.,* art, 393, 409. Hoc enim etiam dato, non licet tamen causas canonicas, in quibus, ut plurimum, bonum non solum privatum, sed publicum attingitur, causis mere civilibus aequiparare, in quibus nonnisi privata negotia sunt componenda, nec ideo leges de illis latas ad normam legum quibus hae reguntur interpretari fas est. Si itaque in re ad hodierni civilis iuris interpretes provocatur, qui, unanimes, ut refert auctor articuli *Esecuzione provisoria,* in *Ençiclop. giurid. ital.,* (vol. V, p. III, (1911), p. 4) haec statuunt: « Senza « domanda il magistrato non può pronunziarla, e se egli lo facesse, « eccederebbe i limiti del potere di chi giudica in materia civile, *su « d'interessi privati* che, appunto perchè tali, *nulla han che vedere con « l'ordine pubblico,* etc. (Cfr. sent. della Corte d'appello di Roma, 18 giù- « gno 1884: *La legge,* 1885, p. 207) », eodem prorsus argumento contraria in foro ecclesiastico sententia ineunda suadetur.

Quae, si generatim dicta valent,- potissimum vero casui nostro aptantur, in quo res agitur inter paroeciam et monasterium, utrumque iure *minorum* fruens: iudicem autem debere ex officio procedere seu non exspectata partis instantia, ne minor a quoquam, nec ab alio quidem minore, quodpiam sui iuris capiat detrimentum, neve pars inexperta in sua simplicitate ab altera circumveniatur, compertissimum in iure est (c. 2, X, *De officio iudicis,* 1. I, t. 32; c. 2, X, *De in integrum restitutione,* 1. I, t. 41), ac aequitati canonicae perquam consentaneum.

Quapropter nihili faciendum est, quod praeterea ad hoc gravamen fulciendum obiicitur, nimirum exsecutionem provisoriam non posse coactivo modo, sed dumtaxat facultativo per decretum aut rescriptum iuberi; quasi parti cuius interest integrum esset decreto aut rescripto obtemperare. Hoc enim neutiquam admittitur quando partes in causa non de privatis suis iuribus, sed de iuribus *personarum moralium* quas repraesentant, seu de bono publico, decertant (cfr. Lega, *Praelectiones de iudiciis ecclesiasticis,* I², n. 75 s.).

6. Quod autem in altero gravamine assumitur, exsecutionem proviso-

riam in casu fuisse decretam a iudice *ad quem* appellabatur, id quidem in facto est. Frustra tamen contenditur hac de causa decretum istud irritum fuisse, utpote positum contra art. 228 Reg. Rot., quo praescribitur: « Quando exsecutio provisoria *in primo gradu expetita,* concessa non « fuerit, peti potest per incidentalem instantiam et per memoriale in « appellationis iudicio », quasi exinde liceret deducere contrariam correlativam: « Quando exsecutio provisoria in primo gradu non fuerit expe- « tita,... peti non potest in appellationis iudicio ». Fallacia enim huius argumentationis ferit oculos: siquidem hoc unum ex praefata regula deducere fas est, exsecutionem provisoriam in appellationis iudicio peti posse etiamsi, petita in primo gradu, non fuerit concessa. In quo sensu regula opportunissima apparet ad temperandum, saltem dum causa versatur coram altero turno, rigorem can. 20 Leg. Pr., quo decretum Ponentis exsecutionem concedens aut negans *inappellabile* constituitur, quem rigorem iam temperavit Reg. Rot. 83 dum adversus Ponentis decretum recursum, etiam in eodem Turno, salvum fecit.

Quae quum ita sint, frustra opponitur, non modo, ut planum est, similitudo *verbalis* reg. 228 cum art. 483 cod. civ. ital., (954 cod. Nap.), sed etiam consectaria interpretatio scholae iuris italicae, quae contra gallicam (Dalloz, Tallandier, etc.) sustinet non posse primum in appellatione beneficium interim exsequendi postulari. Quidquid enim de re, a foro nostro prorsus aliena, sit statuendum, in comperto est non posse aptari legi canonicae praecipuum argumentum denegantium hanc facultatem : nimirum, censendos esse eos qui non petierint in primo gradu, noluisse suo iure uti, nec ideo ad resipiscendum in altero gradu iudicii admittendos in damnum partis adversae; obstat siquidem iterum peculiaris natura causarum canonicarum, quae non semper integrum relinquit litigantibus iuri suo renuntiare.

7. Expeditior prostat responsio tertio gravamini, videlicet causam a Ponente ad exsecutionem provisoriam decernendam his verbis enunciatam « cum necessitas exsisteret removendi inutilem et perniciosam « dilationem, in appellatione serio prosequenda » non contineri inter eas quae art. 34 Reg. Rot. recensentur: «A Ponente provisoria exse- « cutio praecipietur quoties id conforme sit iuri communi, et praeser- « tim quum agitur de remediis provisionalibus et cautionibus, aut de « iudiciis possessoriis aliisque, quae alimenta aut mercedes respiciunt ».

Etenim, retenta, quae superius (n. 5) adumbrabatur, duplici differentia regularum de exsecutione provisoria decernenda aut concedenda, aliquando nempe *ope legis,* iubentis nonnullas sententias interim esse exsequendas, etiam nulla praevia partis instantia, aliquando vero *arbitrio*

iudicis, cui committitur sive exsecutionem praescribere, sive ad instantiam partis concedere aut denegare, habita potissimum ratione tum vehementis praesumptionis veritatis, tum necessitatis celerioris expeditionis negotii, liquet, comparatione quoque cum hodiernis codicibus iuris civilis instituta, art. 84 Reg. Rot. agere de primo tantummodo causarum genere, nec eas omnes taxative recensere, prout manifestum fit generali formula « quoties id conforme sit iuri communi », atque verbo « praesertim » adhibito. At vero, in casu nostro liquidum est, iudicem supplevisse favore minoris defectum *instantiae partis,* quam prudenti suo iudicio existimabat debuisse, in talibus constitutam rerum adiunctis, huiusmodi interim exsequendi beneficium impetrare. Causam autem huius aestimationis probam iustamque subiecisse - quamquam Nostri Tribunalis non est, in facti aestimationem inquirere - ex enarratis a limine compertissimum fit. Enimvero, partis coram primo Turno victricis iuribus nocebat quam maxime « inutilis et perniciosa dilatio alterius partis « in appellatione prosequenda », ad quam removendam frustra per annum circa adlaboratum erat; beneficio etenim prima sententia parto, vix, in hisce rerum adiunctis, quae impediebant etiam quominus, peremptioni instantiae locus fieret, praevideri poterat quandonam esset pérfruitura. Nec parti solummodo, sed bono publico quoque - teste Zech, *de iudiciis,* sect. I, tit.-2, de iudice - perniciosum censeri debebat quod litem inchoatam prorogare alterutra pars studeret, ad innocentem alterius partis simplicitatem circumveniendam, qui casus ex praecipuis est, in quibus possit iudex et debeat, etiam non imploratus procedere (cfr. c. 6, X, De *in integrum restitutione,* 1. I, t. 41).

Quum igitur omnia et singula recurrentis gravamina, diligenti examine perpensa, acuta fortasse, magis quam vera iureve consistentia apparerent, quumque signanter non demonstraretur ex his *defectus competentiae* in Turno sententiam incidentalem proferente, neve in ipsa sententia *ratio non **habita** alicuius legis,* aut *manifesta quaevis legis violatio,* quod praetendebatur, ut ad normam art. 4 Regul. Nostri Ordinis sententia nulla declararetur, aut circumscriptio ni rescissionive obnoxia, hinc Supremum Tribunal recursum reiiciendum censuit ac prorsus reiecit.

Atque ita, etc.; non solum, etc.; sed et omni, etc.

Datum Romae, in sede Supremi Tribunalis, 28 maii 1917.

Ubaldus Mannucci, *Signaturae Votans**

VISA

Evaristus Lucidi, *S. A. S. T. a Secretis.*

Aloisius Scialdoni, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 27 novembre 1917, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Eoli e Röii Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati e Consultori teologi, si è tenuta la Congregazione dei Riti Preparatoria, per discutere sui miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione del Beato Gabriele della Vergine Addolorata, Chierico professo della Congregazione dei Chierici Regolari Scalzi della Ss. Croce e Passione di N. S. G. C. ; i quali miracoli vengono proposti per la Canonizzazione dello stesso Beato.

Martedì 4 dicembre 1917, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi alla augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la Congregazione Generale dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Cardinali, i Rmi Prelati ed i Consultori Teologi che la compongono, hanno discusso il dubbio sui miracoli che si asseriscono ottenuti da Dio per intercessione della Beata Margherita Maria Alacoque, Religiosa professa dell'Ordine della Visitazione di Maria Vergine, i quali miracoli vengono proposti per la Canonizzazione della stessa Beata.

Martedì 11 dicembre 1917, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione Ordinaria particolare dei Sacri Riti, nella quale sono state sottoposte al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali, componenti la medesima le seguenti cause:

1. Intorno al culto, i u ossequio dei decreti di Urbano VIII, non mai prestato al Servo di Dio Bernardo Francesco de Hoyos, Sacerdote professo della Compagnia di Gesù.
2. Intorno alla validità dei Processi Apostolici ed Ordinari costruiti per la Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Ven. Servo di Dio Francesco da Camporosso, Laico professo Cappuccino.
3. Intorno al culto non mai prestato, a norma dei Decreti di Urbano VIII, alla Venerabile Serva di Dio Maria Maddalena Vittoria de Bengy, Viscontessa de Bonnault d'Houet, fondatrice della Società delle Suore chiamate: *Fedeli Compagne di Gesù.*
4. E finalmente intorno al medesimo dubbio, del culto non mai prerstato ai Servi di Dio Giovanni di Brebeuf e Socii della Compagnia di Gesù, che si affermano martirizzati in odio della Fede.

Martedì 18 dicembre 19Í7, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Vincenzo Vannutelli, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Venerabile Girolamo Terzo da Gesù, Maria e Giuseppe, laico professo dell'Ordine dei Carmelitani Calzati della Provincia Sicula riformata di S. Maria « de Scala Paradisi », si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti Antipreparatoria nella quale dai Rmi Prelati e dai Consultori teologi si è discusso il dubbio sopra Peroismo delle virtù esercitate dal medesimo Venerabile Servo di Dio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

5 dicembre 1917. Il Rev. sac. D. Felice Ravanat e il Rev. P. Vittorio Apeltem dei Minori Cappuccini, *Consultori della Saera Congregazione dei Etti per la Sacra Liturgìa.*

12 » » Mons. Francesco Solieri, *Consultore della Commissione Pontificia per l'interpretazione del Codice di Diritto Canonico.*

Con Brevi apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Protonotario apostolico ad instar participantium :

13 dicembre 1917. Mons. Evaristo Lucidi, Segretario del Supremo Tribunale della Segnatura.

Prelati Domestici di S. S.:

24 agosto 1917. Mons¿ dementino Valentino Hessdoerfer, della diocesi di Erbipoli.

» » » Mons. Giuseppe Zahn, della medesima diocesi.

21 novembre » Mons. Matteo Mulier, della diocesi di Limburgo.

12 dicembre » Mons. Carlo Alessio Lagneaux, della diocesi di Beauvais.

» » » Mons. Pietro Dourlent, della medesima diocesi.

14 dicembre » Mons. Patrizio Lorenzo Coonan, dell'archidiocesi di Sydney.

» » » Mons. Tommaso 0' Reilly, della medesima archidiocesi.

» » » Mons. Giovanni Patrizio Moynagh, della medesima archid.

ONORIFICENZE

Con Brevi apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

20 dicembre 1917. Al sig. Fiorentino Casanova y Garcia San Miguel marchese de Guevara.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

24 agosto 1917. Al sig. Agostino Hofmann, della diocesi di Erbipoli.
» » » Al sig. Filippo Kessler, della medesima diocesi.
30 novembre » Al sig. Giuseppe Haynault, della diocesi di Namur.
4 dicembre » Al sig. Leone Kremer, della diocesi di Münster.
5 » » Al sig. Luigi Grassi, delParchidiocesi di Torino.

U Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

29 novembre 1917. Al sig. Guglielmo Welstead, della diocesi di Clifton.
3 dicembre » Al sig. Clemente Brenninkmeyer, della diocesi di Breslavia.
14 » » Al sig. Clemente Augusto Heuveldop, della dioc. di Münster.

La Commenda dell'Ordine di 8. Silvestro Papa:

16 dicembre 1917. Al sig. prof. Attilio Profumo, Archivista della Cancelleria dei Brevi Apostolici.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

1 dicembre 1917. Al sig. dott. Norberto Sydney Durrant, dell'archidiocesi dì Porto di Spagna. ^
17 » » Al sig. Filippo Fortini, addetto all'Archivio della Cancelleria dei Brevi Apostolici.

MAG GIORDÖMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato* di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

17 agosto 1917. Mons. Antonio Ulbrich, della diocesi di Leitmeritz.
» » » Mons. Antonio Zimmler, della medesima diocesi.
28 novembre » Mons. Pietro Potters, della diocesi di Breda.

28 novembre 1917. **Mons. Domenico Della Vedova, della diocesi di Foligno.**
» » » **Mons. Bernardo Mahoney,**
7 dicembre » **Mons. Enrico Adani, dell'archidiocesi di Modena.**

Camerieri d'onore di Spada e Cappa soprannumerari di S. S.:

1 dicembre 1917. **Sig. A. Wesmaèl, della diocesi di Namur.**
7 » » **Sig. Nicola Rossi Genoese, della diocesi di Mileto.**

NECROLOGIO

13 giugno 1917. **Mons. Antonio Caspar, vescovo titolare di Canata.**
20 settembre » **Mons. Vincenzo Francesco Sage, vescovo titolare di Cuse.**
3 dicembre » **Mons. Luigi Piccardo, vescovo titolare di Cafarnao.**
» » » **Mons. Federico Gonzalez Suarez, arcivescovo di Quito.**
IS » » **Mons. Pacifico Monza, vescovo titolare di Troade.**
31 » » **Mons. Michele Izzi, vescovo di Alatri.**

Araras X - Toi. X I Februarii 1918 Num. *2*

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

APOSTOLICAE SUB PLUMBO LITTERAE

I

DE METROPOLITANAE ET NOVAE PROVINCIAE ECCLESIASTICAE ADAMANTINAS ERECTIONE.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quandocumque se praebuit occasio novas ecclesiasticas provincias instituendi, ut inde catholicae religionis bonum incrementum sumeret et fideles uberiora et promptiora, quibus indigent, spiritualia subsidia percipere possent, id semper praestitisse Summos Pontifices ecclesiastica documenta testantur.

Cum itaque Apostolicus in ditione Brasiliana Nuntius iampridem instaret, ut pro maiori spirituali bono, sive Episcoporum sive fidelium, in latissima provincia ecclesiastica Mariannensi alia constitueretur ecclesiastica provincia erigendo in sedem Metropolitanam Adàmantinam dioecesim, Nos, omnibus rationum momentis sedulo attenteque perpensis, ad eiusdem erectionem deveniendum esse existimavimus.

Quapropter, de consulto dilectarum filiorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis Consistorialis, de consensu venerabilis fratris hodierni archiepiscopi Mariannensis atque aliorum interesse habentium, suppletoque etiam, quatenus opus sit, quorum intersit, vel sua interesse

praesumant, consensu, de plenitudine apostolicae potestatis haec quae sequuntur perpetuum in modum decernere statuimus.

Adamantinam, Sedem a iure Metropolitico Archiepiscopalis Ecclesiae Mariannensis apostolica auctoritate exsolvimus atque eximimus; eamque ad gradum et dignitatem Ecclesiae Metropolitanae evehimus atque extollimus.

Huic autem, ita erectae, Metropolitanae Sedi Adamantinae omnia et singula iura, privilegia et praerogativas Sedibus Metropolitanis in Brasiliana regione haberi solita et consueta plenarie attribuimus et assignamus, et venerabilem fratrem Ioachim Silverium De Sousa, qui actu Adamantinam Sedem obtinet, Archiepiscopi titulo, dignitate, iuribus et privilegiis augemus, una cum facultate deferendi Crucem et Pallium, sicut ceteri Archiepiscopi, postquam tamen hoc ab Apostolica Sede in Sacro Consistorio postulatum fuerit et impetratum. Memoratae insuper Cathedralis Ecclesiae Adamantinae Capitulum illico ad Metropolitani Capituli gradum, titulum et honorem simili apostolica auctoritate evehimus, ita ut exinde omnibus praeeminentiis, honoribus, iuribus ac privilegiis, quibus alia in illis partibus huius generis Capitula ordinarie gaudent, et ipsum fruatur.

Insuper a iure Metropolitico Archiepiscopi Mariannensis eximimus ac subtrahimus dioeceses Montisclarensem et Arassuahyensem et eas in suffraganeas Metropolitanae Sedi Adamantinae attribuimus atque accensemus et eorum Episcopos pro tempore exsistentes in Archiepiscopi Adamantini Suffraganeos, qui iuri metropolitico subsint, constituimus atque adscribimus quodque clerus et populus dictarum dioecesum Montisclarensis et Arassuahyensis sicut quoad episcopalem suis Episcopis ita praedicto Adamantino Archiepiscopo quoad metropoliticam iurisdictionem sint subiecti iuxta canonicas sanctiones volumus et mandamus.

Huic Metropolitanae Sedi Adamantinae autem, uti supra erectae, pro sua dioecesi idem territorium eamdemque regionem, quam Episcopalis Sedes Adamantina sibi peculiarem et propriam obtinuit, servatis semper iisdem limitibus et finibus qui episcopalis dioecesis Adamantinae, uti in praemissis suppressae, territorium et ambitum hucusque efformarunt atque constituerunt, adscribimus et assignamus.

Praeterea Nobis et Apostolicae Sedi novas circumscriptiones et dismembrationes in hac nova ecclesiastica provincia libere peragendi, quandocumque id in Domino magis expedire visum fuerit, quin ullum in id Antistitum et Capitulorum consensum exquiri, aut territorialem ullam compensationem attribuì necesse sit, facultatem reservamus. Quae autem hisce Litteris, apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli

hominum, ullo unquam tempore, infringere, aut iis repugnare, vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis. Ad haec autem omnia fideliter exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Angelum Hyacinthum Scapardini, Archiepiscopum titularem Damascenum et Apostolicum Nuntium in Brasiliana Republica, et eidem necessarias et opportunas facultates tribuimus, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, imprimisque venerabilem fratrem hodiernum Antistitem Adamantinum, ac definitive sententiam dicendi de quavis occurrente difficultate et oppositione, imposito onere Romam, ad Sacram Congregationem Consistorialem, intra sex menses fidem, authentica forma exaratam, absolutae exsecutionis huius Nostri mandati transmittendi, ut in eiusdem Sacrae Congregationis archivo asservetur.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras contrariis quibuslibet, •etiam peculiari et expressa mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo decimo septimo, die vigesima octava mensis iunii, Pontificatus Nostri tertio.

O. CARD. CAGIANO
S. R. E. Cancellarius.

C. CARD. DE LAI
S. C. Consistorialis Secretarius.

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*
Ludo vicus Schuller, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco *i&* Plumbi.

Reg. in Canc. Ap., vol. XV, n. 21.

II

DE PRIVILEGII SACRI PALLII CATHEDRALI ECCLESIAE CARNUTENSI CONCESSIONE.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Episcopalis Carnutensis Ecclesia, ut inter Galliarum principes iure accenseretur, pluribus sane nominibus meruit. Primo ipso christiano saeculo vertente fundata, Antistites, qui eius regimen tenerent, praeclaros habuit tum splendore virtutum, tum etiam doctrinae laude. Ex iis namque, qui ad honores caelitum evecti fuerint, ad decem numerantur. Extento porro vixit aevo vivitque adhuc Ivonis Carnutensis fama in sacris canonibus illustrandis. Accessit demum Romanae purpurae decor, qua quinque ex Carnutensibus Episcopis ornati fuere. Nec plane silentio praeterire licet quantus Carnutensi sedi honor accesserit ex eo quod Carnut Concilia quatuor sint celebrata. Nobilitatur autem quam maxime eadem urbs Carnutensis ex Cathedrali templo: quod et magnitudine molis et praetiosis artis operibus conspicuum f. r. Pius Papa Decimus Praedecessor Noster ante aliquot annos Basilicae minoris titulo atque insignibus decoratum voluit: fertur enim illud super crypta excitatum fuisse, in qua celebre Druidarum collegium « Virgini pariturae » cultum ibi exhibuerat. Ibidem modo vetustissima Dei Parentis imago frequentissima fidelium religione colitur; quin et Pontifices Romani duo, Paschalis et Innocentius, huius nominis secundi, et omnes fere Galliarum Reges, nostro autem tempore, anno Domini millesimo octingentesimo septuagesimo secundo, conventus nationalis Galliarum universus illuc veneraturi accesserunt. Ad par tanto templo decus, ante gallicam 'eversionem, nonaginta canonicorum collegium eidem addicti erant; nunc autem, quamvis sacerdotum numerus sit imminutus, chorale servitium integre splendideque impletur. Harum rerum causa venerabilis frater Henricus Ludovicus Bouquet, qui Carnutensem dioecesim hodie moderatur, a Nobis humiliter petiit, ut ad memoratae Sedis decus augendum, sibi et successoribus Sacri Pallii privilegium tribuere dignaremur. Nos porro, hisce omnibus mature perpensis, Episcopi precibus benigne annuendum censuimus, ac de apostolicae pote-

statis plenitudine concessimus, ut memoratus Carnutensis Episcopus eiusque legitimi successores, ex singulari privilegio, Pallii usu, in Sacro Consistorio de more postulandi, salvo in omnibus iure metropolitico, aliisque servatis servandis, frui possint ac valeant. Ex apostolico igitur privilegio licebit posthac hodierno Episcopo Carnutensi, eiusque legitimis successoribus, post debitam postulationem, Sacro Pallio uti in solemnibus *secundum sacros canones praescriptis,* ast in dioecesi Carnutensi dumtaxat et non alibi, etiamsi Ordinarii consensus accedat, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongente^ simo decimo septimo, die decima quinta mensis novembris, Pontificatus Nostri quarto.

O. **CARD**. CAGIANO
S. R. E. Cancellarius.

fr

C. **CARD**. DE LAI
S. C. Consistorialis Secretarius.

Iulius Campori, *Protonotarius Apostolicus.*
Raphael Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi.

Reg. in Cane. Ap., vol, XVI, n. 1.

DB PRIVILEGI! SACRI PALLII CATHEDRALI TARBIENSI ET LOURDENSI CONCESSIONE.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Postquam, sexaginta propemodum ante annos, Virgo Deipara Immaculata se, miris apparitionibus, ad ripam Gavi fluminis videndam praebuit, unde et nomen Immaculatae « de Lourdes » Ei vulgo obvenit, incredibilis caelestium gratiarum copia per totum terrarum orbem diffundi visa est. Hinc et nomen oppiduli, antea fere incogniti, undequaque est pervulgatum famamque est adeptum, ita ut celeberrimarum urbium gloria exaequet. Templum, ipsius Immaculatae Virginis nutu, in ipso apparitionum loco fidelium pietate ac largitate extructum, quodque et christianorum turmae ex omni regione usque adhuc frequentant, et

ecclesiasticorum Principum praesentia toties cohonestavit, et Romanorum Pontificum auctoritas maximis honoribus cumulavit, unum ex praecipuis totius orbis sanctuariis effectum est, catholicae veritatis testimonium eximium, ac veluti fons vitae, unde, benignissima Dei Matre exorante, omnimodae consolationis et sanctimoniae beneficia hauriuntur.

His omnibus moti, Nos, qui nunc Ecclesiae universae regimini, meritis licet imparibus, praepositi sumus, quique, dum Bononiensi Archidioecesi Antistes praeeramus, anno millesimo nongentesimo decimo tertio, peregrinantium more, Lourdensem Basilicam invisimus, vota perlibenter excepimus tum dilecti filii Nostri Leonis Adulphi, tituli Sanctae Sabinae, S. R. E. Presbyteri cardinalis Amette, hodierni archiepiscopi Parisiensis, tum venerabilis fratris Francisci Xaverii Schoepfer, hodierni episcopi Tarbiensis et Lourdensis, ac Decessorum Nostrorum in Lourdensem Virginem pietatem imitari cupientes, episcopalem Tarbiensem et Lourdensem sedem sacri Pallii honore, ex singulari privilegio, decorandam statuimus et decrevimus, sexagesimo ab Immaculatae Virginis apparitione anno feliciter impleto.

Quapropter a dicto sexagesimo anniversario, undecima die februarii proximi anni celebrando, praefatus Franciscus Xaverius episcopus, qui nunc Tarbiensem et Lourdensem episcopalem sedem tenet, eiusque in episcopali munere successores, sacro Pallio, in Consistorio, prout moris est, postulando, in ecclesiasticis functionibus, quae tamen in Basilica tantum Lourdensi celebrentur, iuxta liturgicas leges uti poterunt ac debebunt, salvo in omnibus metropolitico iure, aliisque servatis de iure servandis.

Praesentes autem litteras perpetuo validas exsistere et fore volumus et decernimus, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo decimo septimo, die octava mensis decembris, Virgini Immaculatae sacra, Pontificatus nostri quarto.

O. **CARD**. CAGIANO
S. B. E. Cancellarius.

C. **CARD**. DE LAI
S. C. Consistorialis Secretarius.

Iulius Campori, *Protonotarius Apostolicus.*
Raphael Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. XVI, n. 12.

LITTERAE APOSTOLICAE

ECCLESIA MONTIS SENARII, ORDINIS SERVORUM B. MARIAE VIRGINIS, TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS AUGETUR.

BENEDICTUS PP. XV

tí

Ad perpetuam rei memoriam. — In Senario Monte, haud procul ab urbe Florentia, Sacra exstat Aedes cum continenti asceterio, quam recte dixeris insigne pietatis monumentum; siquidem ortum ibi habuit, opera Sanctorum Septem Patrum Conditorum, qui eo secesserant, inclitus Servorum B. Mariae Virginis Ordo, tam praeclare de re catholica ad hunc diem, neque uno nomine, meritus. Quorum profecto Patrum virtutem Ecclesiae Dei tempestive afMsisse, ipse rerum eventus declaravit; cum enim Ecclesia impío Friderici II schismate divexaretur, et in cultoribus ipsis Italiae regionibus populares, partium studiis abrepti, invidiae flamma ad caedes usque propellerentur, sancti ii viri, quibus deliberatum esset et inter se vehementer diligere et ceteros haud dissimili amore prosequi, eam animorum coniunctionem fraternamque caritatem praetulerunt, quam turbulentissimae ei$s aetatis homines in exemplum intuerentur atque ad imitandum sibi proponerent. Hanc quidem caritatem beati Septem Patres contemplatione Dominicae Passionis et Deiparae Dolorum in ea Sacra Aede, quam memoravimus, quasi in quadam palaestra, assidue mirificeque excoluerunt. Quo cum, pietatis caussa, die Parasceves anni MCCXL de more coivissent, sese iis Perdolens Virgo conspiciendam dedit, mandavitque, novi regularis Ordinis initia facerent, cuius esset dolores ab Ipsa ad Christi Crucem latos meditari ac participare: edixit simul, quibus legibus, qua veste, quo nomine uterentur. Tum beati ii viri, cum socios vitae laborumque satis multos sibi ascivissent, coeperunt Italiae, ac praesertim Etruriae, ita concursare civitates atque oppida, sic discidia ubique componere errantesque homines ad Christum, a quo misere abscessissent, reducere, tamque actuosos in exteras nationes et in dissitas ipsas Orientis regiones operarios traicere, ut bonum Christi odorem late per orbem diffuderint. Neque minus dignum memoria est quod traditur, per Aedem Sacram Senarii Montis, unde tanta caritatis flamma circum dilapsa auspicato est, cum S. Philippus Benitius ibi primum litaret, angélicos resonasse concentus ; eum-

denique e rupe, specui proxima, in quo asperrimam vitam degere consueverat, aquam perennem elicuisse divinitus. Sub altari autem principe eiusdem templi, Sanctorum Septem Patrum corpora, postquam alius ex alio pretiosam occubuerunt mortem, condita honorifice sunt, atque illinc in aliud sacellum affabre excultum, iisdemque dedicatum, ineunte saec. xvin translata; quae fel. rec. decessor Noster Leo XIII, Litteris Apostolicis die **XXIV** mensis iulii anni **MDCCCLXXXVIII** datis, in potestate ac tutela Apostolicae Sedis perpetuo fore decrevit. Divina sic providentia factum, ut septem beatissima corpora, *in quibus,* ob miram fratrum illorum concordiam vitaeque similitudinem, *unus* visus est *versatus animus,* teste de constanti piorum hominum hac in re sententia Petro Mediceo, una simul et ab initio iacuerint, et populorum venerationi proposita sint. Quo in genere libet etiam commemorare, eodem in templo plurimorum aliorum Sanctorum adservari reliquias, quas inter honestiorem obtinet locum corpus B. Ubaldi Adimarii, quem constat Sanctis Septem Conditoribus et Philippo Benitio usum esse pietatis magistris. Hisce de caussis, desiderio illuc peregrinandi ardere fideles, in primis exEtruria; ad Senarium Montem gregatim confluere, Sacram Aedem reverenter invisere, expiare animos, caelestique refecti pabulo, non sine uberi fructu ac solacio domum suam reverti. - Quae omnia secum ipse reputans, dilectus filius Alexius M. Lépicier, Prior Generalis Ordinis Servorum B. Mariae Virginis, cum tantorum Virorum res virtutesque singulares summopere profuturum duxerit in memoriam Christifidelium revocari, his potissimum temporibus, cum caritatem in animis revirescere perquam necesse est, a Nobis suppliciter demisseque efflagitavit, ut, votis quoque alumnorum suorum obsecundantes, Sacram Senarii Montis Aedem Basilicae Minoris titulo ac privilegiis honestare, de apostolica benignitate, velimus. Placuit eiusmodi optatis, pro Nostra erga Ordinem Servorum B. M. V. benevolentia, concedere; proptereaque, auditis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationi praepositis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi, hoc ipso die, quo, triginta ante annos, beatis Septem eiusdem Ordinis Conditoribus Sanctorum Caelitum honores decreti sunt, ecclesiam Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis in Monte Senario exsistentem Basilicae Minoris titulo ac dignitate perpetuum in modum augemus, illique omnia et singula conferimus iura, privilegia, praerogativas, honores, indulta, quae minoribus almae huius Urbis Nostrae Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare et permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant plenissime suffragari ; sicque rite iudican-

dum esse ac definiendum, irritum que atque inane fieri si secus super his, a quoquam, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die **XV** ianuarii anno **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD R. M. ANGELAM A NOSTRA DOMINA, VIRGINUM URSULINARUM UNIONIS ROMANAE ANTISTITAM GENERALEM, ANNO TERCENTESIMO EXEUNTE EX QUO RELIGIOSA EA FAMILIA CONSTITUTA EST.

Dilecta in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem. — Natalis trecentesimi a constituto Ursulinarum religioso Ordine commode incidit in hanc luctuosissimam tempestatem sollemnis celebratio. Constat tantorum maiorum causam ex eo potissimum natam esse quod a praeceptis institutisque christianis, quae ipsa^unt civitatum fundamenta, nimis multi privatim publice recesserunt. Iam diu quidem, sed maxime post illam gallicarum rerum conversionem, id impense agebatur ut benefica virtus Ecclesiae, sensim in angustiorem coacta campum, iam nihil demum in hominum societate valeret: imprimisque data est opera ut muliebris sexus a materna se Ecclesiae cura et vigilantia subtraheret. Namque ad fortunam humani generis mirum quantum in utramque partem femina potest; quae si vulgo de via deflexerit, omnis et domestica et civilis disciplina facile convenitur. Itaque videre licuit, remota religione, institutas mulieres omnem simul cum pietate verecundiam ponere ; nec paucas esse quae, nimium dantes alienis a sua natura studiis, masculos prorsus agendi modos induerent, quaeque, deserentes domestica officia, quibus factae essent, temere in medium vitae certamen se coniicerent. Hinc illa deploranda morum perversitas, quam quidem ipsius belli licentia incredibiliter auxit latissimeque propagavit. Huic vos rerum omnium perturbationi, quantum erat in vobis, obstitistis, rite puellas ad christianam sapientiam educando: et magna sunt ac praeclara hoc in genere vestra, Deo adiuvante, promerita. Iam vero futurum ut ex hac immensitate ruinam m novus quidam, emergat rerum ordo in quo chri-

stiana iustitiae caritatisque principia dominentur, omnino de divina benignitate confidimus. Ad quam instaurationem ordinis omnes boni debebunt aliquid pro sua quisque parte conferre; vosque, ea recolentes quae usque adhuc gessit vestra sodalitas, vel acri ore studio ad institutum incumbite, id est ad mentes animosque ita conformandos puellarum, ut christiana professione dignae matresfamilias exsistant. Nos autem istius fausti eventus et sollemnitatem augentes et fructum, concedimus ut qui in vestris templis aut sacellis, vel triduanae supplicationi vel alii sollemni sacro in hanc rem indicto interfuerint, omnes - non modo vestrae familiae sodales et alumnae, sed quotquot se vobis adiunxerint - Plenariam peccatorum Indulgentiam et remissionem, usitatis conditionibus, lucrentur. Ac caelestium auspicem donorum, paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecta in Christo filia, et cunctae cui praees Ursulinarum familiae, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvn decembris **MCMXVIJ**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

n

AD GEORGIUM S. R. E. PRESB. CARDINALEM GUSMINI, ARCHICANCELLARIUM, ET DOCTORES DEGURIALES COLLEGII THEOLOGICI BONONIENSIS ' QUORUM AD ÖPFICIOSAS LITTERAS RESCRIBIT.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Annua pietatis vestrae significatio, quam cum faustis ominibus ad Nos misistis, si non iucunda, ut in hac tristitia temporum, gratissima tamen Nobis accidit, utpote ab iis profecta quos Nobiscum coniunctissimos esse ex veteri consuetudine novimus. Vestro Nos officio respondentes mutuo, qua sumus erga vos caritate paterna et ea pariter vobis exploratissima, rogamus infantem Deum effundat in vos sua munera eorumque cumulum, pacem, quam attulit nascens hominibus bonae voluntatis. Namque huius pacis esse in animo compotem cuilibet, vel in maxima rerum perturbatione, licet. Utinam eiusdem gentes, immani conflictione composita, participes quam primum fiant *i* Sed enim homines turbare omnia et evertere per se possunt, rursus ordinare et reficere, nisi Deo adiuvante, non possunt. Quando igitur pax de caelo expectanda est, eam inde precibus omnibus devocare, cum crebra ad homines horta-

merita Nostra non valuerint, ne desistamus. Preces vero constanter, ut facitis, patrocinio commendemus Virginis beatissimae: ab Ea-;.pacem cum Christo mundus accepit; Eadem duce, in pacis possessionem, unde misere decessit, revertatur. Cuius rei auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, et theologis decurialibus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxix decembris **MCMXVII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD ALPHONSUM S. R. E. CARD. MISTRANGELO, ARCHIEPISCOPUM FLORENTINORUM, XXV ANNOS IN EPISCOPATU COMPLENTEM.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod de natali, qui appétit, quinto et vicesimo episcopatus tui comiter tuae voluntati voluntas repugnavit Fiorentinorum, cum eum tu malles praetermittere tacitus, illi vero concelebrare, ut ferunt tempora, gratum Nobis est; ac tuorum pietatem prae tua modestia valuisse, gaudemus. Filios enim occasioni non deesse, quam fausta dies affert, patri de se optime merito gratulandi, cum admodum decet, tum etiam prodest ad mutui amoris incrementum : eo magis quod merces tibi sentientes demisse animi manet integra. Bene autem in sollemnem eum diem, ad aedem principem, episcopalis cathedrae, quam tibi magnificentissime ista dioecesis obtulit, indicta est dedicatio: ita in sede honoris tui praeclarum monumentum, opere artificioque dignum maiestate loci, tuorum meritorum memoriam posteris commendabit. Nos vero communi gratülationi praeeuntes, concedimus ut in ea diei faustitate, post solemne sacrum, auctoritate Nostra, benedicas adstantibus, ac plenariam peccatorum veniam usitatis conditionibus largiare; simul Deum rogamus ut te lectissimis gratiae suae muneribus in annos plurimos expleat. Quorum auspicem ac praecipuae benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, tuoque clero et populo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvi mensis ianuarii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis Ssmus D, N. Benedictus Pp. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

1 ianuarii 1918. — Titulari episcopali ecclesiae Paleopolitanae praefecit R. P. D. Carolum Sica, hactenus episcopum Fulginatensem et eiusdem administratorem apostolicum.

2 ianuarii. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Caesariensi Mauritaniae R. P. D. Petrum Coelestinum Cézérac, hactenus episcopum Cadurcensem, deputatum in coadiutorem cum futura successione Revmi Archiepiscopi Albiensis.

i ianuarii. — Titulari episcopali ecclesiae Anthedonensi R. P. D. Aemilium Jiménez Perez, administratorem apost. Barbastrensem.

28 ianuarii. —• Cathedrali ecclesiae Spiritus Sancti R. D. Benedictum Alves de Souza, vicarium generalem Sancti Pauli in Brasilia.

— Cathedrali ecclesiae Caratingensi R. P. D. - Io.ach.im Mamede da Silva Leite, hactenus episcopum titularis Sebastiensem et auxiliarem Rmi Episcopi Campinensis.

— Cathedrali ecclesiae Tenedensi R. D. Ionam de Araujo Batinga, vicarium generalem Maceiensem.

— Cathedrali ecclesiae Portus Nationalis R. P. Vincentium Mariam Moreira, ex Ordine Praedicatorum Provinciae Tolosanae.

80 ianuarii. — Cathedrali ecclesiae Cenomanensi R. D. Georgium Grente, canonicum dioecesis Constantiensis.

II

NOMINATIONES

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt:

5 ianuarii 1918. — R. D. Iosephus Sagnori, rector Seminarii Signini, *Administrator Apostolicus dioecesis Alatrinae.*

18 ianuarii. — R. P. D. Paulus Iacuzio, archiepiscopus Surrentinüs *Administrator Apostolicus dioecesis Oaputaquensis et Vallensis.*

21 ianuarii. — R. P. D. Petrus Coelestinus Cézérac, archiepiscopus titularis Caesariensis Mauritaniae, *Administrator Apostolicus dioecesis Gadurcensis.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DIOECESIS *X* IN HISPANIA

DELIBERATIONIS CAPITULARIS

Die 17 martii 1917

SPECIES FACTI. — Quum, propter agendi rationem Canonici Magistralis, in cathedrali *X* communis pax et concordia passim perturbaretur, ceteri Capitulares, illius asperum et inquietum ingenium compescere volentes, die 5 maii 1905 unanimi suffragio decreverunt « ne « quisquam illorum in choralibus oneribus quavis de causa Canonicum « Magistralem gratis sufficeret aut substituere! ; si quis vero, contra hoc « agens decretum, illius substitutum absque retributione umquam se « exhiberet, hanc ipsam poenam subiret ». Huic decreto Canonicus Magistralis acquiescere visus est, quamvis, ut ipse ait, propositum animo foveret illud coram futuro Episcopo impetendi - veritus nempe ne Episcopus, qui tunc dioecesim regebat, contra eum praeventus, causam in eius praeiudicium diceret - attamen non modo quamcumque fraternam consuetudinem cum canonicis prorsus abrupit, sed quum praefato decreto cogeretur ad retribuendum substitutum pro choralibus oneribus, etiam quando pro munere suo conciones haberet, renuit quasvis alias con-

ciones, praeter duodecim taxative sibi assignatas in statutis Cathedralis, titulo gratuito, ut antea solebat, habere, id oneris refundens in socios.

HariC rerum condicionem novus Episcopus, qui anno 1914 dioecesis regimen suscepit, minime ferendam iure merito censuit, nihilque intentatum dimisit ut concordia inter Capitulum et Canonicum Magistralem restitueretur; quumque praecipuum huic salubri consilio impedimentum inveniret in praefato decreto capitulari, quod, ut iniustum, tolli prorsus Canonicus Magistralis postulabat, dum Capitulum illud tamquam contumacis animi aptissimum remedium, experientia quoque comprobatum, sustineri episcopali etiam auctoritate expetebat, controversiam demum, omnibus relatis ad rem facientibus, huic S. Congregationi subiecit enodandam, hoc proposito dubio : *An sustineatur decretum Capituli in casu, attenta ratione agendi Canonici Magistralis erga illud.*

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - Putant capitulares, qui acriter contendunt decretum in casu sustineri, non oportere ad rem evincere illud opportunum et efficax omnino fuisse: in factis enim est, ex tempore quo latum fuit, decem nempe annorum spatio, numquam Canonicum Magistralem communem pacem et tranquillitatem, ut consueverat, perturbasse. Hoc unum igitur assumunt ostendendum, decretum illud nequaquam iniustum, ut adversa pars clamat, fuisse. Enimvero eodem decreto nullum Canonici *ius* laesum fuit, sed tantummodo eidem, tamquam immerenti, *favor* denegatus. Quilibet enim Canonicus, praeter *peculiaria* onera suo officio incumbentia, sustinere cogitur etiam *communia* choralia onera et servitia, sibi per turnum obtingentia. Si quando itaque duplex hoc onerum genus adeo simul concurrit, ut alterutrum sit eligendum, ut v. g. in casu, si Canonico Magistrali obtingat per turnum onus Missae solemni in officio subdiaconi ministrandi, atque in eadem Missa teneatur ex suo munere canonicali concionem habere, electo alterutro genere, non cessat obligatio satisfaciendi alteri onerum generi; quo pacto ipse omnino cogitur substitutum sibi invenire, qui vice illius satisfaciat. Crebro quidem hae substitutiones fiunt gratuito, ex amicitia, favore, comitate aut mutua quadam conventione; sed per se substitutus habet *ius* exigendi retributionem pro opera praestita, ad quam profecto non ipse, sed substituens obligabatur. Haec, quae communia sunt et cuique perspicua apparent, in Capitulo cathedrali *X* peculiari statuto firmantur: quippe in deliberatione capitulari diei 28 mensis novembris 1892, unanimi Canonicorum consensu, statuta fuit quantitas seu taxa remunerationis, « qua fruerentur alii alios substituentes in officiis, quando « absentes fiunt, *etiam causa infirmitatis* ».

Stante igitur quod substituti *ius* habeant ad remunerationem ita definitam, nihil aliud statuerunt decreto de quo agitur Capitulares, quam sese nolle huic suo iuri cedere, sed eo uti velle, quando ageretur de ^substituendo Canonico Magistrali. Atqui, hinc, qui utitur iure suo neminem laedere dicendus est; inde vero quod socii ut singuli poterant erga Canonicum agere, id constituere potuerunt ut collegium. Nec tacendum, quum haec non solius Canonici Magistralis, sed communis omnium^ condicio sit, hunc potuisse et posse incommodum quod forte, culpa ceteroquin sua, inde sentit, compensare cum commodo quod sibi obvenit, dum a sociis, quos aliquando substituit, easdem vices rependens, congruam, ad constitutam taxam, retributionem exigit. Quidquid vero agat, concludunt capitulares, controversum decretum iniustitiae insimulare profecto non licet.

Ex adverso respondetur in primis nihil pro legitimitate huius decreti deduci posse ex eiusdem asserta efficientia: media enim etiam poenalia non solum efficacia et opportuna, sed legitima in se et iusta esse debent, ut naturalis ratio dictat. Ceterum, utpote ex praenotatis in facto liquet, decretum istud Capitulare originem etiam dedit deplorandis sane consectariis, de quibus tollendis praecipua quaestio in praesenti est.

Secundo animadvertit Canonicus non consistere in facto quod, sive in suo, sive in ceteris Hispaniae Capitulis, Capitulares et in specie Magistralis teneantur per alios satisfacere munera communia chori, quando, non ob alias causas, ut ex causa absentiae, de qua tantum agit statutum capitulare a. 1892 ex adverso citatum, sed ex praecisa *ratione officii .peculiaris praebendae annexi,* impediti manent. E contrario in hoc casu turnus, quoad communia choralia onera, suapte *transit* ad canonicum sequentem ; qui transitus non petitur ex favore, sed urgetur ex consuetudine, quae vim legis habet.

Quae omnia profecto omnino consonant communi iuris praescripto communique doctorum sententiae. Sufficiat haec ex De Herdt *(Prax. Capit.,* cap. XXVIII, § 10, n. IV) exscribere : « Canonici, ex iusta causa « absentes, *non tenentur relinquere substitutum,* ac per hunc interim inser- « vire, non obstante immemorabili consuetudine, prout a S. C. C. declara- **re** tum fuisse refert Garcias *(De Benef.,* p. III, c. % n. 197) et *millies resolu- « tum* affirmat Fagnanus (in III Decret., c. *Nulla,* de concess. praebendae, « n. 73); cfr. Reiffenst., lib. III, tit. IV, n. 123, Ferraris, v. *Canonicatus,* « art. V, n. 40, etc. ». At vero, nulla profecto iustior causa datur, quam officiorum incompatibilitas physica, qua Canonicus impeditur ab explendo munere per turnum ei obtingente eodem tempore quo munus peculiare sui officii vel praebendae exercere tenetur. Si itaque nullo modo cogitur

relinquere substitutum, multo minus suis expensis invenire, multoque etiam minus impediri quilibet poterit, salva iustitia, ne substitutum se illi praestet.

Urgetur generale istiusmodi argumentum si ipsa attendatur indoles muneris Canonici Magistralis. Quamquam enim peculiare hoc nomen sit Hispanis, attamen munus illud convenire satis videtur et aequiparandum muneri communiter cognito Canonici Theologi. Ita Pax Iordanus, citatus a Petra *(Comm. ad Const. II, Innoc. IV, n.* ***43)*** : « parifican dicit Ganoni- « cum Magistralem et Doctoralem cum Theologali », cfr. Rota in dec. 293, lib. III coram Puteo. ' Ceterum idipsum facile evincitur si conferantur cum officiis canonici Theologi quae de munere Canonici Magistralis habent scriptores hispani, v. gr. Lafuente *(Eccles. Discipl. Lectiones,* iect. 33 : « auxilium ferre Episcopo in praedicationis munere ») ; Agui- «lar *(Scientiae Iurid. Compendium,* ed. Il, p. 219: conciones ad populum « habere diebus a statutis capitularibus praescriptis »), nec non quae praescribuntur in Conciliis Toletan, (sess. III, cap. IV, *de ref.),* Compo- stellano (sess. II, cap. XXV), etc. His praemissis, certissimum est quod ex multis colligit De Herdt (op. cit., p. I, cap. IX, § 1): « Theologus, « diebus quibus lectionem habet, non tantum a choro, sed etiam liber « est ab aliis officiis, ut diaconatus et subdiaconatus », et patet ex innu- meris H. S. C. resolutionibus, signanter ex *Urgellen.,* 17 aprilis 1721 et 15 dec. 1725 quae, ut refertur a Pallottini (v. *Canonicatus,* VIII, n. 349), mirum in modum casui nostro aptatur: « S. C. die 18 apr. 1721 respondit « quod Carolus Aparte, qui erat Canonicus Theologus *seu* Lectoralis ... « esset *exemptus* ab officio diaconali exercendo diebus quibus ratione « muneris Theologi eximitur a choro, *et quod hoc ipsum procederet quoad « alios dies quibus per se ipse concionem haberet* ... Propositis itaque « dubiis: I. An sit standum vel recedendum a decisis, ... S. C. respon- « dit: Ad T: *In decisis».* Porro, si Canonicus Theologus, et a pari Magistralis, *liber, exemptus* esse debet a choro, et a praestandis aliis officiis, v. g. diaconatus et subdiaconatus, diebus, vel saltem tempore, quo concionem habet, manifestum est non teneri eum ad praestanda *per substitutum* eadem officia, et ad hoc velle eum cogere, immo velle eum adigere ad haec praestanda per substitutum eius expensa omnino retribuendum, esse apertam iniustitiam, gravemque iuris laesionem.

Ex officio, praemisso quod non necessario obiectum decreti, seu inhibita substitutio, videatur coarctandum ad casum quo Canonicus impediretur a munere propter officium suae praebendae peculiare, nimis enim absurdum redolet quempiam propter unicum titulum idemque beneficium ad incompossibilia simul eodemque tempore obligari, - ac

propterea posse rationabilius intelligi de aliis substitutionibus ex quacumque *alia* absentiae causa quandoque necessariis; generalis tamen consideratio subdebatur, circa formam seu ritum praetensi decreti Capitularis. Videlicet decretum illud a Capitulo deliberatum fuit ad formam statuti permanentis, quod obligaret omnes Canonicos, non solum qui decreto consenserunt, sed et alios qui successive cooptandi essent. At vero, certissimum est non habere Capitulum ius et facultatem talia statuta condendi inaudito et non approbante Episcopo : de cuius approbatione in casu non constat. Quapropter nec proprium decreti nomen huiuscemodi deliberationi convenire posse videtur.

Praeterea, deliberatio haec continet obligationem et poenam, non solum in Canonicum Magistralem, sed et in ceteros, qui eidem favorem substitutionis gratuitae praestare vellent. Atqui pariter certum est non esse Capitulo facultatem obligationes et poenas constituendi extra eas quae in capitularibus statutis continentur.

Attendendum quoque est deliberationem istam sancivisse quodpiam omnino exceptionale, non commune, in odium unius Canonici; dum e contrario « statuta Capitularia debent esse communia et aequalia omni- « bus et singulis Canonicis: cap. *ex parte* tit. de privilegiis; etenim, ubi « est una fides mentium, una debet esse pietas actionum », ut perbelle scribit Ceccoperius *(Lucubr. canon.,* 1. IV, t. XIII, n. 26). Nec satis relevare videtur, quod necessarium et opportunum fuerit Canonicum in casu contumacem coercere: non deerant enim legitimae et iustae disciplinares normae, in statutis peculiaribus aut saltem in iure communi perspicuae, quibus id consultius ac etiam efficacius obtineri posset, sive per Capitulum, sive, multoque melius, per Ordinarium.

RESOLUTIO. - Porro hisce relatis in plenario S. C. conventu habito in Palatio Vaticano die 17 martii 1917, Emi ac Rmi Patres, reformato dubio in hanc formulam : « An deliberatio Capitularium sustineatur in « casu » responderi mandarunt:

« Negative et ad mentem. *Mens est:* Episcopus iniungat Canonico Magistrali ut retractet iniurias et se gerat ea qua decet charitate erga confratres Canonicos; et, quatenus in sua pervicacia permaneat, eum compescat per media disciplinaria ».

Facta postmodum SSmo Dno Nostro Benedicto Div. Prov. PP. XV relatione, in audientia infrascripto Secretario concessa, die 19 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbare et confirmare dignata est.

I. MORI, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

AUGUSTODUNEN.

DECRETUM CANONIZATIONIS BEATAE MARGARITAE MARIAE ALACOQUE, VIRG., MONIALIS PROFESSAE EX ORDINE VISITATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet, post indultam eidem Beatae venerationem, in casu et ad effectum, de quo agitur?

Medias inter acerbitates, ruinas atque caedes turbulentissimae huius tempestatis, vix dicto est opus, quanto perfusi erunt gaudio Christifideles totius catholici orbis, quum ad eos perlatum erit nuncium, causam Canonizationis Beatae Margaritae Mariae Alacoque iam in eo esse, ut diu vehementerque exspectatam exitum sortiatur.

Magnam quippe coniunctionem qui parumper attendat animoque revolvat, quae extitit atque eminet inter Beatam Margaritam Mariam Alacoque atque sacratissimo Cordis Jesu cultum, facere profecto non potest, quin ex hodierni eventus faustitate insimul levissimoque negotio coniiciat, tam humanae naturae consentaneam tamque frugiferam erga sacratissimum Cor Iesu devotionem posthac mirum in modum auctum iri, eiusdemque devotionis incrementum adeo conspicuum contingere existimet tempori magnopere opportunum.

Equidem, si umquam alias, at hodie certe, percrebrescente in dies rerum, quae supra naturae ordinem sunt, despicientia et oblivione, earumque in locum immoderata succedente atque praepotenti terrestrium bonorum cupiditate, iniqua haec et exsecrabilis, quae patrata fuit, subversio, eo ipso quo homines abalienaverat Deo, uti valde proclive erat, immo prope necessarium, hanc inter illos invexit disseminavitque uberem odiorum messem, ut *gens contra gentem surr exerit et regnum adversus regnum.* Quocirca, furoris civilis undique flagrantibus incendiis, audita est, altiusque, quo fieri poterat, personuit divina illa vox: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* (Luc. XII, 49), ipsius nempe Christi Redemptoris vox, opponentis ignem caritatis teterrimis irarum flammis atque vitiorum, revocantis homines ad

mutuum amorem atque concordiam, proposito suimet exemplo : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (Matth., XI, 29).

Huc sane proprie vereque spectat sanctissimi Cordis Iesu religio. Quo enim tempore multorum valde refriguerat caritas, ob gliscentem praesertim Iansenii haeresim, quae maiestatem divinam velut imperviam humano generi effinxerat, dives in misericordia Deus, qui Ecclesiae suae numquam se defuturum spopondit, eique idcirco, saeculorum experientia teste, praesentissima, iuxta multiplices variasque rerum vicissitudines, sapienter provideque praesidia suppeditare non destitit, infiniti sui amoris thesauros visibiliter quodammodo hominibus reserare fuit dignatus, pone subiiciens in eorumdem oculos Cor illud sacratissimum, quod ab Incarnatione Verbi ad mortem Crucis tot tantaque signa dederat, nimis perspicua, ardentissimae erga homines caritatis.

Circa vero religionis formam, quae in cultu sanctissimi Cordis Iesu versatur, notae sunt partes, quas sibi tributas fuisse intellexit agnovitque, superno afflata lumine, soror Margarita Maria Alacoque, notusque est modus, quo eisdem adimplendis toto illa pectore incubuit, duce ac magistro venerabili Famulo Dei Claudio De La Colombière. Qui sanctitatis, qua discipula emicuit vitaeque spiritualis filia, non modo spectator fuit atque testis, sed sanctitatis eiusdem eximium se probavit aemulatorem, quemadmodum insigni praeclaroque documento extant heroicae ipsius venerabilis Claudii, solemni Apostolicae Sedis iudicio, iamdiu probatae virtutes.

Quod autem, alacriter aggressa quum fuerit soror Margarita Maria, dum vixit, gessit perfecitque munus, omni studio omnique nisu erga divinum Cor Domini Nostri Salvatoris venerationem ac pietatem in fidelium animis excitandi, pretiosum post illius obitum, idem, potiori etiam suffultum auctoritate, prosecuta est munus causa Beatificationis, quae de eadem Margarita Maria iudiciali ritu coepta est agitari. Utque exspectandum erat, pari propemodum gradu cum cultu sacratissimi Cordis Iesu illa incessit; communes namque cum eodem planeque indivisos tum adversos tum secundos experta est casus ita nempe, ut fastigium, quod anno millesimo octingentesimo sexagesimo quarto, per Beatificationis solemnia, impositum causae fuit, subsecuta evectio sit ad ritum duplicem primae classis, pro universa Ecclesia, festi sacratissimi Cordis Iesu, nec non suavis adeo et puicherrimae huius devotionis longe lateque mirabilis diffusio atque propagatio. Idque universo christiano populo saluberrimum maximeque fructuosum extitisse, satis experiendo cognitum compertumque quum fuerit, ideo, ut quae, nondum a Beatiti-

catione expleto biennio, inita iam fuit, fauste feliciterque expediatur causa Canonizationis, praeeuntibus sacrorum Antistibus, supplices ingeminataeque Romano Pontifici admotae sunt preces, incensa nuncupata sunt vota. Quae quidem vota precesque mirifice fortunare ipse visus est Deus, editis de caelo signis atque prodigiis; eaque inter binae, quibus opus erat, ad cognoscendum propositae fuerunt sanationes, quas veri nominis miraculo esse adsignandas, easque, suffragante Beata Margarita Maria Alacoque, a Deo, naturae auctore, fuisse patratas, disceptatio ostendit, quae quadruplici actione fuit instituta.

Primum siquidem de re agitata est quaestio in Congregatione antepraeparatoria, secundo ac tertio in duabus subinde Congregationibus praeparatoriis, quarto denique in Congregatione generali, die quarta superioris mensis decembris, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV coacta. In qua a Reverendissimo Cardinali Antonio Vico, causae Relatore, sequens ad discutiendum propositum est Dubium : *An et de quibus miraculis constet, post indultam Beatae Margaritae Mariae Alacoque venerationem, in casu et ad effectum, de quo agitur?* Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores sua quisque suffragia ediderant, quae Sanctissimus Dominus noster intento persecutus quum fuisset animo, supremum iudicium Suum de more prorogandum duxit, cunctosque, qui aderant, est adhortatus, ut férvidas interea funderent Deo preces.

Hodierno autem auspicatissimo die, quo tres Sapientes Deum Puerum adoratum perrexerunt, sacris mysteriis piissime celebratis, ad Vaticanas aedes arcessiri iussit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Pro-Praefectum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter pronuntiavit: *Constare de utroque proposito miraculo;* de primo scilicet *instantáneas perfectaeque sanationis Aloisiae Agostini Coleschi a transversa meningo-mielite chronica in regione lumbari,* deque altero *instantaneae perfectaeque sanationis Antoniae comitissae Astorri viduae Pavesi.a neoplasmate papillari dextero.*

Hoc Decretum publici iuris fieri et in acta sacrae rituum Congregationis referri mandavit octavo idus ianuarias, anno MGMXVIII.

✠ A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Pro-Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

DUBIA CIRCA OCTAVAS SIMPLICES.

A Sacrorum Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutio expostulata fuit, nimirum:

I. An Decretum S. R. C. diei 7 augusti 1914, ad % statuens quod si infra Octavam simplicem Nativitatis B. M. V. dicenda sit Missa votiva eiusdem **B.** M. V., legatur Missa ut in festo Nativitatis B. M. V. cum Gloria, sed sine Credo, extendatur ad alias infra Octavas simplices?

Et, quatenus *affirmative:*

II. An infra Octavam simplicem, de qua peragenda non est Commemoratio in Officiis occurrentibus, omitti debeant Suffragium et Preces?

Et, quatenus *negative:*

III. An saltem in Officio diei Octavae simplicis omitti debeant Suffragium et Preces?

IV. An Symbolum, dicendum in Missa festi, ratione non Dominicae aut Octavae, sed ipsius Festi, in Missa diei Octavae simplicis eiusdem Festi omitti debeat?

V. An Praefatio propria Missae Festi, legi etiam debeat in Missa diei Octavae simplicis eiusdem Festi?

Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, reque accurate perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative,* iuxta Rubricas novi Breviarii Typici.

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit et declaravit, die 18 ianuarii 1918.

i$(ANTONIUS CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Pro-Praefectus.

Alexander Verde, *Secretarius.*

AGTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

LUGDUNEN.

NULLITATIS MATRIMONII (GUENARD-IAVELLE)

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die 2 aprilis 1917, BB. PP. DD. Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, Ponens, *Raphael Ghimenti et Maximus Massimi, Auditores de turno, in causa* Lugdunen. - Nullitatis matrimonii, *pro appellatione Defensoris vinculi matrimonialis ex officio Curiae Lugdunen., inter* Margaritam Guenard, *repraesentatam per legitimum procuratorem Nazarenum Patrizi, advocatum, et* Iosephum Iavelle, *interveniente et disceptante in causa Substituto vinculi Defensoris ex officio nostri Tribunalis, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Margaritae Guenard Lugduni degenti primum a Domina Belgrand, quae familiae Guenard amicitia fruebatur, deinde a matre propositum fuit coniugium cum Iosepho Iavelle. Propositas nuptias utraque vice respuit Margarita. At mater non suasionibus tantum, sed iurgiis, minis ac verberibus obtinuit, ut matrimonium die 24 novembris 1890 celebraretur in pago Semur-en-Auxois dioecesis Divionen., dum sponsa undeviginti et sponsus triginta erant annorum. Haud faustum exitum nuptiae sortitae sunt, praesertim quia vir, professione Notarius, valde luxuriosus erat, antiquos fovebat amores cum sua amasia, a qua filium genuerat, et proprium negligens officium debitis quotidie onerabatur. Hisce de causis a tribunali civili primum obtenta fuit separatio bonorum (1902), deinde corporum (1907) et demum, instante sponsae leviro, divortium (1912). Interea infirmariae munus agens Margarita apud provectioris aetatis virum evenit, ut infirmus infirmariae captus amore, cum ea civile, ut aiunt, matrimonium contraxerit. Deinde Margarita, cupiens conscientiae suae consulere, matrimonii ab ea initi cum Iosepho Iavelle nullitatis declarationem ex capite vis et metus petiit a Curia Lugdunensi, quae die 3 decembris 1915 sententiam tulit actrici favorabilem.

Ab hac sententia, prouti de iure, appellavit vinculi defensor Curiae Lugdunensis ad H. S. Auditorium, et hodie causa iterum discutienda proponitur sub consueta formula dubii: *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Ius quod spectat. - Patres adnotarunt matrimonium celebratum sub influxu metus nullum esse, saltem iure canonico. Aperta enim est dispositio Alex. III, in cap. 14, tit. *De Sponsalibus et matrimoniis*:« Cum locum « non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ubi « assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimo- « nium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena « debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per « timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis « solet nuptiis provenire ». Non cuiuslibet autem metus habenda ratio est. Metus enim ex communissima Canonistarum doctrina debet esse : *a)* gravis, seu cadens in constantem virum, pro illa saltem persona, quae timet; *b)* iniustus; c) extrinsecus; et *d)* directus ad extorquendum consensum matrimonialem. Quod aptandum quoque est. metui, quem vocant, reverentialem, qui originem nempe ducit ex reverentia ei debita, cui quis subiicitur, dummodo fuerit qualificatus; i. e. dummodo metui adiiciantur preces instantes, increpationes, aspera verba, etc., uti constanter tenuit H. S. Tribunal.

Modo ad factum. - In primis ex actis constat Margaritam Guenard nunquam habuisse intentionem et propositum matrimonii contrahendi cum Iosepho lavelle, sed animum ab eo quam maxime alienum verbis et factis constanter manifestasse. Scitum autem est existente animi aversione violentiam praesumi et libertatem arceri, ut tenuit S. Rota in dec. 326 c. Ludovisio et tradit Cosci, *De separ. thor.*, I, cap. 8, n. 54 scribens: « Ex parte mulieris per testes dicitur probatus metus, si depo- « nunt... de ipsius aversione erga coniugem ante et post matrimonium ». Suam aversionem in I. lavelle Margarita verbis et factis manifestavit. Et primo loco verbis. « Elle, ait Maria actricis soror, a constamment « manifesté à moi, et à ceux qui l'approchaient, qu'elle aimerait mieux « ne pas se marier que d'épouser cet homme ». Institutrici autem Mariae Ludoviçae Marcorelle frequenter dicebat: «Il (sponsus) me dégoûte.... « Jamais je ne m'y ferai... disait-elle. Si je pouvais me dérober à ce « sort, je le ferais ». Eadem habet Isidoras Donat, amicus familiae Guenard: « Elle m'a dit souvent qu'elle ne l'aimait pas et qu'elle ne le « voulait pas pour mari... Je tachai de lui en faire voir les avantages (pro-

« positi matrimonii), mais elle résista toujours ». Et M. Elisa Maillard: « Elle m'a toujours manifesté sa repulsion pour M. Iavelle ». Quae repugnantia tam gravis ecat ut filios a Iosepho Iavelle animo et corde execrabatur: « Elle, deponit M. Marcorelle, m'a dit a moi, comme à toutes les « amies, qu'elle ne voulait pas d'enfants de M. Iavelle. *Elle aimait beau- « coup les enfants,* mais n'en voulait pas de cet homme ». Quod confirmat I. Donat: « C'est par antipathie pour M. Iavelle qu'elle ne voulait «pas d'enfants et de lui seulement». Verbis facta omnino consonant. Continuae erant Margaritae lacrymae, ut asserit M. Marcorelle : « Tous « les jours je lui voyais les yeux rouges » et genuflexa matrem adprecabatur, ne eam ad nubendum I. Iavelle cogeret; quod testatur M. Guinard: « S'était jetée à genoux pour la supplier de ne pas l'obliger à « épouser M. Iavelle ».

Neminem deinde latet quae et quanta sit nupturientium propriorum paraphrenorum cura; at Margarita, durantibus sponsalibus, de paraphrenis nec cogitare voluit, negotium penitus matri relinquens. Ad rem hoc factum narrat actricis soror: « Elle ne s'est jamais occupée de son « trousseau. Je me souviens en particulier d'une scène à ce sujet. Nous «étions en salle d'étude, ma sœur, Mlle Marcorelle, notre professeur et « moi. On vint demander un détail de trousseau à ma sœur. Elle repondit « que ma mère ayant tout comandé, il fallait s'adresser à elle pour « cela». Quia ut addit testis Marcorelle: «Tout ce qui me rappelle ce « mariage, me fait horreur ». Comitata quidem est Margarita matrem petentem Parisios ad emenda necessaria pro matrimonio, sed, iuxta testem citatum, « ne voulait s'occuper de rien ». Tandem ex praefato testimonio scimus annulum sponsalitium nunquam gestare voluisse: «Elle « n'a jamais voulu porter le bague de fiancée, ni son alliance ». Idem referunt Marcorelle, Maillard et Marlet.

Mirandum non est de tanta antipathia et fastidio Margaritae in Iosephum. Illa enim erat « distinguée, extrêmement intelligente, très fine, « très bonne ». Hic autem, referentibus coniugibus Egraz: « Avait un « physique digracieux, des manières vulgaires, c'était un noceur... un «lourdaud rongeaud, digracieux, negligé dans sa tenue... d'une intelli- « gence très ordinaire, et sans goût pour les choses de l'esprit ».

Non obstante hac Margaritae aversione, eius mater matrimonium obstinate volebat non solum propter exageratam eius ambitionem collocandi filiam in matrimonio ante alias coetáneas omnes, sed etiam quia, cum familia Guenard esset in pago Semur honorata, matri bonum pro filia videbatur ut ibi maneret. Hinc*cum suasionibus ac consiliis vincere non posset filiae repugnantiam: I° proprium virum, antea matrimonio

contrarium, ad se adversus filiam traxit: « Elle montait, ait actricis « soror, la tête à mon père » et Isidorus Donat : « Il (pater) fini par « prendre parti contre elle »; 2° impedivit quominus Margarita cum aliis, imo et cum ipsa sorore, communicaret. En quid haec deponit: « Ma « mère... nous sépara pendant une dizaine de jours. Elle empêcha aussi « ma sœur, pendant un mois, de voir la famille Maillard qu'elle frequen- **te** tait deux fois par semaine. Elle me faisait des reproches constamment « de soutenir ma sœur » ; 3° posita sequestratione, mater facilius potuit in filiam suam exercere auctoritatem per increpationes, minas et percussiones, quae toto sponsalium tempore perdurarunt. Hoc testantur fere omnes testes excussi. Ita saepius citata actricis soror: « Elle ne la « menaça pas de la chasser de la maison, mais la menace du couvent fut « reitérée constamment près de six mois jusqu'aux fiançailles. Plusieurs « fois elle souffleta ma sœur en ma présence.... Je me souviens d'une « scène violente, que nous fit ma mère une nuit. Elle nous entendit « causer du mariage de ma sœur et surprit à la porte les protesta- « tions qu'elle me faisait. Elle entra brusquement, arracha ma sœur du «lit et la frappa violemment. Elle alla chercher mon père qui arriva « furieux et frappa ma sœur lui-même ». Et testis Marcorelle: « Presque « chaque jour Marguerite à mon arrivé me disait: '* J'ai eu encore une «scène avec ma mère,,. Elle la menaçait de l'enfermer au couvent. « Plusieurs fois même elle lui dit: " Ce n'est pas au couvent qu'il faut « l'enfermer, c'est dans une maison de fous „. Et l'appellait fille déna- « turée ». Et inferius: « J'ai vu plusieurs fois de traces de violence sur «les poignets de Marguerite, et cette enfant me disait: "Ma mère m'a « encore serrée les poignets „. Elle m'a dit souvent que sa mère l'avait « souffletée ». Eadem habent Donat, Maillard et Marlet.

His accedit confessio matris Margaritae, quae maximi facienda est, cum in causis matrimonialibus confessio eorum, qui metum incusserunt, sit omnibus aliis testibus praeferenda, cum deponant de facto proprio. Iamvero Cecilia Bonnet in saeculo, soror Adulpha in religione, infirmaría apud familiam Guenard, haec habet: « Elle (mater Margaritae) m'a dit « souvent, quand je la soignais: " J'ai un regret mortel d'avoir forcée «ma fille à se marier „. Elle en avait des remords de conscience doulou- « reux. Au moment d'une Mission, elle avait confié à un Missionnaire, « le P. Dunoyer, ses peines, qui lui étaient comme un desespoir, et le « Missionnaire avait dû l'encourager beaucoup. Elle disait:" Je l'ai forcée «à se marier cette petite „.... Elle m'a avoué qu'elle avait tout fait « pour contraindre sa fille à ce mariage ; même qu'elle l'avait frappée, et « l'avait fait frapper par son mari.... " Je l'ai fait marier, cette enfant; elle

« l'a fait parce que je le lui ai fait faire: elle ne voulait pas cet homme,, ». Et testis Donat: « Dans ses lettres Mme Guenard m'a avoué plusieurs « fois, qu'elle regrettait d'avoir contrainte sa fille à ce mariage ». Tandem Dña M. Lambert Detrey: « Toutes les fois qu'elle est venue me voir « après le mariage, Mme Guenard n'a cessé de déplorer devant moi « d'avoir contraint sa fille à épouser M. Iavelle. Elle me disait qu'elle «en était malade; et en apprenant sa mort, ma première pensée fut «qu'elle était morte de chagrin d'avoir fait le malheur de sa fille».

Ceterum haec agendi ratio Dominae Guenard respondebat eius indoli et caracteri; habebat enim, uti deponit soror Margaritae, « un « caractère autoritaire, dominateur et même orgueilleux. Tout le monde « pliait devant elle, même mon père. C'est ma mère qui gouvernait tout. « Nous, les enfants, nous n'essayons même pas résister ». « Son carac- « tère, addit Marcorelle, était complexe. Extrêmement aimable, quand « elle le voulait; elle était généralement capricieuse, et surtout très auto- « ritaire, ne souffrant aucune autre autorité dans la maison que la « sienne ». Nec aliter testatur Donat: « Elle était sévère avec ses filles, « et par intermittence sa sévérité allait jusqu'aux éclats et à la violence, « même à la brutalité ». Ex adverso Margarita ab omnibus testibus dici- tur. «rTrès souple, très obéissante, incapable de lui (matri) résister..... « son caractère avait été absolument pétri par sa mère ».

Cum itaque actrix resistere non posset matris imperio et, quocumque destituta foret auxilio et medio ad voluntatem matris flectendam, ut se a matrimonio contrahendo cum Iavelle liberaret, saepe de morte cogi- tavit. Hoc asserunt Maillard, Marcorelle et soror actricis, quae deponit: « Elle m'a dit souvent qu'elle aimerait mourir.... Elle me disait, auprès « d'une voie de chemin de fer: " J'aimerais mieux me jeter sous un train, « que de me marier „. Ce propos elle me l'a répété journellement».

Haec constans sponsae repugnantia et matris coactio usque ad diem celebrationis matrimonii perdurarunt. Ad rem Donat: « Il y avait un anti- « pathie naturelle, qui alla s'aggravant à mesure qu'elle le connaissait « davantage et qu'on la pressa de l'accepter ». Et M. Marcorelle: « Ses « dispositions à l'égard de M. Tavelle étaient aussi mauvaises que pos- « sibles et jamais elles n'ont varié.... Plus le moment s'approchait, plus « elle était effrayée ». Quod confirmat Maillard: « Plus la date du mariage « approchait, plus elle était triste, elle avait l'air d'une condamnée, qui se « consume de chagrin ». Nil proinde mirum si die matrimonii actrix tristem omnino se praebuerit. Immo, ut refert eius soror: « Elle avait « l'air d'une condamnée à mort. Cette attitude a été très remarquée « par les assistants ». Hinc citata Marcorelle: «Toute la journée du

« mariage, Marguerite fut triste. Je n'ai assisté qu'à la messe.*> Et paulo ante interrogata a iudice: «Croyez-vous que Mlle Guenard a donné à « l'Eglise un libre et plein consentement ou au contraire un consen- « tement forcé, sous l'empire de la crainte et des menaces? » reposuit: « Pour sûr Marguerite a donné un consentement forcé sous l'empire de « la crainte et des menaces ».

Initis nuptiis, cessavit quidem coactio, sed perseveravit aversio Margaritae in virum. Constat enim ipsam post voluptuarium nuptiarum iter interrogatam fuisse a propria institutrice: « Etes-vous contente? Avez- « vous bien de plaisir? ». Cui Margarita: « Du plaisir? Oh combien sou- « vent j'ai dit:" Si le train pouvait m'écraser! „ ». Scimus etiam a Domina Marlet Margaritam nunquam I. lavelle maritum appellasse: « Jamais je « ne lui ai entendu dire: " mon mari „, mais seulement " lui „ ». Ulterius in Margarita, etiam post initas nuptias, propositum perseveravit filios non suscipiendi a I. lavelle, prouti refert mox citata testis Marlet: « Je « reçus, avant et *après* le mariage, cette confidence: qu'elle n'aurait jamais « cl'enfants de son mari, parce qu'elle les exécrerait comme lui ». Eadem habet monialis Bonnet, infirmaría, hoc factum narrans: « Environ un « an après le mariage, la Supérieure de ma communauté, étant'à l'étude de « M. lavelle, lui demanda s'il n'avait pas d'enfants. Il repondit: " EÌle n'en « veut pas. Priez pour nous parce qu'elle ne m'aime pas „ ». Tandem, cum Margarita in morbum incidisset, qui perduravit per integros octo menses, monialis infirmaría, eius soror Maria Egraz et M. Marcorelle causam morbi tribuere « au chagrin qu'elle ressentait de ce mar age », praesertim quia Margarita nec a longe' suspicabatur matrimonii sui nullitatem; ait enim. « Je pensais bien néanmoins queje faisais un mariage indis- « soluble. Je croyais que c'était fini, que je serais malheureuse toute ma « vie ». Ex quibus verbis explicatur quoque cur citius matrimonium non fuerit abruptum, et cur potius ex sponsi, quam ex sponsae voluntate, hoc acciderit.

Omnia igitur adiuncta in caso, sive antecedentia, sive concomitantia, sive subsequentia matrimonii celebrationem in tuto ponunt matrimonium initum a Margarita Guenard cum iosepho lavelle fuisse celebratum sub metu gravi saltem reverentiali.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et sententiamus: ***Constare** de matrimonii nullitate in casu,* seu ad propositum dubium'respondemus: *Affirmative.*

Quare mandamus Ordinariis locorum et ministris Tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni demandent hanc nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De reform.,* Concilii Trid., iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 2 aprilis 1917.

Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, *Ponens.*
Raphael Chimenti.
Maximus Massimi.

Ex Cancellaria, 14 aprilis 1917.
Sac. T. Tani, *Notarius.*

PONTIFICIA COMMISSIO
AB CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

DE DUBIORUM SOLUTIONE.

Commissio a Summo Pontifice instituta ad Codicis canones authentice interpretandos, in plenario coetu die 9 dec. 1917 habito, statuit respondendum esse tantum dubiis propositis ab Ordinariis, a Superioribus maioribus. Ordinum et Congregationum religiosarum, etc., non vero iis quae proponantur a privatis personis, nisi mediante proprio Ordinario.

Romae, 9 decembris 1917.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses.*

Aloisius Sincero, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 15 gennaio 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione Ordinaria, nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie:

1. Introduzione della Causa di beatificazione e canonizzazione della Serva di Dio Anna Maria Lapini, Fondatrice dell' Istituto delle Povere Figlie dalle Sacre Stimmate.

2." Conferma del culto da tempo immemorabile prestato al Servo di Dio Nonio Alvarez Pereira, Laico Professo dell' Ordine dei Carmelitani Calzati.

3. Approvazione e concessione della Messa e dell'Officio proprio in onore della Beata Anna da S. Bartolomeo, religiosa professa dell'Ordine dei Carmelitani Scalzi.

4. Intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Maria Assunta Pallotta, religiosa professa dell'Istituto delle Suore Francescane Missionarie di Maria.

5. E alla revisione degli scritti del Servo di Dio Domenico Spatafora, Sacerdote professo dell'Ordine dei Predicatori.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

11 gennaio 1918. L'Emo signor cardinale Antonio Vico, *Protettore dell'Istituto delle Ancelle dell'Immacolato Cuore di Maria, di Lérida.*

» » » I Rmi PP. Alberto Grammatico, dei Carmelitani dell'Antica Osservanza, e Francesco Laner, dei Frati Minori Conventuali, *Consultori della S. Congregazione dei Sacramenti,*

24 » » Rmi PP. Stefano Ignudi, dei Frati Minori Conventuali, e Antonio Delpuch, dei Missionari d'Africa, *Con* sultori della S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.*

25 gennaio 1918. **Il Rmo P. Tommaso Rodríguez, Priore Generale dei Romitani di Sant'Agostino,** *Consultore delia S. Congregazione Concistoriale.*

26 » » **Mons. Garlo Pietropaoli, arcivescovo tit. di Galcide,** *Consultore delia S. Congregazione dei Sacramenti e delia S. Congregazione degli affari ecclesiastici straordinari.*

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di promuovere:

5 gennaio 1918. **Mons. Clemente Micara,** *da Uditore di Nunziatura di seconda classe a Uditore di prima classe.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistenti al Soglio Pontificio :

20 dicembre 1917. **Mons. Riccardo Lacy, Vescovo di Middlesborough/**
17 gennaio 1918. **Mons. Claudio Bardel, Vescovo di Séez.**

Protonotari apostolici **ad instar participantium :**

21 dicembre 1917. **Mons. Crescente Errazuriz, dell'archidiocesi di Santiago del Cile.**
22 gennaio 1918. **Mons. Francesco Negroni, della diocesi di Acqui.**
» » » **Mons. Angelo Luigi Lepeltier, dell'archidiocesi di Rouen.**

Prelati Domestici di S. *S.:*

13 agosto 1917. **Mons. Carloto Fernandes da Silva Tavora, dell'archidiocesi di Marianna.**
8 gennaio 1918. **Mons. Alessandro Tonnarelli, della diocesi di Matelica.**
17 » » **Mons. Emilio Périer, dell'archidiocesi di Rouen.**
» » » **Mons. Ernesto Prudent, della medesima archidiocesi.**
19 » » **Mons. Zeffirino Lahaye, della diocesi di Nicolet.**

ONORIFICENZE

»

Con Brevi apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

30 dicembre 1917. **Al sig. Eugenio Cisterna, della diocesi di Albano.**
3 gennaio 1918. **Al sig. Edoardo Cash, della diocesi di Leeds.**
17 » » **Al sig. Paolo Gilles Guillard, dell'archidiocesi di Rouen.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

19 dicembre 1.91.7. Al sig. dott. Carlo Decristoforis, della diocesi di Casale.
30 » » Al sig. Rodolfo Klein, dell'archidiocesi di Vienna.
4 gennaio 1918. Al sig. Vittore Lespine, dell'archidiocesi di Tolosa.
17 » » Al sig. Edmondo Giorgio Morin, dell'archidiocesi di Rouen.
» » » Al ßig. Ludovico Delamare, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Antimo Donnay, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Carlo Pietro Desiderato Gonet, della medesima archidiocesi.
23 » » Al sig. Francesco Turchi, di Roma.

La Commenda con Placca dell' Ordine di S. Silvestro Papa:

15 gennaio 1918. Al sig. Giovanni Franco Monteiro, del Patriarcato di Lisbona.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

18 giugno 1917. Al sig. Stanislao Szwajkart, dell'archidiocesi di Chicago.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ *

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rina Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S.:

7 dicembre 1917. Mons. Balduino Migliarese, dell'archidiocesi di Benevento.
31 » » Mons. Carlo Smith, della diocesi di Plymouth.
» » » Mons. Cesare Pecorari, aiutante di studio nella S. Congregazione di Propaganda Fide.
4 gennaio 1918. Mons. Federico Northcote, della diocesi di Southwark.
10 » » Mons. Lino de Sousa, della diocesi di Cochim (Indie Orient).
» » » Mons. Teodorico De Angelis, dell'archidiocesi di Benevento.
25 » » Mons. Emilio Alvarez Martínez, della diocesi di Osma.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

4 gennaio 1918. Mons. Gregorio Rensing, della diocesi di Münster.
18 » » Mons. Gaetano Delafontaine, della diocesi di Rouen.
25 » » Mons. Leone Morancé, della diocesi di Mans.

NECROLOGIO

23 gennaio 1918. Mons. Luigi Lazzareschi, arcivescovo tit. d'Iconio.

Annus X - Vol. X **1 Martii 1918** Num. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP, XV

APOSTOLICAE SUB PLUMBO LITTERAE

DE DIOECESIS LEÍRIENSIS RESTITUTIONE

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo vehementius Apostolica Sedes doluit, cum rerum circumstantiae, die trigesima septembris anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi primi, eam ad supprimendam induxerunt Leiriensem dioecesim, in Lusitania, quam Paulus Papa Tertius, die vigesima secunda maii anni Domini millesimi quinquagesimi quadragesimi quinti erexerat; eo vel maius nunc gaudet, quod temporum adiuncta antiquam illam Cathedralem Ecclesiam in pristinum restituere sinant.

Suffragantibus igitur antiquae illius dioeceseos fidelibus, Nos, Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, attentaque meditatione cogitantes quantum hoc fidei incremento ac evangelicae veritati proficeret, laeto animo vota ipsorum accepimus.

Spiritualibus enim populorum necessitatibus, ex re et tempore, uberius consulere, semper Romanorum Pontificum fuit, divino illis collato munere suadente. Auditis itaque Reverendissimus Lusitaniae Ordinariis, in primis hodierno Lisbonensi Patriarcha, dilecto filio Nostro Antonio S. R. E. tituli Ss. Marcellini et Petri presbytero Cardinali Mendes Bello, et hodierno Episcopo Conimbricensi, venerabili fratre Aloisio Coelho

da Silva, quorum hoc propius interest, ex eo quod antiqua Leiriensis dioecesis inter ipsorum Ecclesias a fel. rec. Leone Papa Decimo tertio, Praedecessore Nostro, multis ex causis, divisa fuerit; suppleto insuper, quatenus opus sit, aliorum quorum interest, vel sua interesse praesumant, consensu; ex consulto dilectorum filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis Praepositorum, memoratam antiquam Leiriensem Sedem iterum constituimus.

Cui proinde restituías declaramus quinquaginta illas paroecias, quarum viginti quinque ad Patriarchatum Lisbonensem, viginti quinque ad dioecesim Conimbricensem fel. rec. Leo Decimus tertius uniri mandavit, quaeque sub iurisdictione Patriarchae Lisbonensis et Ordinarii Conimbricensis usque adhuc manserunt. Tales sunt paroeciae locorum vulgo: Alearía, Aliubarrota (Prazeres), Aliubarrota (S. Vicente), Alpedris, Alvados, Alqueidâo, Amor, Arrabal, Arrimai, Azoia, Baroza, Barreira, Batalha, Garangueira, Carvide, Coimbrâo, Coimeias, Cortes, Erpite, Fatima, Freiscanda, luncal, Leiria, Maceira, Marinha Grande, Mazzares, Mendiga, Milagres, Minde, Mira, Monte Real, Monte Redando, Olival, Ourem, Pataias, Porto de Moz (S. loâo), Porto de Moz (S. Pedro), Ponsos, Parceiros, Requeira da Ponte, Reguengo do Xetal, Rio de Couros, S. Catherina da Serra, S. Simâo, Seica, Serro Ventoso, Souto. de Corpalhosa, Vermoil, Vieira, Villa Nova de Ourem. Urbem insuper principem « Leiria » in Sedem episcopalem iterum erigimus, cum omnibus iuribus ac privilegiis quibus caeterae sedes episcopales in Lusitania gaudent.

Ecclesiam autem paroecialem B. M. V. in caelum Assumptae rursus in Cathedralem evehimus, in qua constitui mandamus sex Canonicorum Capitulum, cui duo Dignitates erunt videlicet: Decanatus et Cantoratus. Quod si in praesens fieri nequeat, loco Canonicorum, dioecesani Consultores, ad tramitem canonum 423 et sequentium novi Codicis Iuris Canonici, eligi iubemus. Eiusdem dilecti filii Nostri Antonii Cardinalis Mendes Bello erit iudicare an in praesentibus temporum ac rerum circumstantiis magis opportunum sit ad memorati Cathedralis Capituli constitutionem statim de venire, aut ad ea quae citati canones decernunt.

Volumus praeterea ut, ubi primum vires suppetant, dioecesanum Seminarium erigatur; interea autem iis, qui sacerdotium appetunt, meliori quo fieri poterit modo, consulat Ordinarius, eos scilicet mittendo ad alia optimae notae Seminaria. Mensa vero Episcopalis constituetur e quinque millium circiter libellarum summa, quam illi Parochi ultro obtulerunt; e reditibus Sedis Apostolicae Indultorum, quae-antiquam Cruciatae Bullam substituunt; e Curiae Episcopalis emolumentis

necnon e piorum fidelium oblationibus. Hanc dioecesim, iterum constitutam, Suffraganeam declaramus Patriarchatus Lisbonensis et, usque dum de Episcopo proprio nova Sedes provideri non valeat, eiusdem Administratorem Apostolicum eligimus et constituimus dilectum filium Antonium Cardinalem Mendes Bello, Patriarcham Lisbonensem. Quae autem hisce Litteris, Apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli hominum, ullo unquam tempore, infringere, aut iis repugnare, vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis. Ad haec omnia executioni mandanda deputamus ac decernimus eumdem Cardinalem Patriarcham, necessarias proinde et opportunas ei tribuentes facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, ac definitive sententiam dicendi de quavis occurrente difficultate vel oppositione in executionis actu quomodolibet oritura; imposito eidem onere ad Sacram Congregationem Consistorialem ipsius executionis peractae authentice exaratum exemplar, intra tres menses, mittendi, ut in eiusdem Sacrae Congregationis archivio asservetur.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras contrariis quibuslibet, etiam peculiari et expressa mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo decimo octavo, die decima septima mensis ianuarii, Pontificatus Nostri quarto.

O. CARD. CAGIANO
S. R. E. Cancellarius.

C. CARD. DE LAI
S. C. Consistorialis Secretarius.

Iulius Campori, *Protonotarius Apostolicus.*
Raphael Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco *ffc* Plumbi.

Meg. in Cane. Ap., vol. XVI, n. 17.

LITTERAE APOSTOLICAE

CAPITULO ET CLERO SANCTI BLASII ET* SANCTI AEGflDII IN OPPIDO « PALOMEARA SABINA » DANTUR NOVAE LEGES.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Litteris Apostolicis *Ad Supremum Ecclesiae,* cal. aprii, an. MDCCCLIII datis, s. m. decessor Noster Pius IX aedem sacram archipresbyteralem S. Blasii in oppido vulgo *Palombara Sabina,* è dioecesi Sabinensi, in Conlegiatam erexit, decrevitque quot ac quibus ea canonicis constaret, quo titulo ex iis unus ceteris dignitate antecederei, quae bona et onera essent ordini canonicorum adiudicanda, quibus denique legibus tum redituum divisio, tum choralis servitii sacrorumque perfunctio regeretur. Haec eadem relata sunt in Constitutionibus Conlegiatae, cuius erectio cal. septembribus an. MDCGGLIV perfecta tandem aliquando est. Verum, quae tunc recte ac sapienter decreta erant, procedente tempore mutatisque. rerum condicionibus, visa sunt iam non posse ad effectum deduci, cum, lege de proscribendis bonis ecclesiasticis periata, bona quoque Conlegiatae S. Blasii publicata essent, integris fere unice redituum partibus, quae tum ad duos canonicos curiones S. Blasii et S. Aegidii, tum ad duos canonicos eorum coadiutores pertinerent. Quare, superioribus annis, qui reliqui sunt quattuor canonici haud semel eftlagitarunt ut, cum sibi, deminutis redituum copia et canonicorum numero, onera legatorum et choralia munia implere ad tabularum praescripta iam nullo pacto liceret, Constitutiones, an. MDCCCLIV digestae, novarentur et chori servitium imminueretur. Cum vero iidem canonici, iussu venerabilis fratris Nostri Caietani S. R. E. Card. De Lai, Episcopi Sabinensis, adumbrationem quamdam seu *schema* novarum legum confecerint, et hodiernus ordinis canonicorum praepositus Laurentius De Angelis, qui simul curionem S. Aegidii in procuratione animarum adiuvat, voce et scripto professus sit, esse se libenter Ordinarii optatis obsecuturum, re diligenter perpensa, auditis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Sacrae Concilii Congregationi praepositis atque eodem Cardinali Episcopo Sabinensi, haec decernimus quae sequuntur:

I. Capitulum Conlegiatae Ecclesiae S. Blasii in oppido *Palombara Sabina* constet interim quattuor canonicis, idest duobus loci curionibus et duobus coadiutoribus qui suo quisque curioni adsunt: prima vero ordinis

dignitas, archipresbyteri nomine, esto posthac parochus *pro tempore* Ecclesiae S. Blasii. Praepositi dignitas tum esse desinet, cum hodiernus Praepositus se officio et beneficio abdicaverit. II. Canonicorum numero ita imminuto, quam veteres Constitutiones primae Ordinis dignitati fecerant potestatem, in conventibus capitularibus, bina ferendi suffragia, si quando, in aliqua re dirimenda, par utrimque stetisset suffragiorum numerus, ea in posterum uti ne liceat; suffragiis vero utrimque paribus, res ad Ordinarium diiudicanda deferatur. III. Reditus et onera iam nunc ne administrentur communiter; sed, dimidia eorum parte unicuique e duobus parochis attributa, volumus utrumque portionem suam ad iuris canonici praescripta administrare, oneribus sibi condictis satisfacere, et suo quemque coadiutori sexcentas annuas libellas impertire, ea tamen lege ut, qui in praesens coadiutorum munere funguntur, iis constet *durante vita et munere* annua illa pecuniae vis quam usque adhuc percipere consueverant, videlicet, ut pressius loquamur, ea quae, rationibus initis, media erit inter pecunias quotannis perceptas superiore quinquennio. IV. Uterque curionum sumptu suo in Ecclesia propria cultui divino prospiciat, eandemque cum oratoriis, quae, intra suae cuiusque paroeciae fines sita, antehac in Capituli dicione erant, sustentet ac conservet. Quapropter mandamus, in conventibus ab Ordine canonicorum proxime habendis, impensae ad id necessariae definiantur, et res Ordinario adprobanda subiiciatur. Quibus in coetibus ratio quoque ducatur impensarum, quae ad functiones sacras capitulares in Aede S. Blasii communiter peragendas necessariae sint, eaeque inscribantur de redituum summa detrahendae, quam inter duos curiones dividi iussimus. V. Quae *incerta stolae* nuncupantur, ea duobus curionibus in sua cuiusque paroecia cedant; sic tamen cum coadiutoribus participentur, quemadmodum, proposita a curionibus ipsis Ordinario formula, hic faciendum censuerit.

VI. Legato Aegidiano, libellarum ducentarum duodequinquaginta et obolorum quinquaginta, uti antehac, Praepositus Laurentius De Angelis *durante munere* fruatur: postea, eiusmodi legatum Archipresbytero cedat. VII. Duo coadiutores in procuratione animarum iam nunc parocho quisque suo ita aderunt, ut Codex iuris canonici vicariis cooperatoribus praecipit. VIII. Servitium chori ita moderamur ac temperamus ut canonici posthac interesse tantummodo debeant Missae cum cantu seu conventuali diebus festis de praecepto aliisque per annum sollemnioribus, Vesperis in iisdem sollemnioribus festis, et functionibus sacris Maioris Hebdomadae. Puncta, quae vocant, pro absentibus, ad normas iuris communis exigantur. IX. Quod ad sacras attinet functiones, ex recepto usu ab archipresbytero in Ecclesia S. Aegidii et ab alio parocho "in

Ecclesia S. Blasii peragendas, nihil immutetur; receptus item usus interim servetur, quod spectat ad ordinem sacrarum functionum inter easdem Ecclesias atque ad taxationem *incertorum,* uti vocant: sed uterque parochus, intra tres menses, *schema* redigat, quo res facilius aptiusque ordinentur, ab Ordinario adprobandum. X. Onera Missarum ex legatis, sic, ob temporum rerumque condicionem, contrahimus atque imminui - mus, ut unusquisque e canonicis unam singulis mensibus Missam applicet, firma tamen pro utroque parocho obligatione applicandi Missam pro populo. XI. Si qua vero, in iis exsequendis, quae Litteris hisce Nostris praescripsimus, difficultas inciderit, -venerabili fratri Nostro Caietano S. R. E. Cardinali De Lai, Episcopo Sabinensi, potestatem facimus ea statuendi quae magis in Domino profutura iudicaverit. Haec autem omnia decernimus, derogantes Litteris Apostolicis *Ad Supremum Ecclesiae* Pii Pp. IX, quas memoravimus, et supplentes, quatenus opus sit, eorum, quorum intersit, vel qui sua interesse praesumpserint, consensum, contrariis non obstantibus quibuslibet, speciali etiam mentione aut derogatione dignis.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ut mensis februarii anno MCMXVIII, Pontificatus Nostri quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD GOTIFREDUM DE GRANDMAISON, PRAESIDEM SOCIETATIS BIBLIOGRAPHICAE, QUINQUAGESIMO EXEUNTE ANNO A CONDITA EADEM SOCIETATE.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Litteris, quibus, ut consuesti, per sollemnia Christi nascentis, omnem Nobis faustitatem adprecatus es, etiam certiores Nos fecisti de exeunte iam prope anno quinquagesimo, ex quo Societatis, quam moderaris, initia sunt posita. Gratum id sane Nobis: sed multo illud gratius te tuosque sodales velle hanc memoriam habere faustam et celebrare cum agendis Deo gratiis, tum etiam' renovandis alacritatis propositis. Nos habetis, dilecti fitti, in illis comites, ad haec hortatores. Comites vobis in persolvendis Deo gratiis Nos esse iubent eae ipsae utilitates, quae sollertia vestra partae sunt Ecclesiae et civitati. Novimus enim quo proposito sancto Societas vestra exorta sit, quanta illud retinuerit fide, quam diligenter, bonum

semen scriptis editis seminando, illi adlaborant. Haec quidem eiusmodi sunt, ut cúrrenles incitari haud sinant. Non deest tamen notationibus locus. Quae enimvero vertuntur tempora, quae belli flamma iam diu Europam fere omnem adurit, in tam immensam hominum multitudinem prope infinitam calamitatum molem congesserunt. His non humanarum providentia legum, non prudentum consiliis mederi satis poterit. Opera advocanda in primis erit Ecclesiae, quae una, ut scitis, potest animos sanare, ad obliviscendum ad ignoscendum adducere, fraterna caritate coniungere. Intelligitis quo Nostra spectet oratio. Quae enim mala parta hoc bello sunt, ea non agrorum depopulationibus, non urbium florentissimarum eversionibus, non - ut cetera huius generis praetereamus - civibus innumeris vel ferro sublatis, vel vulnere affectis continentur. Alia praeterea sunt et in alio genere gravissima. In his, erepta multorum ex animis caritas mutua, et pene in iis deletum novum illud Evangelii praeceptum, quo iubemur vel -inimicos diligere. Usque eo hac in re progressum est, ut patriae caritatem metiri quidam velint odio illorum, quibuscum bello contenditur Î In tanto armorum aestu, in tam acri animorum contentione proclive erat refrigescere caritatem multorum. Sed quae potiundi, dominandi cupiditates bellum pepererunt, eaedem et belli ipsius acerbitas ac diuturnitas effecere, ut iam simultatibus, odiis, ulciscendi desideriis nec finis sit, nec modus ullus. Dolenda haec profecto bonis omnibus sunt, et iis praesertim qui, ut vos, scribendo dant operam, adnitendum pro viribus, ut concilientur animi, ut quae possint ad iram provocare oblivione deleantur, uno verbo, ut depositis armis deponantur et odia. Quam ob rem, quae proposita vos velle renovare scribitis, huc intendite: nulla alia in re religioni ac civitati vestra utilius probaveritis studia, quam si docendo, suadendo, hortando effeceritis, ut futurae pacis beneficia largius percipiant homines cor unum effecti et anima una.

Sed haec vix innuisse sufficiat, Neque enim Nos latet sic vos scribendo vuigandoque religionis ac civitatis spoetasse semper rationes, ut eas studiose et accomodate ad tempora curaveritis.

De delatis demum officiis gratias vobis, dilecti filii, agimus ex animo : utque vobis laborantibus Is adsit benignus, qui semen dat seminanti et bonarum frugum auget incrementa, apostolicam benedictionem, Nostrae pignus benevolentiae, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xvui ianuarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD R. P. D. IOSEPHUM MORA Y DEL RIO, ARCHIEPISCOPUM MEXICANUM, QUEM XXV EPISCOPATUS COMPLENTEM ANNOS, GRATULATIONE ET LAUDE PROSEQUITUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Facere non possumus quin appropinquantem episcopatus tui natalem quintum et vicesimum magno opere gratulemur, cum declarandae eius qua sumus erga te singularis benevolentiae praeclara Nobis atque optatissima offertur occasio. Quod quidem paterni animi officium sane quam vellemus te in ipsa honoris tui sede constitutum inveniret; ibi enim certe clerus populusque tuus omnibus te amoris significationibus prosequerentur. Ac merito: nam omnes boni pastoris partes ex quo Mexicanam dioecesim moderaris, ut antea Tehuantepecensem et Tulancingensem, optime semper implevisti; maximeque in difficillimis temporibus spectata est prudentia tua, par summae constantiae in laborando pro Ecclesia cum ipsius boni publici emolumento. Itaque vix est cur te, adeo virtute praestantem, in isto dolore pluribus confirmemus; habes enim, quae te recreet recte factorum conscientiam; habes, quod maius est, exspectationem praemii caelestis. Cum vero istas acerbitates tam fortiter feras, ut audimus, benignitatem potius laudare auxiliantis Dei debemus, quam tuam aegritudinem consolari. Eia igitur, venerabilis frater, et gaudens faustum age diem votis comitantibus Nostris et bonorum omnium, quibus ista ipsa exsilii tam gravis poena, quam innocentissimus patens, multo te efficit cariorem. Nos autem Iesum Dominum enixe precamur, ut te, quam primum tuae restitutum Ecclesiae, diu conservet atque suae gratiae muneribus cumulet. Quorum auspicem et praecipuae caritatis Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, tuoque clero ac populo apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvii mensis ianuarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

HI

AD IOANNEM MARIAM CARD. FARLEY, ARCHIEPISCOPUM NEO-EBORACENSIUM, DE BONIS OMINIBUS AC DE PETRIANA STIPE GRATIAS AGENS.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Grato te animo multum, ut par est, amamus et de bonis ominibus, et de petriana stipe, et" de studio quod Nobis in ea corroganda probasti. Rem tenes cum iudicas ad ceteras sollicitudinum causas eam quoque, ex hoc bello, accessisse quod facta Nobis est cum dandi opitulandi necessitas maior, tum minor accipiendi petendique facultas. Quae quidem quamquam verissima sunt, est tamen cur laetemur et gratias Deo agamus, qui, vel in hisce rerum angustiis, satis Ecclesiae suae providet sive movendo episcopos ut studiosius apud fideles Apostolicae Sedis agant caussam, sive excitando religiosas familias et viros e clero saeculari ufe, nunc maxime, sua largitate sint ceteris non solum exemplo, sed etiam incitamento.

Grati benevolentisque animi Nostri testis apostolica sit benedictio, quam, parem reddentes officiorum vicem, tibi, dilecte filiJNoster, omnique tuo clero ac populo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxxi ianuarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

IV

AD EPISCOPOS AUSTRIACAE DITIONIS, QUI E COETU VINDOBONENSI COMMUNEM EPISTOLAM, OBSERVANTIAE OFFICIIQUE PLENAM, MISERANT.

Dilecti filii Nostri et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Conspirantibus adversus Christi Vicarium factionibus improborum, iisque cuilibet eius vel saluberrimo consilio obsistentibus, quid Nos magis recreare potest quam si boni studeant eo arctius huic Apostolicae Sedi adhaerescere, Nostrisque praescriptionibus eo religiosas obtemperare? Eiusmodi Nos oblectatio tenuit nuper in iis litteris, quas ad Nos e coetu Vindobonensi dederatis: in quibus quidem vestrum

et fidei ardorem et voluntatis obsequium complexi sumus; maximeque propositum ad christianam rerum instaurationem, Nobis praeeuntibus, impense elaborandi. Huc vero cum recta spectet et sacrorum canonum Codex proxime promulgatus, et Nostra de divini verbi praedicatione Epistola, utrumque vobis, ut sancte servetur, curae esse gaudemus: atque etiam, quod proprie attinet^ ad praedicandum, vos Nostra praescripta antevenisse, gratulamur. - De hac autem calamitate belli Nostram agendi rationem admodum vobis probari, peropportuno Nobis solatio est: et sane erat consentaneum cum apostolico muneri tum caritati Nostrae ut, non solum tantos dolores levare pro viribus niteremur, sed etiam huius filiorum internecionis omni ope suadere et maturare finem. At vero, si ista in vobis grati animi professio delectat, quanta Nos ex adverso mordet malevolenza! Nostis usque eo quosdam provectos esse, ut, Nostra pacis hortatione reiecta, maiorum, quae sunt secuta, in illud paterni amoris documentum culpam conferrent. Sed enim Nos in hac causa, ut in ceteris, quae muneris Nostri sunt, religione officii, non hominum comprobatione ducimur: omnique spe in Iesu Christo posita qui nunquam suae est defuturus Ecclesiae, nihil est cur his difficultatibus moveamur. Itaque, dum bellum insidet, perseveremus - id quod relinquitur - tantae moli aerumnarum et luctuum aliquam, vario christianae caritatis munere, afferre levationem; atque interea vobiscum et cum bonis omnibus comprecando contendere, ut pacem, iustitiae comitem, e caelo, unde expectanda demum est, aliquando devocemus. Cuius auspicem ac praecipuae benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii Nostri et venerabiles fratres, vestroque clero ac populo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die u mensis februarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

V

AD R. D. IOANNEM DÜNN, CUIUS DILIGENTIAM IN MODERANDO PER DIOECESIM NEO-EBORACENSEM « OPERE PROPAGATIONIS FIDEI » DILAUDAT.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Benignitas Dei opportunam afferentis opem Ecclesiae suae, vel ex eo perspicua est quod apud vos evenit in *Opere propagationis Fidei* sustentando. Etenim cum Europa catholica, ob diuturnum bellum, non ita largiter, ut consueverat, sacras missiones ad barbaros tueri possit, mirari licet quomodo,-quantum deest, suppleat Americae liberalitas. Haec autem cum in ceteris civitatibus, tum maxime elucet in Neo-Eboracensi; quae quidem inter omnes orbis catholici dioeceses in hoc beneficentiae genere principem iam obtinet locum. Grates igitur persolvimus Deo, cuius certe impulsu afflatuque omne istud effectum est salutaris operis incrementum. Te vero, dilecte fili, studiosissimum rei moderatorem, et omnes qui operam tibi navant, dilaudamus; in quibus utriusque commentarii *The good work* et *The catholic news* scriptores praestare intelligimus. Sed enim praecipua quaedam tribuenda laus est diligentissimo isti Cardinali Archiepiscopo, qui profecto omnium quaecumque in amplissima Archidioecesi sancte, pie utiliterque fiunt suasor ac fautor optimus iure habetur. Itaque vos, quotquot vel consilio vel opera vel re hoc ipsum promovetis institutum, pergite alacres ut facitis Iesu Christi regnum dilatare; sempiternam enim salutem quaerentes miserrimorum fratrum, immensam vobis in caelo mercedem comparabitis. Atque auspicem divinorum munerum benevolentiaeque Nostrae singularis testem, tibi, dilecte fili, et omnibus, quos memoravimus, sociis et adiutoribus tuis, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v mensis februarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

SERMO

HABITUS DIB XI FEBRUARII MCMXVIII AD PAROCHOS ET AD QUADRAGESIMALIS IN URBE CONCIONATORES.

Negli anni scorsi, il saluto da Noi rivolto ai predicatori della Quaresima in Roma fa sempre accompagnato da una calda esortazione a tener presente ciò che importa l'ufficio di banditori della divina parola. In quest'anno una tale esortazione sembra superflua, perchè è di fresca data la Lettera che, intorno al grave argomento della sacra predicazione, abbiamo indirizzato all'Episcopato cattolico, e per esso a tutti i sacri oratori. Può dirsi che la sollecitudine da Noi prima usata verso i figli più vicini sia stata poscia estesa anche ai figliuoli lontani. Ma la partecipazione dei lontani ad un beneficio non priva del beneficio stesso i vicini. Vorreste dire che determina emulazione fra gli uni e gli altri? Noi preferiamo credere che persuade i figliuoli vicini a mostrare che essi, meglio degli altri, hanno compreso ed apprezzano l'importanza del beneficio ricevuto dal comun Padre. In niuna occasione però, meglio che nella santa Quaresima, possono i predicatori di Roma mostrare di aver fatto tesoro delle norme e dei precetti che ad essi e a tutti i sacri oratori, sono stati recentemente ricordati, per assicurare il buon frutto del loro ministero.

Neil'indirizzare pertanto il Nostro affettuoso saluto a voi, o dilettissimi figli, chiamati a predicare la santa Quaresima ai fedeli di questa alma città, siamo così lungi dal supporre a voi necessaria l'antica Nostra esortazione a tener presente ciò che importa il delicato officio di banditori della divina parola, che anzi giudichiamo debba venire da voi, riguardo al modo di ben predicare, quel conforto che la pratica reca alla teoria. I fedeli sparsi nel mondo volgono lo sguardo a Roma, per averne la legge del credere e la norma dell'operare : e Roma, dall'altezza di quest'Apostolico Seggio, non per merito di chi vi siede, ma per virtù dello Spirito Santo che lo assiste, è sempre sollecita di appagare la doppia brama del popolo cristiano. Anche Noi, o dilettissimi, sulle orme dei Pontefici che ci hanno preceduto sulla 'Cattedra di S. Pietro, coi rinnovati insegnamenti intorno alla sacra predicazione abbiamo mirato ad assicurare ai fedeli la conoscenza della vera legge del credere e della santa norma dell'operare. Ma, se il Nostro insegnamento dovesse restar ristretto al solo campo della teoria, forse non riuscirebbe tanto efficace

quanto il bisogno richiede: aggiungetevi dunque voi la conferma della pratica, e del Nostro insegnamento sul modo di predicare crescerà, non il valore sostanziale, bensì la efficacia.

Ci sembra che questo pensiero debba riuscir gradito ai sacri oratori, chiamati a predicare in Roma nella Quaresima che viene prima dopo la pubblicazione della Nostra Enciclica sulla predicazione, perchè più che mai giustifica il loro titolo di Nostri cooperatori, più che mai li mostra veri ambasciatori del Papa presso il popolo di Roma. Nè vi sgomenti, o dilettissimi, l'arduità dell' impresa, -perchè basta ricordare *chi sia il buon predicatore,* o, se meglio piace, donde derivi ciò che costituisce il buon predicatore. E Noi amiamo credere che ognuno di Voi, ponendo mente alle parole che siamo per dirvi, riconoscerà se stesso nel ritratto del *buon predicatore,* che intendiamo ora di presentarvi.

L'eccellenza del ministero affidato ai sacri oratori dipende dalPesser desso continuazione dell'opera di Gesù Cristo. Il divin Salvatore disse apertamente agli Apostoli e, nella loro persona, a tutti i futuri suoi ministri: « Come mandò me il Padre, anch'io mando voi » (Giov., XX, 21). Ad indicare poi in qual modo avrebbero dovuto continuare la missione di Lui, che, come avea detto altra volta, « era venuto nel mondo affine di rendere testimonianza alla verità » (ivi, XVIII, 37), Gesù Cristo soggiunse: « Predicate l'Evangelo » (Marc, XVI, 15).

Di qui si comprende agevolmente che, come avea potuto dire di sè, nel senso più rigoroso e proprio della parola, di esser luce del mondo, *Ego sum lux mundi* (Giov., Vili; 12), così, per sua infinita bontà, abbia potuto dire « luce del mondo » anche coloro che, con Lui e per Lui, erano destinati a diffonder la luce della verità in mezzo al mondo: *Vos estis lux mundi* (Matt., V, 14). Ma chi non comprende altresì che il predicatore è tanto più buono quanto meglio continua l'opera di Gesù Cristo, o quanto più esattamente ne adempie il precetto?

Il divino Maestro ha detto ai sacri ministri : *Praedicate evangelium,* e la parola di Gesù, come quella che era perfetta e non abbisognava di essere da altri completata, significava che buon predicatore sarebbe stato colui il quale avesse annunziato, in conveniente maniera, *tutto* e *solo* l'Evangelo! Appena è d'uopo ricordare che il Vangelo abbraccia il dogma e la morale, per dedurne che il sacro oratore deve esporre ai fedeli ciò che devono credere e ciò che devono fare per conseguir l'eterna salvezza. Quasi contemporanea alla pubblicazione della Nostra Enciclica sulla predicazione è stata la promulgazione del nuovo *Codice di Diritto Canonico;* e un canone di questo - che è il 1347 - mirabilmente com-

pendia l'officio del sacro oratore, dicendo che deve esporre al popolo le due parti dell'Evangelo, che sono il domma e la morale: *In sacris concionibus exponenda in primis sunt quae fideles credere et facere ad salutem oportet.* Si dice: *quae fideles credere ... oportet,* ecco indicato il dogma; si soggiunge *quae fideles ... facere ad salutem oportet,* ecco ricordata la morale.

Ma più che sulla comprensione del Vangelo, abbracciente domma e morale, giova insistere su quella interpretazione delle parole del divino Maestro : *Praedicate evangelium,* per la quale abbiamo detto che buon predicatore è colui il quale annunzia *tutto* e *solo* il Vangelo. Un tutto dev'essere considerato non solo nelle varie sue parti, ma anche nei singoli membri di esse; epperò, per annunziare *tutto* il Vangelo, deve il buon predicatore esporre ai fedeli così i dommi che possono inebriarne il cuore di letizia, come quelli che devono riempirli di salutare timore; deve far loro ammirare la divina Misericordia, ma li deve anche santamente intimorire col ricordo della divina Giustizia. Non meriterebbe di esser detto *buon predicatore* chi, per blandire l'uditorio, non esponesse, sotto il suo verace aspetto, od anche solo tacesse quando fosse mestieri annunziarla, la dottrina rivelata intorno alla gravità delle offese fatte a Dio, e circa i castighi coi quali quelle offese debbono esser punite nel tempo o nell'eternità. Egli è evidente che quell'oratore non annunzierebbe *tutto* il Vangelo, anzi mostrerebbe di aver dimenticato che Gesù Cristo gli ha imposto di insegnare l'osservanza di *tutti* i suoi precetti: *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Matt., XXVIII, 20). A voi, o dilettissimi figli, non dobbiamo far rilevare che, a non concedere il nome di buon predicatore a chi non avesse esposto *tutto* il Vangelo, Ci spingerebbe la supposizione che niun motivo di lodevole prudenza suggerisse o giustificasse quel silenzio. Imperocché nell'esposizione della verità cattolica non deve mai introdursi la falsità ; ma di una parte del vero si può tollerare il silenzio, quando non vi sia obbligo di parlarne per la difesa della Fede; anzi se ne dovrebbe esigere l'omissione quando, senza conseguir verun bene, si andasse incontro a verissimo male, quale sarebbe ad esempio quello di inasprir animi già mal disposti verso la Chiesa.

Ma non Ci permette di indugiare in questa dichiarazione la prudenza, che non dubitiamo sia bell'ornamento di chi è stato scelto ad annunziare la divina parola in liorna nell'imminente Quaresima. Epperò Ci affrettiamo a chiamare invece la vostra attenzione, o dilettissimi, sull'obbligo che ha il sacro oratore di annunziare, come *tutto,* così *solo* il Vangelo. Forse certi oratori, di età non troppo remota, aveano posto in

oblìo il dovere di esporre *solo* il Vangelo, più che avessero dimenticato l'obbligo di esporlo *tutto.* Ma chi non vede che farebbe cosa altamente ingiuriosa a Dio chi alla divina parola volesse aggiunger la parola umana, quasi che quella avesse bisogno di esser completata e perfezionata da questa?

Il divin Salvatore, venuto sulla tèrra per indicare all'uomo la via da tenere per giungere all'eterna salvezza, disse necessaria e sufficiente a tale scopo l'osservanza del Vangelo. Ora, se un predicatore trasportasse i suoi uditori in campi non indicati dal santo Vangelo, e magnificasse tanto la bellezza dei nuovi orizzonti scorti da quei campi, se tanto lodasse i frutti maturati in questi, da mettere nell'animo dei suoi uditori l'opinione che forse all'eterna salvezza giovi lo spaziare in campi distinti dai campi evangelici, diteci voi se quell'oratore non darebbe a Gesù Cristo la patente di maestro insufficiente? Ma per ciò stesso Noi vorremmo negare a lui quella di « buon predicatore », perchè tale è solo colui che fedelmente continua la missione di Gesù Cristo e che di Gesù Cristo più esattamente adempie i precetti.

Oh! quanto importa di insistere sull'obbligo che incombe al buon predicatore, di limitarsi ad annunziare *solo* il santo Vangelo ! Un ambasciatore, che al sovrano presso il quale è accreditato non esponesse solo ciò di cui ha ricevuto mandato dal suo principe, meriterebbe di non essere creduto in nessuna parte della sua ambasceria, perchè niuno potrebbe sapere quando il suo linguaggio fosse conforme al ricevuto mandato e quando invece se ne discostasse. Ma i predicatori non sono anch'essi ambasciatori ? Ambasciatori sono di Dio presso il popolo cristiano ; epperò al popolo cristiano devono portare solo la parola di Dio : se altra ne portassero, meriterebbero di essere sconfessati dal Sovrano che li ha eletti a suoi ambasciatori.

E notate, o dilettissimi, il danno grave che arrecherebbero al popolo cristiano cotesti ambasciatori di Dio, che alla divina parola aggiungessero la propria. Imperocché la via che Gesù Cristo ha tracciato ai cristiani per giungere a salvezza è la via stretta della penitenza e della mortificazione. In questa strada deve entrare sollecito, anzi in questa tleve correre animoso chiunque desidera raggiungere la mèta a lui proposta. Ma non vi ha dubbio che riesce a disagio il camminare per una via stretta, e sparsa di triboli e spine... A quale forte tentazione, di abbandonare questa strada, è perciò esposto colui al quale un'altra ne è indicata più spaziosa e piana! Usciamo di metafora, o dilettissimi. Il sacro oratore che non predica *solo* il Vangelo, addita forse ai suoi uditori una via più larga, e certamente meno aspra, di quella che addita

il fedele esecutore del rigoroso precetto: *Praedicata Evangelium;* ma una via che non conduce alla meta, una via che può anzi terminare in un precipizio, deve dirsi disastrosa, e chi invita il viandante a mettersi in quella strada, al viandante stesso cagiona grave danno. Così è del predicatore dimentico di dover predicare il *solo* Vangelo.

Se non rivolgessimo ora la nostra parola ad un eletto stuolo di sacerdoti, certamente animati dallo spirito di Gesù Cristo e ben preparati all'eccelso ministero che stanno per intraprendere, Noi vorremmo insistere anche più nel dimostrare che il buon predicatore deve predicare *tutto* e *solo* il Vangelo, perchè potremmo .ricordare che la bontà di esso si deduce anche dal modo con cui adempie il fine della predicazione. Questo fine, come quello che è corrispondente all'opera redentrice di Gesù Cristo, si esprime bene con le parole del Profeta, che disse la redenzione « indirizzata a togliere il peccato e a portare sulla terra la giustizia », *ut finem accipiat peccatum et adducatur iustitia sempiterna* (Dan., IX, 24). E or non sappiamo Noi che l'Evangelo, mentre narra quanto fece Gesù Cristo per compiere la sua copiosa redenzione, esprime insieme quanto lo stesso divin Redentore ha insegnato doversi fare dai suoi ministri per ottenere al popolo cristiano la più estesa partecipazione ai frutti della sua redenzione? Ne consegue che chi non predicasse *tutto* il Vangelo insegnerebbe, in modo implicito, potersi fare a meno di una parte di ciò che Gesù Cristo disse indispensabile a togliere il peccato e a portare sulla terra la giustizia: ne consegue che chi non predicasse *solo* il Vangelo, insegnerebbe, sempre in modo implicito, non bastare ciò che Gesù Cristo ha detto sufficiente all'universale applicazione dei frutti dell'opera sua redentrice.

Ma è lungi dall'animo Nostro il supporre che fra i quaresimalisti di Roma possa esservi chi non sia determinato ad esporre ai fedeli di quest'alma città *tutto* e *solo* il Vangelo. Noi teniamo certo che, se oggi o domani si presentasse ad essi qualche indiscreto investigatore del programma della imminente loro predicazione, risponderebbero tutti: nostro programma è predicare *tutto* e *solo* il Vangelo. *Praedicate Evangelium.* Nè dubitiamo che al termine della Quaresima possano i fedeli attestare che tutti i predicatori di Roma hanno predicato *tutto* e *solo* il Vangelo! Oh! quale conforto ci arreca questa fiducia! Credereste sia il conforto che ha un padre, quando ravvisa fondata la sua speranza di vedere allontanati dai figli i cibi malsani? Certamente non escludiamo questo conforto, anzi vi aggiungiamo pur quello, tanto analogo, del padre che vede apprestati ai figliuoli i cibi che possono favorirne meglio lo sviluppo. Ma il nostro conforto è anche maggiore. Imperocché Nai

torniamo col pensiero a ciò che abbiamo detto nell'esordire. Egli è ben naturale che a Roma si volga lo sguardo per iscorgere come qui si osservano le recenti prescrizioni della Santa Sede intorno al modo di predicare. Oh! quando potrà giungere alle più estreme regioni della terra la notizia che i quaresimalisti di Roma nel 1918 hanno predicato *tutto* e *solo* il Vangelo, non potrà più esservi un sacro oratore che si appelli ad autorevole esempio per giustificare la sua audacia di porre in non cale qualche parte delFinsegnamento evangelico o, peggio ancora, di sostituire e di aggiungere la parola dell'uomo a quella di Dio.

Fin da principio vi dicevamo, o dilettissimi, che non avrebbe dovuto riuscirvi malagevole il confermare col vostro esempio il carattere proprio del *buon predicatore:* ora vedete che basta la rigorosa osservanza del precetto di Gesù Cristo : *Praedicate Evangelium.* Animatevi dunque sempre più nel proposito di non allontanarvi dalla pratica osservanza di questo precetto, e tenete per fermo che chi meglio l'osserva meglio acquista il nome di *buon predicatore.*

Ma non sappiamo conchiudere il discorso senza indirizzare un affettuoso saluto anche ai parroci di Roma. Imperocché ad essi può volgere lo sguardo scrutatore chi voglia conoscere come in Roma si osservino i pontifici decreti intorno alla sacra predicazione; anzi possiamo dire che sui parroci di Roma si appunta di continuo quello sguardo scrutatore, che sui quaresimalisti si affissa solo in breve periodo dell'anno. Diamo lode a Dio, a Dio sieno rese le dovute grazie perchè l'eterna città può vantare un collegio di parroci, che non ignora incombergli l'obbligo di perfezione, tanto maggiore quanto più vicino all'Apostolico Seggio è nell'esercizio del sacro ministero. Noi però desideriamo di aver sempre nuovi titoli per dire, così ai predicatori come ai parroci di Roma: *Videant omnes opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum.* Laonde copiosa ed efficacissima invochiamo sugli uni e sugli altri la benedizione di Dio. Il divino Maestro, con le parole *praedicate evangelium,* tracciò un programma completo e pei predicatori e pei curatori di anime. Oh! nessun altro programma mostrino di voler seguire questi Nostri figli, sia nel pulpito sia nella parrocchia, sia in privato sia in pubblico; e siano tutti consolati con l'abbondanza dei frutti, che il Signore concede a quei suoi ministri i quali predicano *tutto* e *solo* il Vangelo.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

NOTIFICATIO

Notum fit, praesertim Americae Ordinariis, sacerdotem Lauretum De Loreto, e dioecesi Marsorum, in Italia, iam inde ab anno 1913 ex Sanctae Sedis decreto suspensum esse a divinis.

Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Consistorialis, die 2 februarii 1918.

i$i G. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

2 februarii 1918. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Scitopolitanae promovit R. P. D. Americum Bevilacqua, hactenus episcopum titularem Rhithy mnensem.

— Titulari archiepiscopali ecclesiae Tharonensi R. P. D. Ioannem Festa, hactenus episcopum titularem Gapitoliensem.

— Titulari episcopali ecclesiae Domitiopolitanae praefecit R. D. Augustinum Migliore, protonotarium apostolicum, vicarium generalem dioecesis Nolanae, quem constituit Auxiliarem Revmi D. Agnelli Renzullo, episcopi Nolani.

8 februarii. — Titulari episcopali ecclesiae Antipatridensi R. P. D. Cyrillum de Paula Freitas, hactenus episcopum Corumbensem.

— Cathedrali ecclesiae Novae Aureliae R. P. D. Ioannem Guilelmum Shaw, hactenus episcopum S. Antonii.

— Cathedrali ecclesiae Xylopolitanae R. D. Danielem M. Gorman, protonotarium apostolicum, rectorem collegii archiep. Dubuquensis.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

FLORENTINA

DECRETUM INTRODUCTIONIS CAUSAE BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI ANNAE MARIAE LAPINI, FUNDATRICIS INSTITUTI PAUPERUM FILIARUM A SACRIS STIGMATIBUS.

Praeclaris mulieribus, quas postremis hisce temporibus elegit Dominus, ad bonum, solatium et honorem Ecclesiae et societatis et ad confusionem mundi eiusque sectatorum, merito accenseri potest Soror Anna Maria Lapini, e tertio ordine S. Francisci, Fundatrix Instituti Sororum a Sacris Stigmatibus. Florentiae, die 27 maii an. 1809, ex piis honestisque coniugibus Iosepho Fiorelli et Rosalinda Pecorai orta, in parochiali ecclesia S. Ioseph baptizata fuit, eique inditum nomen Maria Anna. Parentum cura et amore filióla aetate ac pietate succrescebat, praeclaram insimul indolem ostendens. Deo iuncta, orationi vacans, ad sacra et ad synaxim frequens erat. In schola studiis foemineisque operibus ac praetextis reparandis diligenter incumbebat, ut sua quoque industria opem familiae afferret. Docilis, modesta, mitis ac mansueta, coaequalibus praelucebat exemplo ; et dissensiones intra et extra domum facile componebat; exinde *pacificatrix* nuncupata. Status religiosi amplectendi desiderio permota, sese obtulit in tyronem successive monialibus Capuccinis, Clarissis et Garmelitanis ; sed variis de causis, praesertim ob tenuem valetudinem et conditionem familiarem, singulis vicibus, sui voti compos effecta non fuit. Pater, qui filiam suam valde diligebat et iam dolenter ferebat vitae statum ab ea optatum, etsi meliori consilio per se consonum, perpensis obstaculis occurrentibus, volens illam in saeculo manentem tuto firmòque munire praesidio, ad honestas nuptias ipsius animum disponere studuit, communiori adhaerens consilio Pauli Apostoli dicentis: « qui matrimonium iungit virginem suam, bene facit ». Interim quidam iuvenis Ioannes Lapini, cuius pater, domui proximus, antiqua amicitiae consuetudine Iosepho Fiorelli iungebatur, Annam in matrimonium petiit. Renuit ipsa, quin imo, ad suum propositum melius tuendum, in aliam domum divertere flagitavit. Distulit pater, eo magis

quod eodem tempore Ioannes militiae adscriptus abire debuit. Hic tamen, statim ac, fuit a servitio militari solutus, apud familiam Fiorelli postulatum renovavit. Hortatu sui confessarii, Anna novendialibus precibus Spiritus Sancti lumen imploravit ad divinam de sui status electione voluntatem clarius agnoscendam. Quibus expletis, iteratae petitioni iuvenis Lapini, ex parentum ipsiusque confessarii consilio, obsistere non valens, consensum suum praebuit, et annos nata viginti quatuor, matrimonium cum praefato iuvene inivit, cum aliquo tamen timore de futuris angustiis et miseriis. Revera nuptiales rosae quot spinae pungentes habuerunt insertas ob morum discrepantiam inter coniuges! Virtutibus enim foeminae, non solum alienae domus novaeque familiae status adversabatur, sed magis improbitas viri, quem Dei Famula, per plures annos patienter sustinens, extremo tamen tempore, ad bonam frugem et ad vitam christianam reduxit, post diuturnum et gravem morbum, iustorum morte conclusam. Ipsa vero, novem annis in coniugali statu exactis, et iam Tertio Ordini S. Francisci adscripta, defunctis parentibus, in domum fratris sui recepta est, ibique mansit usque ad illius matrimonium. Tunc, e domo fratris digressa, audito sui confessarii ipsiusque Archiepiscopi Florentini consilio, Vidua Lapini, Paulinum viduis monitum secuta, secundas nuptias, etsi a di vite proboque viro sibi oblatas, constanter recusavit, ut quae Dei erant unice quaereret et pietatis caritatisque operibus liberius incumberet. In domo, qua degebat, operibus manufactis operam impendens, corporibus animisque aegrotantium opem praebebat. Ipsamet autem morbo afflicta, vix convaluit, feminam quae sibi infirmae ministrabat, nomine Elisabetham Marirni, apud se libenter retinuit, eamque primam sui Instituti sodalem dein recognovit. Post seditiones annorum 1848 et 1849, instaurata pace et tranquillitate publica in Hetruria, Dei Famula, praehabito amplissimo Archiepiscopi Florentini consensu, novi Instituti fundamenta iecit, adiuvante suo directore spirituali P. Athanasio a Signa, Ordinis Fratrum Minorum, qui ipsam eiusque socias eidem Ordini aggregavit, imposito nomine « Pauperum Filiarum a Sacris Stigmatibus » easque cum quadam solemnitate, in pervigilio Pentecostes,, anni 1850, religioso induit habitu. Anno posteriore, magno Hetruriae duce favente, Soror Anna, primam domum Florentiae aperuit, secundam Fesulis et tertiam in *Montecarlo,* ac deinceps, usque ad annum 1859, duodecim domos seu recessus instituit in variis italiae Centralis et Meridionalis dioecesibus. Summopere cupiens arctiorem Instituti unionem cum Ordine Fratrum Minorum, a Ministro generali eiusdem Ordinis eandem petiit atque obtinuit. Insuper, decurrente anno 1854, Dei Famula, Archiepiscopi Fio-

rentini Minucci aliorumque antistitum litteris commendatitiis communita, Rpmam venit, Summumque Pontificem Pium IX adiit, a quo benignissime excepta fuit. Quin imo Beatissimus Pater, non modo Annam eiusque spiritum et opus laudavit, sed etiam, ut in itinere incoepto alacriter pergeret, vehementer exhortatus est, atque, in suae benevolentiae signum, Cardinalem Iacobum Antonelli in Protectorem Instituti elegit ac deputa vit, ipsumque Institutum quibusdam spiritualibus gratiis et privilegiis auxit ac ditavit. Anno autem 1859, Soror Anna, postquam in Italiam meridionalem perrexisset ad instituendum Neapoli Refugium vulgo *delle Morette* aliosque recessus in dioecesibus Caietana, S. Germani et Nuscana, ea capta occasione, Romam rediit, iterumque vidit ipsum Romanum Pontificem, qui Sodalitatem eiusque Institutricem omni laude parique gratulatione cohonestare atque Apostolica Benedictione cumulare dignatus est. Dei Famula, quae Sanctorum iosephi Calasanctii, Hieronymi Aémiliani et Francisci Assisiensis spiritu erat repleta, quaeque ex actis processualibus perhibetur summopere intenta, per se suasque filias, quibus Ipsa suo exemplo praeibat, ad puellarum educationem, ad infirmorum levamen et ad omne caritatis opus, vidit suum Institutum sin* gulari Dei beneficio propagatum, eo potissimum tempore, quo acerrimi religionis hostes Ecclesiam catholicam et Ordines religiosos, tunc in [talia florentes, collatis viribus opprimere conspiraban!. Tandem Soror Anna, infirma valetudine gravibusque laboribus iam fracta, obitum suum praesentiens proximum, sororem Bonaventuram in antistitam Instituti elegit ac deputavit, atque ipsa Florentiam rediit in recessum maiorem *del Portico.* Illic, quum cardiaco vitio et cancere maligno laboraret et lethalis morbi vis in dies invalesceret, praeclaris patientiae, obedientiae aliarumque virtutum signis editis, acceptisque piissime Ecclesiae sacramentis, die 15 aprilis anni 1860 obdormivit in Domino ; eiusque corpus, solemni funere expleto, in sepulchro maioris domus conditum, deinceps in decentiorem locum translatum fuit. Interim sanctitatis opinio Dei Famulae, in vita et post mortem, usque adhuc nunquam decrescens, imo in dies clarior effecta, viam aperuit Ordinariis inquisitionibus, in utraque Curia Fiorentina et Pratensi, super ea conficiendis: quae rite absolutae novisque documentis roboratae, Sacrorum Rituum Congregationi exhibitae sunt. Nunc vero, quum omnia in promptu sint, nihilque obstet quominus ad ulteriora procedatur, instante R. P. Francisco Maria Paoli ni, Ordinis Fratrum Minorum et huius Causae Postulatore, et Brno P. Seraphino Cimino, Ministro generali, totius Ordinis vota depromente, attentisque litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum nec

non Capitulorum, Ordinum, Congregationum, Confraternitatum et catholicarum associationum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Philippus Giustini, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur?* Ët Emi ac Rmi Patres, sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis, inscribendum censuerunt : *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 15 ianuarii 1918:

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Prefectum relatis, Sanctitas Sua, Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Intröductionis Causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Annae Mariae Lapini, Fundatricis Instituti Pauperum Filiarum a Sacris Stigmatibus, die 23, eisdem mense et anno.

A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. E. Pro-Praefectus.

L. £ß S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

ULYSSIPONEN.

DECRETUM CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE EXHIBITI SERVO DEI NONIO ALVARES PEREIRA, LAICO PROFESSO ORDINIS CARMELITARUM CALCEA.TORUM, BEATO ET SANCTO NUNCUPATO.

Clementissimus Deus qui, suo provido et sapienti consilio, tempora, eventus resque omnes disponit atque ordinat in gloriam suam hominumque salutem, ad praesentem rerum publicarum atque Europae conditionem servavit praestantissimam hanc causam apud sacrorum rituum Congregationem agitari de confirmatione cultus immemorialis praestiti clarissimo viro, comestabili Lusitaniae gentis, qui non minus familiae ac patriae quam Ecclesiae catholicae et Ordinis Carmelitici decus et ornamentum, vitae sanctimonia et virtutum splendore maxime

in Lusitania refulsit, nomine Nonius seu Nunus Alvares Pereira, humilis laicus professus Carmelitarum Calceatorum. Hic Dei Famulus in loco vulgo *Bomiardim,* die 24 iunii 1360 natus, optimis moribus ac disciplinis congruenter instructus et inter regios-pueros cooptatus, adeo Regis eiusque uxoris gratiam invenire meruit, ut decimum tertium vix annum agens, et militiae adscriptus, et eques creatus, et regiis armis, ipsius Reginae manibus, fuerit solemniter indutus. Parentum eiusdemque Regis exhortationibus indulgens, in aetate septendecim annorum, nupsit nobilissimae dominae Eleonorae de Alvim, a qua duos habuit filios immature defunctos et unicam filiam Beatricem, quae Corniti Barcellensi et primo Brigantino Duci, legitimo matrimonio iuncta, numerosae soboli longe lateque diffusae dedit originem. Inde enim complures Europae Principes ac Reges, Imperator Carolus V et, e postremis, ipse Lusitaniae Rex Emmanuel II, prodierunt. De scientia et virtute militari Servi Dei, eiusque gestis ac victoriis ad patriae suae independentiam ac libertatem tuendam ac vindicandam, etsi multa et praeclara afferri possint, tamen pauca et utilia in hac causa innuere sufficiat. Ab anno aetatis suae vigesimo tertio, in quo summum rei militaris imperium adeptus est, usque ad annum sexagesimum secundum, annum Domini 1422, patriam ab hostili incursu et dominatione strenue ac viriliter pugnando liberavit; invictus heros et libertatis assertor proclamatus, ab ipso Rege ad supremos Regni honores et dignitates pro merito evectus fuit. Inter armorum strepitus a fide et religione in Deum vim et robur Nonium accepisse testantur scriptores historici lusitani, inter quos clarissimus auctor *Agiologii Lusitani,* qui eius peculiarem devotionem erga Ssmum Eucharistiae Sacramentum et Beatissimam Virginem Mariam describit, referens etiam responsum quod Dei Famulus dare solebat adnotantibus Eius frequentiam ad sacram synaxim: « Qui victum in acie, aiebat « Nonius, me videre desiderat, ab hoc sacro epulo in quo Deus ipse, cibus « fortium, homines reiicit, me segreget; etenim ab eo edulio plene con- « fortatus, animum, fortitudinem et vires ad inimicos debellandos plane « induo ». De eximiae autem pietatis affectu quo Ssmam Virginem prosequebatur, splendida documenta et argumenta extant imago ipsius B. Mariae Virginis, quam, militaribus vexillis appictam, auspicato gerebat, sex tempia, ex septem ab ipso erectis, Deiparae Virgini sacra, Missarum solemnia in illis ad aras principes perpetuo celebranda, et stricta ieiunia a Nonio fideliter observata in sabbatis per annum et in vigiliis festorum marialium, quamvis certamini destinatis. Itaque nil mirum si Dei Servus aeque fuit castus ac devotus in triplici statu caelibatus, matrimonii et viduitatis, et si, uxore propere amissa, ipse, adhuc

iuvenis, numquam ad secundas nuptias transire voluerit. Quin imo, continentiae ac temperantiae exemplar, milites sibi subiectos a turpi vitio verbis, praemiis et poenis arcebat, identidem subiungens: «Miles quo « continentior, eo bellicosior, qui autem istam angelicam virtutem in « pretio non habet, dimidium triumphi, dum in aciem descendit, adver« sario iam cessit ». Hisce virtutibus ac subsidiis paratus praelia aggrediebatur et victorias, quas reportabat, ipse dux cum suo exercitu, Omnipotenti Deo, Beatissima Maria Virgine deprecante, grato devotoque animo adscribebat. Vir tot trophaeis, triumphis et dignitatibus cumulatus et gloriosus, vindicata patriae ac religionis libertate, de sua spirituali perfectione cogitans, Salvatoris nostri Dei verbis et exemplis permotus: « Si vis perfectus esse ..... sequere me », atque ipsius gratia adiutus, statim ad Virginis Deiparae aram ense suspenso, mundique divitiis, illecebris atque honoribus contemptis, infra Carmelitarum aedes, quas ipse extrui fecerat atque dotaverat, se recepit, et mense iulio anno 1422 vestem fratris Donati cum omnium admiratione et aedificatione sub nomine fratris Nonii a Sancta Maria assumpsit. Divino beneficio religiosae vocationis se indignum reputans, numquam adduci potuit, ut sacerdotio augeretur et choristae professionem emitteret. Fratris laici officiis et laboribus apprime contentus, auditus est haud semel dicere: « In Domo Dei nul« lum officium est intimum, sed omnia primaria et excellentia; ego autem « ingressus sum ministrare, pari cum ceteris sorte in sudore vitam ducere ». Expresso desiderio commutandi coenobium cum altero extra Ulyssiponem et Lusitaniam, ad vitandam civium et virorum illustrium frequentiam et ad curandam maiorem cum Deo conversationem, obstitit Superiorum ipsiusque Regis voluntas, cui Frater Donatus acquievit et obtemperavit. Historice compertum est quod Dei Famulus in carmelitano coenobio vera religiosarum virtutum gloria adumbratam belli laudem longissime antecelluit; et proceribus mundi sanctitatis exempla et documenta ministrans, religiosis arctioris observantiae normam praestitit. Decem circiter annis coenobiticae vitae exactis, obitum sibi imminere sentiens, frequentioribus virtutum actibus ad extremum anhelitum se paravit. Adveniente mortis die. Sanctissimum Viaticum devotissime suscepit, emissa orthodoxae fidei professione; subinde etiam extremam unctionem. Ita refectus et roboratus, candelam benedictam laeva manu tenens, et Crucifixi effigiem, quam devote conspicit et osculatur, dum Passio Domini nostri Iesu Christi secundum Ioannem a quodam religioso legitur, ad verba: *Ecce Mater tua,* spiritum Deo reddidit, die 1 novembris anni 1431. Sed hisce praenotatis de vita et gestis Servi Dei, ad quaestionem quod attinet de confirmanda sententia eius cultus immemorialis, dicendum est

quod in Processu Ordinario Ulyssiponensi cum subsequenti sententia die 7 martii 1914 ad sacram Rituum Congregationem delato, huiusmodi cultus publicus et ecclesiasticus Dei Famulo praestitus exhibetur incoeptus paulo post eius obitum, in dies auctus ac perseverans usque in praesens, permittentibus locorum Ordinariis. Documenta vero e Curia Patriarchali, e Biblioteca nationali Ulyssiponensi, ex annalibus, regestis et agiographis carmelitanis desumpta, aliaque plura argumenta producta referunt ac probant, festum Servi Dei una ex primis diebus mensis novembris quotannis celebratum cum Missis de Communi Confessoris, tabellas votivas et lampades ardentes ad Eius sepulcrum appensas, sacella et altaria dicata, imagines et statuas beatitatis vel sanctitatis signis et aureolis redemitas, sive privatae sive publicae venerationi expositas et fidelibus petentibus distributas. Accedunt canonicae recognitiones et translationes corporis et exuviarum peractae annis 1522, 1548,1768, 1836 et 1906, signa et prodigia quae, interventu Servi Dei, asseruntur divinitus patrata in favorem fidelium Eius opem implorantium, ac demum supplices libelli regum Ioannis IV et Petri II atque episcoporum Lusitaniae ad impetrandam a Sancta Sede Nonii beatificationem et canonizationem iuxta leges et consuetudines probatas. Interim Emo et Rmo Domino Cardinali Antonio Mendes Bello, Patriarcha Ulyssiponensi, et Rmis Archiepiscopis et Episcopis Lusitaniae, una cum Revmo P. Gabriele Wessels, Ordinis Carmelitarum Calceatorum postulatore generali, enixe rogantibus, Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV, inspectis peculiaribus Causae adiunctis, per decretum S. R. C. diei 14 februarii anni 1917, dispensationem in praesenti causa a decretis sa. me. Pii Papae X, dd. U novembris 1912 et 31 ianuarii 1913, indulgere dignatus est. Itaque quum omnia in promptu sint et nihil obstet quominus ad ulteriora procedi possit, instante praefati Ordinis et Causae Postulatore, etiam Prioris Generalis eiusque Vicarii ac totius Ordinis Carmelitarum Calceatorum vota depromente, attentisque litteris postulatoriis omnium Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum Lusitaniae ad Summum Pontificem, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Ostien. et Praenestinus, Sacri Collegii Decanus et eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coactis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia iudicis ab Emo et Rmo* ***Dno*** *Cardinali Patriarcha Ulyssiponensi delegati super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Nonio, seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae* ***VIII*** *sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus prae-

positi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuerunt : *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo placuerit.* Die 15 ianuarii 1918.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 23, eisdem mense et anno.

iii A. CARD. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Pro-Praefectus.

L. % S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

III

ROMANA

ECCLESIAE S. CORDIS IESU IN URBE PRIVILEGIUM CONCEDITUR CELEBRATIONIS MISSARUM DE REQUIE SINGULIS PER ANNUM DIEBUS.

Ad humiles enixasque preces Rmi P. Petri Benedetti, parochi ecclesiae urbanae S. Cordis Iesu, in ripa dextera Tiberis ad sepulchrum Caesarum aedificatae, moderatoris etiam Archiconfraternitatis ad animas purgatorii sublevandas, ab ipso S. Corde Iesu nuncupatae et ibidem erectae, Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV ad christifidelium frequentiam et pietatem magis fovendam et per sacra mysteria in defunctorum levamen augenda suffragia, de speciali gratia indulgere dignatus est, ut in supradicta ecclesia parochiali Missae de Requie cum cantu vel lectae celebrari valeant singulis per annum diebus; exceptis tamen Festis duplicibus primae et secundae classis, Dominicis, aliisque festis de praecepto, necnon Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis; servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30 ianuarii 1918.

£B A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Pro-Praefectus.

h. © S .

Alexander Verde, *Secretarius.*

IV

LAUDEN.

DE COLLECTA « PRO RE GRAVI » IMPERATA

Evulgato Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, diei 23 decembris 1914, de collecta imperata ab Ordinario *pro re gram,* nuper in Dioecesi Laudensi quaedam dubia exorta, ab hodierno ipsius Dioecesis caeremoniarum magistro, de mandato sui Rmi Episcopi, eidem Sacrae Congregationi, pro opportuna solutione, proposita sunt; nempe:

I. An in festis duplicibus I et II classis, Collecta pro *re gravi* dicenda sit sub unica conclusione cum Missae Oratione?

II. An in Missa concessa de Sacratissimo Corde Iesu, prima sexta feria cuiusvis mensis, in qua Missa dicitur unica Oratio, recitanda sit Collecta imperata *pro re gravi?* Et quatenus affirmative, an etiam sub unica conclusione?

III. An quoties in Missa diei facienda sit aliqua commemoratio, Collecta *pro re gravi* adiungi debeat Orationi Missae sub unica conclusione; an potius dicenda sit post ultimam commemorationem?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis ita rescribendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad III. Quoad primam partem *negative,* et provisum in praecedentibus, quoad secundam *affirmative.*

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 16 februarii 1918.

£B A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. O. Pro-Praefectus.

L. © S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I

TARVIS1NA

NULLITATIS MATRIMONII (MARCHESE-GRANZOTTO)

Benedicto Papa XVfeliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die 9 martii 1917, RR. PP. DD. Petrus Rossetti, Ponens, *Raphael Ghimenti et Maximus Massimi, Auditores de turno, in causa* Tarvisina - Nullitatis matrimonii, *inter* Virginiam Marchese, *repraesentatam per legitimum procuratorem Angelum d'Alessandri, advocatum, et* Auxilium Granzotto, *interveniente et disceptante in causa Substituto Defensoris Vinculi ex officio, sequentem tulerunt in secundo gradu sententiam definitivam.*

Virginia Marchese, filia Iosephi, domo Monastier in Tarvisina dioecesi, die 16 aprilis 1904 coram parocho proprio, Tridentini lege servata, cum Attilio Granzotto, eiusdem loci, matrimonium contraxit, quod exitum habuit infelicem. Cum enim tres circiter anni a matrimonio contracto eftluxissent, Virginia, adulterinos fovens amores, coniugali thalamo relicto, cum alio viro commune vitae consortium instituit.

Ex tunc, septem fere elapsis annis, audivit Virginia, matrimonium suum probabiliter non fuisse validum. Hac habita notitia, coram Ordinario Tarvisino petiit, iudicium ad formam iuris institui, suique matrimonii nullitatem ex capite *vis et metus* declarari. In Tarvisina Curia processus fuit rite confectus: sed sententia prodiit die 13 maii 1915, quae decrevit : *Non constare de matrimonii nullitate in casu.*

Ab hac sententia patronus actricis appellavit ad Tribunal Metropolitanum Venetiarum, et non soluni petiit sententiae huius revocationem, sed eius etiam impugnavit validationem propter substantialem procedurae defectum. Et revera Tribunal Metropolitanum, mediante sententia diei 15 iunii 1915, quae rei iudicatae auctoritatem obtinuit, nullitatis

querelam admisit, et insuper, suppletiva praemissa instructione, die 14 februarii 1916 accusatum matrimonium nullum atque irritum declaravit.

Contra sententiam hanc Venetiarum Defensor Vinculi ex officio, prout de iure, illico ad H. S. *T.* interposuit appellationem, quae in hodierno Turno Rotali disceptanda et definienda proponitur sub consueta formula dubii: *An constet de matrimonii nullitate in casu?*

Quod spectat ad ius. - Cum nuptias non faciat *concubitus,* sed *consensus* est in iure statutum, nupturientes plena debere libertate gaudere, excluso timore, ne quis per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire (cap. *Cum locum,!^;* cap. *Cum veniens,* 15; cap. *Consultationi,* 28, *de sponsal. et matrim.;* cap. 2. *De eo qui dux. in matrim.).* Inde communis Theologorum et Canonistarum est orta sententia, quae docet, esse matrimonium metu contractum nullum et irritum ; sed tunc tantum cum metus *a causa libera,* scilicet ab homine, incussus, est I° directus ad matrimonium extorquendum; 2° iniustus quoad substantiam; et 3° gravis, seu *absolute,* quando grave est periculum, qui dimetitur *ex damno* quod imminet, seu *relative,* quando gravis est mentis trepidatio, quae *ex affections* metum passi exoritur et consideratur (S, Tbom., 4 dist. 29, qu. unie, art. 3; Sánchez, *De matrim.,* 1. IV, disp. XII; Reiffenst., 1. IV, tit. 1, n. 325; Schmalzgr., 1. IV, tit. 1, n. 386; D'Annibale, *Summ. Theol. Mor.,* III, § 315, Edit. II; Gasparri, *De matrim.,* IT, n. 938 sq., edit. IV).

Metus gravis dicitur qui cadit *in virum constantem* (cap. 15 et 28, *De spons. et matrim.;* et cap. 6, *De iis quae vi metusve causa fiunt).* Ut possit retineri *talis* quinque conditiones a Sánchez designatae (lib. IV, disp. 1, num. 10) ad duas reducuntur; scilicet I° ut malum instans vel futurum sit grave *pro illa persona* quae timet; ita ut haec illud sustinere nequeat; et 2* ut haec persuasum habeat, malum illud sibi imminere (Gasparri, 1. c, n. 940); quare pro determinanda metus gravitate non est una inspicienda obiectiva mali minitati consideratio, sed natura etiam atque indoles est consideranda personae malum illud pertimescentis: immo et personae quae malum minitatur. « Gravitas timoris « oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum a quibus hae pro- « ficiscuntur, tum eorum qui eas pati dicuntur » *(Instr. Sancti Officii,* 2 iunii 1883).

Metus levis non attenditur (LL. 6, 7, 8, *Quod metus causa,* cap. 6, *De iis quae vi metusve causa fiunt)* ; et merito : nemo enim praesumitur tali metu compulsus. Metus huiusmodi non solum non attenditur in foro

externo, sed neque in *interno,* aliter ac nonnulli opinantur; Ecclesia enim *simpliciter* et *indiscriminatim* matrimonia nulla retinet *propter metum gravem* (Gasparri, 1. c. n. 945; Wernz, IV, n. 263 in nota).

Etiam metus reverentialis in casu matrimonii *gravis* esse potest, non quidem *in se,* sed ex adiunctis. « Metus reverentialis, ait Wernz « *(De matrim.,* tit. 8, n. 264), aut omnino non est metus, aut *per se* est « tantum levis, qui matrimonium non irritat. Quod si accedant aliae « minae, timor perpetuae indignationis, preces importunae, constantes, « atque similes circumstantiae, metus reverentialis fit qualificatus, vere- « que *gravis;* atque idcirco dirimit matrimonium ». Quod docent etiam Reiftenst., 1. I, *Decret.,* tit. 40, n. 95; Schmalz., in 1. I, *Decret.,* tit. 40, n. 5; Sánchez, lib. IV, disp. XV, n. 14; Gasparri, 1. c. II, n. 943; d'Annibale, tom. I, § 138, n. 14 in nota. Hoc etiam saepe declaravit S. C. Concilii, et H. S. O. retinuit, ut in *Parisien.,* 20 februarii 1910; in alia *Parisien.,* 13 martii 1911, atque in aliis, quae brevitatis causa omittuntur.

Qui metum allegat habet contra se praesumptionem, attento favore iuris quo gaudet matrimonium : et ideo ei onus incumbit *concludentis et fortioris probationis* (Rota, dec. 117, n. 8; dec. 290, n. 1; dec. 469, n. 3; dec. 45, n. 7, p. 4, tom. I). Quare « nulla ratio est habenda de oppositis «exceptionibus quando illae non sunt adeo perstringentes et efficaces, « ut incontinenti et concludentissime evincant praetensam nullitatem, « sive ex defectu liberi consensus, sive ex alia irritanti causa proma- « nantem » (Rota, coram Ratto, dec. 149, § 1).

Factum quod attinet. - Iamvero RR. PP. Auditores retinuerunt, metum incussum in casu non fuisse ex actis vere probatum. Sane primum Virginia plura deposuit, quae a testibus fide dignis veluti falsa non fuerunt admissa: sive haec mala fide affirmaverit, sive quacumque alia de causa, semper adest ratio dubitandi, an hoc idem sit retinendum cum metum sibi a parentibus incussum exposuit, et consequenter an hac in affirmatione mereatur fidem.

Sed deinde, ipsa Virginia fatente, quae eius parentes egerunt, suasionum et cohortationum fines non excesserunt; ei enim, antequam sponsalia contraheret, suadere satagerunt, matrimonium cum Attilio Granzotto utilissimum sibi futurum, et, sponsalibus initis, non expedire et valde esse inconveniens a matrimonio contrahendo abstinere.«La mamma, « ait Virginia, cercava di *persuadermi* che le condizioni del Granzotto « erano per me assai vantaggiose, e che non avrei trovato meglio di « quello... *et xé bon, e bisogna che te lo sposi* ». Hoc pater eius confirmat, qui ait: « Per parte nostra si credeva che il matrimonio fosse per

«riuscire felice; tanto è vero che ho chiamato a parte la figlia e le ho < detto, che prima di fare il passo *bisogna pensarghe; mi me par che « Vaffar sia per ti; ma fa quel die ti noi* ». Quibus auditis, cum Virginia sponsalia contraxisset, consonum erat, ut datam fidem servaret : et hoc parentes observari mandarunt: « Accettai gli anelli, subiungit actrix,... « la mamma mi disse la sera stessa al mio ritorno: *Adesso bisogna che « te lo sposi e che non te fassa più la mata».* Virginiae pater dixit: « Non ho fatto minaccie prima di ricevere gli anelli, nè pressioni: *ma « dopo go sempre dito che bisogna che la sia onorata e de carattere.* E « così dicevano tutti di famiglia, come il mio padre di 92 anni ». Et alibi : « Prima l'abbiamo lasciata libera di accettare qualche partito : *ma « quando ha ricevuto gli anelli le ho detto, che adesso non si può più « scherzare, ma star sul punto* ». Haec eadem fuit matris agendi ratio, idem enim Ioseph Marchese a iudice interrogatus: « Pare a lei, che sua « moglie facesse pressioni presso la figlia perchè sposasse il Granzotto?... » aperte respondit: « Niente affatto! Posso dire che ella le diceva: *Pen- « sighe ti* (e ridendo): *Var da che ghe n'ho anca mi uno de mato* (allu- « dendo a me stesso) ». iamvero parentibus ius est dandi consilia filiis, quibus onus incumbit ea sequendi quando sunt rationabilia et iusta: quae consilia in casu sunt vere talia cum Virginiam urgerent vel ad suam comparandam utilitatem, vel ad fidem datam sponso suo servan- dam, et abessent minae. Hoc itaque sub respectu metus dici nequit incussus.

Cum vero sit timor in animo reconditus nonnisi per actus patet exterius, qui causae rationem habent ad illum veluti ad effectum : ideo actus specifici debent constare a quibus fuit inductus: adeo ut non relevet affirmatio generica (Glossa, 1. *interpositas V. nec tamen c. de transad.).* Quare ait Cosci: « Metus tamen pro annullando matrimonio « non probatur per testes non concludentes de circumstantiis minarum; « deponere namque debent de metu, et circa metum, de quo in specie « agitur, alias nihil relevant » (De *spons.,* c. 8, n. 61 sq). Nunc vero nec actrix nec alter ex testibus, qui hac super se fuerunt interrogati, praeter affirmationes genéricas, facta specifica assignarunt. Virginia enimvero dixit: « La mamma cercava di persuadermi... e quando mi vedeva par- « lare con altri *mi faceva delle scene...* spesso ripeteva *le stesse scene « violenti...* ho pianto per rabbia di non potermi liberare *dall'insistenza « dei genitori* ». Frater eius Aloisius dixit: « *Volentieri non la xé andata* « (al matrimonio) ». Anna Cappelletto ait: *non posso precisare quali sorta « di minaccie e pressioni* abbiano avuto luogo perchè *contrasti su questo «pùnto ce ne erano sempre.* Più che consigli furono *pressioni* sempre

« per il bene della ragazza ». Ioanna Zanetti Moretto sibi relatum dixit a Virginia, et quidem post matrimonium, se ad hoc « fu spinta *dalle « pressioni e imposizioni del padre e della madre...* che il Granzotto lo « aveva sposato *costretta dal padre e dalla madre* ». Fere eadem dicunt Ioseph Rizzetto, frater Virginiae Aloisius, aliique. Quibus in depositionibus quae vexationes in *specie* fuerint adhibitae nullimode apparet: unde nec potest agnosci an et quomodo revera Virginiae animus trepidaverit.

Aliunde alii non desunt testes, qui contrarium omnino deposuerunt. Soror actricis Clementina, quae cum simul' paterna in domo viveret omnia bene noverat, dixit: « Non mi consta che i genitori abbiano fatta « minaccia alcuna e violenza alla sorella... il fratello e la sorella (Vir- « ginia) si sono uniti in matrimonio *liberamente e di loro spontanea «volontà* ». Eius etiam pater Iosephus a iudice interrogatus an uxor « facesse pressioni presso la figlia perchè sposasse il Granzotto? » respondit: « Niente affatto ». Et Adeles Panto ait: « Per parte mia non credo «che (la madre) *Vabbia costretta a quel matrimonio ».* Teste autem archipresbytero Gobbo, plures affirmarunt, se numquam audivisse « che il matrimonio fosse stato fatto per forza ». Unde idem Archipresbyter potuit affirmare: « Da quanto ho potuto conoscere da una mia « investigazione privata, non ci furono pressioni vere da parte della « famiglia ».

Neque relevat quod Virginia dixerit, verbera non defuisse : « Ricordo « che il giorno della Sagra di Prolongo (8 settembre) non volendo io «trattare col Granzotto, dopo il pranzo andai a riposare... La mamma «alle tre pomer. venne a chiamarmi perchè avessi ad accontentare il « Granzotto, ed avendo io negato, specialmente per la condizione apposta « dal Granzotto di non entrare più in casa mia, mia madre *me tirò zo « da letto dándome de scapazzoni* ». Hoc enim est factum, quod nihil habet extraordinarium, et a consueto agendi modo parentum rusticorum alienum, ut filios suos in officio contineant pro bono familiae, eorumque utilitate; quodque facile explicatur si ex una parte attendatur periculum utilitatem amittendi ex matrimonio proposito orituram, et ex altera filiae indoles cerebrosa, quin inde vis allata deducatur metusque incussus, qui ad matrimonium irritandum requiritur. Et hoc eo magis quia factum istud semel tantum dicitur contigisse; cum enim matrem inter et filiam relationes ordinariae et familiares fuerint illico restitutae, etiam timoris ratio cessavit, qualibet posthabita facti huius memoria.

Nec etiam relevat eiectio a paterna domo, quae a patre dicitur minitata: « *Queló el xé adesso, se no quela el xé la strada, e gamba » ;*

quem enim sensum haberent haec verba Iosephus ipse alia in depositione candide aperuit. Iudici sciscitanti: « È vero che ricevuti gli anelli « gli avrebbe detto: *Adesso quelo el xé, se no gamba?* » respondit: « Non è « vero; ma questo è Vero, che mentre si suonavano le campane per la « celebrazione del matrimonio e lei si mostrava confusa e anche pian- « gente perchè si distaccava dalla famiglia (almeno questo mi pareva « allora il motivo) io le dissi: *Avanti, e se non te par, indrio;* al che la « Virginia nulla rispose ». Voluit ergo per ea verba haesitationem removere quin illius laederet libertatem, non vero eiectionem e paterna domo minitari.

Neque dicatur Virginiam nunquam Attilium amasse, et ideo metu coactam ei nupsisse, sicut retinet sententia appellata - ibi: « Necesse est « igitur alterum de duobus, ut aut amore ducta, aut metu coacta nup- « serit Attilio ». Amoris enim defectus in casu ultro conceditur; sed quae inde deducta est consequentia a Patribus non probatur. Amore enimvero absente, et e^iam metu remoto, nihil impedit quominus nuptiae alio ex motivo libere contrahantur, ex. gr. divitiarum, vel alterius utilitatis cupiditate. In casu non constat huiusmodi motivum abfuisse ; quin potius constat contrarium. Nam defectus amoris ex parte Virginiae erga virum suum non adeo fuit absolutus, ut animum ab eo perfecte alienum dicenda sit habuisse, perinde ac si eum odio fuisset prosequuta. Ei equidem visus fuit Attilius « rozzo e impacciato »; sed hoc non obstante, ei etiam placuit veluti « non brutto », cum esset quoque vir probus et bona fama in societate commendatus. Quae vero de nuptiis cum illo contrahendis liberrime cogitare coeperat; quae nullam unquam ab eo passa fuerat iniuriam, immo benevolentiam fuerat experta, licet non solum amoris ei signa denegasset, sed contumeliis etiam eum affecisset; quaeque matrimonii valde cupida, cum nullos alios amatores haberet, quid sibi esset agendum incerta manebat, consiliis et cohortationibus parentum cessit, et consensum praebuit, licet cum aliqua repugnantia, et sine pleno amore, ut sibi aliquo modo consuleret, et gravioris damni incommoda vitaret, rata, sibi melius esse virum eligere, quem non diligebat, quam nullum habere et innupta manere. Hoc plene respondet Virginiae naturae, quae tam facile volebat et nolebat. Iamvero nullibi legitur, nupturientibus exoptatam rem esse debere matrimonium; sed praescribitur, esse debere libere contractum seu volitum, et hoc optime componitur cum iis quae minus appetuntur. Unde iuridice non repugnat unum amare et alteri nubere: quod accidit in casu Virginiae cum Attilio.

Melior non exurgit metus probatio ex verbis a matre Virginiae pro-

latis: *Sono stata mi che la go assassinata,* quae respondent depositionibus Annae Cappelletto: *Se vede proprio che la ga sposa per forza;* atque attestationi Aloisiae Scrinzi, quae matris verba retulit. « Ma io sperava « che col tempo gli si sarebbe affezionata ». Ipsa enim suasionibus, cohortationibus suis filiam induxit ad matrimonium: et consequenter, cum hoc, quin felicitatem, filiae suae tam gravia damna attulisset, horum se dixit auctricem et causam occasionaiem. Non sunt ergo verba praefata eo sensu accipienda ut veluti incussi metus confessio a matre sint retinenda.

Quocumque ergo sub respectu quaestio consideretur, legitime non constat, nuptias de quibus agitur, sub metus influxu fuisse contractas. Hoc posito, pro matrimonio standum est, omnibus reiectis quae in contrarium fuerunt adducta.

Nihilominus RR. PP. Auditores metum etiam, qui in casu praetenditur incussus, perpendere non omiserunt, eumque neque iniustum, neque gravem retinuerunt.

Quoad metus iniustitiam, Domini verba considerarunt, quibus Virginia dicitur coacta. Sponsalibus initis, ipsa fatente, mater dixit: « *Adesso « bisogna che te lo sposi e che non te fassa più la mata » ;* et pater ait: « La parola data non si può più ritirare... adesso non si può più scher- « zare, ma star sul punto ... *go sempre dito che la sia onorata e de caratos tere* ». Quibus in verbis RR. PP. unum dumtaxat invenerunt; studium scilicet parentum curandae bonae famae Virginiae, eiusque consulendi conscientiae illam urgendo ad implendam obligationem per sponsalia susceptam. Et in hoc tanto magis institerunt quia Virginia ex una parte ab Attilio non recedebat, et ex altera alios iuvenes deperibat, ut ex Attilii aliorumque depositionibus elucet: quae agendi ratio nec erat honesta, neque periculis carebat: adeo ut Ioseph Rizzetto dicere potuerit Antonio Lc-renzon: « *Gossa pensistu de parler con questa tosa? la fa l'amor. Ti « va a riscio de prender le bote ».* Hisce positis, nihil omnino deprehenditur, quod non sit rectae rationi, iustitiaeque conforme. Iamvero, ex communi DD. sententia, parentes, iusta interveniente causa, possunt filios ad matrimonium inducere, quin ullo modo requisitam eorum laedant libertatem, et ullam in eos committant iniuriam, et quin consequenter eorum matrimonium fiat irritum. Quare Reiffenst. *(De spons. et matrim.,* § IX, n. 239) ait: « Matrimonium non dirimit ubi metus, etiam gravis, « *iuste* inferatur »; ratio est tum quia iustus metus non tam a iudice aut ab alio homine, quam ab ipso incutitur iure, aut lege volente, ut in certis casibus et circumstantiis sub minis et poenis alligati ad matrimonium adigantur.

Gravitatem autem timoris quod spectat, visum est Dominis, eam nedum non esse probatam, sed potius esse excludendam. Virginia sane refert, se a parentibus fuisse obiurgatam propter servatam cum aliis iuvenibus familiaritatem ; hoc enim sponsalitiae fidei et obligationi sumptae contrarium existimabant. Quod pater eius confirmat. Sed praeter verba nihil aliud legitur adiunctum; abfuerunt minae et cuiuscumque speciei vexationes : immo a verbis quoque quaelibet abfuit asperitas et inhumanitas, et quidquid aliud contra rationem, cum unam Virginiae sponsalitiae fidei obligationem urgerent. Et hoc sub respectu ratio non suppetit cur Virginiae graviter trepidaret animus, parentum gravem et diuturnam metuens indignationem, seu metueret sibi gravem malum imminere.

Neque huiusmodi timoris ratio deprometur ex indole personarum, sive parentum sive actricis ipsius, quae pro determinando metu debet attendi. Parentum enimvero natura erat severa, et agendi ratio dura: « I genitori erano di carattere forte... Il padre era di natura severo.... « come pure severa la madre... ». - « *A casa mia,* ait pater, *go sempre « comanda mi* ». Sed hoc minime obstante, ratione potius et prudentia in familia regenda ét gubernanda, quam severitate et violentia, ducebantur. « I genitori sapevano farsi rispettare ; ma qualche volta erano « anche remissivi », ut refert Clementina Marchese. Ioseph pater, licet indolis severae et facilis esset ad iram, fuit tamen *sempre buono,* teste Rizzetto. Et hoc constat etiam in casu contigisse. Nam omnimodam pater filiae suae reliquit deliberandi libertatem; ipse enim « avrebbe « voluto che il matrimonio si facesse per S. Martino *affinchè la, figlia « potesse saper bene quello che faceva* » ; ideo dixit etiam : « Ho chiamato « a parte la figlia e le ho detto che prima di fare il passo *bisogna pen- « sarghe:* mi me par che l'affar sia per ti: *ma fa quel che ti voi...* bisogna « che ci pensi su perche me pare, che non gli (Attilio) voglia tanto bene ». Nil ergo mirum si a iudice percontatus : « È vero che il teste avrebbe con- « siderato cosa gravemente contraria alla serietà ed al decoro, anche « proprio, se la Virginia, dopo gli anelli, avesse rifiutato il Granzotto « pochi mesi prima del matrimonio ? », respondit : « Tutt'altro, e non « avrei fatto nessun lamento se ella lo avesse decisamente rifiutato ». Et hoc de matre etiam est retinendum; de ea enim, praeter dicta, sic testatur Adelaides Panto: « So che sua madre aveva buone maniere « sempre; e per parte mia non credo che l'abbia costretta a quel matri- « monio », quae hac etiam in re non dissentiebat a viro suo quia cum ipso eodem agebat consilio : « Le son cose in cui ho lasciato che si sbri- « ghino sempre le donne, per quanto sia vero che mia moglie parlava

« sempre con me prima di decidere una cosa di famiglia ». Utriusque ergo parentes indoles ea non erat, quae in animo Virginiae timorem gigneret gravis et diuturnae indignationis, seu gravis damni.

Virginiae quoque natura non erat adeo facilis, ut ex parentum indole et agendi ratione cornino veretur, et graviter trepidaret, suspicata ex illorum indignatione sibi grave damnum imminere. « L'opinione pubblica « la riteneva una testa leggera ». Non est ergo mirandum- si soror eius Clementina dixerit: «Riguardo al suo affetto verso il Granzotto era *« estrosa* e *indifferente.* La sorella Virginia era di temperamento *svelto » :* et Anna Cappelletto affirmaverit « La Virginia era di temperamento « ordinario e d'indole allegra ». Quibus affirmationibus facta respondent; Virginia enim facilis fuit choreis ducendis, etiam cum circumstantiae aliter voluissent: ex. gr. cum ab Attilio recepisset annulos choreas duxit, illo relicto. « Dopo un anno e mezzo, dixit Attilius, le pagai gli «anelli: non si curò di me; mi abbandonò e andò a ballare ». Hoc v',onfirmat Virginiae pater: «Essa era amante del ballo e qualche volta « ebbesi a fermare fino alle 9,30 », et soror quoque Clementina concedit. Inde huius consuetudo libere conversandi cum iuvenibus. Quae cum esset Virginiae indoles, quin timori, dicendo potius esset facilis contemptui et inobedientia^ Et revera Adelaides Panto affirmavit, « che « temesse il padre io non lo so; non temeva certamente tanto la madre.: « tanto è vero, che anche contro la volontà di lei si recava qualche « volta alla Sagra nei paesi vicini. Era amantissima del ballo, ma non « so fino a che ora vi si fermasse ». Quod confirmat Archipresbyter Gobbo « che la giovane sia tale da non temere alcuno è un mio pen- « siero personale dalle investigazioni fatte ». Quare si metus etiam subiective consideretur, gravitas eius excluditur.

Hactenus exposita confirmantur ab adiunctis, quae nuptias antecesserunt, comitata sunt, atque subsequuta. Nam Virginia fatetur, se nonnisi post annulos receptos parentum subiisse coactionem. Quando ergo annulos acceptavit et sponsalia contraxit adhuc fruebatur libertate. Hoc fatetur etiam A. Panto amicitiae vinculo iuncta Virginiae, quae ei amatorias litteras scribendi munus commiserat. Quae ad matrimonium erant necessaria Virginiam sibi comparasse, referunt soror eius Clementina et Attilius Granzotto. Cum autem Attilius in longinqua regione moraretur, amatorias litteras, licet non adeo frequentes, ad eam misit, et reversum domi recepit, sponsorum more servato. In actu praeliminari vulgo *Bollettino,* a Parocho requisita « utnrm sponte, libere, et secundum honestatem Sacramenti vellent (sponsi) contrahere? », licet desit directa probatio circa affirmativam Virginiae responsionem, haec tamen non immerito

praesumitur, cum constet, parochum munere suo rite functum fuisse in monendo populo de obligatione revelandi canonica impedimenta si quae parochiani cognoscerent, *e nelV esporre la dottrina cattolica della libertà degli sposi.*

Quare in matrimonii celebratione nihil omnino apparuit, quod Virginiae contrariam ostenderet voluntatem; immo contrarium prorsus apparuit: «. La mattina del matrimonio la Virginia mi si è presentata « tutta quieta e tranquilla », testatur Ioseph Rizzotto eius avunculus; et Clementina hoc confirmat. Et siquidem pater dixit: «Si mostrò confusa « e piangente » hoc non ex matrimonio, sed, huius occasione, ex humanae naturae conditione profluxisse affirmavit: « perchè si distaccava dalla « famiglia ».

Matrimonio vero contracto, nihil ab usu alienum accidit. « Al pranzo « non notai niente di straordinario »; immo communis et consuetae laetitiae signa non defuerunt. « Finito il pranzo di nozze abbiamo giuocato « alle palle, e a questo giuoco *prese parte anche la Virginia* ». In domo viri haec fuit *bene* recepta. Et siquidem matrimonium non fuit illico consummatum, qua de causa hoc evenerit, nos latet; sed certo ratione matrimonii non accidit, nec ex Virginiae oppositione; Iudicis enim interrogationi: « Avete voi usato subito, fin dalla prima sera, dei vostri diritti « maritali; ovvero la Virginia si è rifiutata a rendere il debito coniu- « gale? » respondit Attilius, non contradicente Virginia: « No; per mie « ragioni particolari non ho credutojii usare del mio diritto; non la ho « mai richiesta, e quindi non si è mai rifiutata ».

Quod si velit agnosci dissentionum, quae inter coniuges ortae sunt, causa vera, haec, independenter a matrimonio, *primum* repetenda est a relationibus Virginiae cum socru, cuius non fruebatur urbanitate et gratia: *secundo* a viri sui vexationibus, eiusque familiae conditionibus, <Juae eam cogebant ad laborem in agris colendis aliter ac ante matrinium conventum fuerat; et *tertio* demum ab adulterinis relationibus cum alio viro: quo enim tempore coniuges famulabantur: « Ella era la pa- « drona, ed io il suo umile servo », dixit Attilius, qui addidit etiam: « Essa mangiava in tinello col padrone ed io in cucina. ... Io dopo aver « mangiato tante volte andava fuori, ed essa seduta sul canapè col « padrone: una bella mattina son partiti tutti due assieme per non so « dove ». Quare iure meritoque Archipresbyter Gobbo potuit affirmare: « Da tutto il complesso delle circostanze a me note mi son formato il « concetto che fu un matrimonio regolare come tutti gli altri »: a quo nec ipsa Virginia videtur dissentire, teste Aloisia Scrinzi, quae deposuit: « Ho sentito io stessa con le mie orecchie quando la Virginia rivolta

« al marito disse: " In qualunque luogo tu vada sono pronta a seguirti *«perchè so che sei mio marito „ ».* *«

Quibus omnibus tam in iure quam in facto consideratis et bene perspectis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, *non constare de matrimonii nullitate in casu,* seu ad propositum dubium respondemus: *negative.*

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam ss. canonum, et praesertim cap. *H,* sess. XXV, *de Ref.,* Conc. Trid., iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 9 martii 1917.

Petrus Rossetti, *Ponens.*
Raphael Chimenti.
Maximus Massimi.

L. © S.

Ex Cancellaria, 28 martii 1917.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

II

CAUSAE ACTAE Süß SECRETO

In Sacra Romana Rota, a mense ianuario usque ad mensem decembrem anni 1917, actae sunt sub secreto *causae quae sequuntur; quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva.*

I. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Proposito dubio : *An constet de nullitate matrimonii in casu? RR.* PP. DD. S. Many, *Ponens,* **I.** Prior et A. Sincero, Auditores de Turno, die 23 ianuarii 1917 respondendum censuerunt: *Affirmative.*

Adversus sententiam interposita est appellatio.

II. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae ex parte mulieris.*

Proposito dubio : *An sententia Rotalis diei 17 aprilis 1916 sit confirmanda vel infirmanda in casu?* RR. PP. DD. G. Sebastianeiii, Decanus, *Ponens,* S. Many et M. Massimi, Auditores de Turno, die 17 februarii 1917 respondendum censuerunt: *Sententiam rotalem diei 17 aprilis 1916 esse confirmandam.*

III. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite conditionis* ***noti*** *impletae.*

Proposito dubio: *An sententia rotalis die 13 februarii 1915 sit confirmanda vel infirmanda in casu?* RR. PP. DD. S. Many, *Ponens,* I. Prior et A. Sincero, Auditores de Turno, die 27 martii 1917 respondendum censuerunt: *Sententiam rotalem diei 13 februarii 1917 esse confirmandam.*

IV. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite conditionis turpis contractui matrimoniali appositae.*

Proposito dubio: *An sententia Rotalis diei 15 decembris 1915 infirmanda sit vel confirmanda in casu, in ordine ad pactum, seu conditionem, de prole vitanda?* RR. PP. DD. F. Cattani Amadori, *Ponens,* P. Rossetti et M. Massimi, Auditores de turno, die 3 aprilis 1917 respondendum censuerunt: *Negative ad primam partem, affirmatice ad secundam, seu sententiam Rotalem diei 15 decembris 1915 esse confirmandam.*

Contra hanc sententiam interpositus fuit recursus ad Supremum S. Signaturae Tribunal.

NB. - Haec causa matrimonialis tertio coram **N.** S. Trib. rediit; prima tamen vice ex capite vis et metus tantum. Huius vero primae

instantiae pars dispositiva haec est: Proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu?* RR. PP. DD. I. Prior, *Ponens,* A. Sincero et 1. Mori, Auditores de turno, die 29 novembris 1913, respondendum censuerunt: *Negative.*

V. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae mulieris.*

Proposito dubio : *An sententia diei S februarii 1916 sit confirmanda vel infirmanda in casu?* RR. PP. DD. Sebastianeiii, Decanus, *Ponens,* R. Ghimenti et M. Massimi, Auditores de turno, die 14 iulii 1917, respondendum censuerunt: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam partem.*

VI. POENARUM.

Proposito dubio : *An sustineatur poena statuta per sententiam Curiae X?* RR. PP. DD. M. Massimi, *Ponens,* P. Rossetti et R. Ghimenti, Auditores de turno, die 17 iulii 1917 respondendum censuerunt: *Affirmative, seu sustineri poenam statutam per sententiam Curiae X.*

VII. DIFFAMATIONIS ET REFECTIONIS DAMNORUM.

Proposito dubio: *An sententia Rotalis diei 31 iulii 1916 sit confirmanda vel infirmanda in casui* RR. PP. DD. S. Many, *Ponens,* I. Prior, A. Sincero, Auditores de turno, die 11 augusti 1917, respondendum censuerunt: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Contra hanc sententiam interposita fuit appellatio.

VIII. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae viri.*

Proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu?* RR. PP. DD. G. Sebastianeiii, Decanus, *Ponens,* R. Ghimenti et M. Massimi, Auditores de turno, die 17 augusti 1917 respondendum censuerunt: *Affirmative.*

IX. NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite impotentiae viri.*

Propositis dubiis: I° *An constet de matrimonii nullitate in casu?* et, quatenus negative, 2° *An consilium sit praestandum Sanctissimo pro dispensatione super rato et non consummato, in casu?* RR. PP. DD. A. Sincero, *Ponens,* F. Cattani Amadori et P. Rossetti, Auditores de turno, die 18 augusti 1917, respondendum censuerunt: Ad I: *Providebitur in secundo.* Ad II: *Affirmative, seu consilium esse praestandum Sanctissimo pro dispensatione super rato et non consummato, in casu; vetito tamen Domino X. Y. transitu ad alias nuptias^ nisi consulta prius Sancta Sede.*

Die autem 23 augusti 1917 Sanctissimus concedere dignatus est dispensationem super rato et non consummato, in casu.

X. IURIUM.

Proposito dubio: *Utrum confirmanda vel infirmanda sit sententia Rotalis diei 2 martii 1915 in casu?* RR. PP. DD. A. Sincero, *Ponens,* F. Cattani Amadori et R. Chimenti, Auditores de Turno, die 27 augusti 1917 respondendum censuerunt: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta modum ; seu sententiam diei 27 martii 1917 esse reformandam, iuxta modum qui sequitur: Ad primum, Sacerdoti X. Y. non competere in Ecclesia S. T. ius patronatus cum facultate praesentandi, ei vero competere iura quaedam honorifica, et etiam facultatem functiones non parochiales in ea peragendi ad normam iuris communis, servatis de iure servandis, et salva Ordinarii iurisdictione. Ad secundam, Sacerdoti X. Y. non competere refectionem damnorum, et expensas iudiciales retinendas esset compensatas inter partes.*

XI. DIFFAMATIONIS.

Propositis dubiis: *V An constet de nullitate sententiae appellatae in casu ?,* et, quatenus negative, 2° *An constet de diffamatione, ita ut sit locus poenis et re fectioni damnorum in casu?* et, quatenus affirmative, 3° *In quanam mensura damna sint reficienda in casu?* RR. PP. DD. P. Rossetti, *Ponens,* R. Chimenti et **I.** Grazioli, Auditores de turno, die 20 octobris 1917 respondendum censuerunt: Ad **I:** *Negative, seu non constare de nullitate sententiae in casu.* Ad **II:** *Affirmative, seu constare de diffamatione; ita ut sit locus poenis et refectioni damnorum in casu.* Ad **III:** *Damna ita sunt in casu reparanda ut satisfactio et refectio debeantur. Pro satisfactione Dominus X. Y. teneatur pubblicare, seu curare publicationem partis dispositivae huius sententiae in ephemeride Catholica Dioecesana et in ephemeride peculiari vulgo* Bollettino *quo acta Dioeceseos publici iuris fiunt. Pro refectione solvere teneatur Lib. K. C. Domino S. T. intra annum a data huius sententiae computandum. Ad criminis vero vindictam Dominus X. Y. teneatur spiritualibus exercitiis vacare per integrum mensem in aliqua religiosa domo suspensus a divinis, facta ad hoc Episcopo facultate tempus et locum determinandi ; et insuper solvere libellas M. F. pro expensis cultus in favorem Fabricae Parochialis Ecclesiae loci A.*

XII. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae viri.*

Proposito dubio: *An sit confirmanda vel infirmanda sententia rotalis diei 18 iulii 1916?* RR. PP. DD. G. Sebastianeiii, Decanus, *Ponens,* S. Many et **I.** Grazioli, Auditores de turno, die 19 novembris 1917 respondendum censuerunt: *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam, seu sententiam rotalem esse confirmandam.*

XIII. NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu?* RR. PP. **DD.** S. Many, *Ponens,* I. Prior et A. Sincero, Auditores de turno, die 24 novembris 1917 respondendum censuerunt: *Affirmative.*

XIV. DIFFAMATIONIS SEU REFECTIONIS DAMNORUM.

Propositis dubiis : **I**° *An Parochus M. D. reus sit delicti diffamationis erga clericum S. T. ?,* et, quatenus affirmative, 2° *An et quaenam damna et in quanam mensura reparare teneatur in casu?* RR. PP. **DD.** S. Many, *Ponens,* I. Prior et A. Sincero, Auditores de turno, die 17 decembris 1917 respondendum censuerunt; Ad I: *Negative.* Ad II: *Provisum in primo.* Quoad petitionem autem procuratoris actoris diei 10 iulii 1917, ut scilicet *confrontentur* Rmus R. T. Vicarius Generalis et testis R. G., RR. PP. Auditores eamdem reiecerunt.

Ex Cancellaria, 7 ianuarii 1918.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

III

Citationes edictales

i

LIBURNEN.

NULLITATIS MATRIMONII (ZACCARI-.TACOBI)

Cum constet mulierem conventam, Barbaram Jacobi, pisanam, reperiri non posse, infrascriptus S. R. Rotae Auditor, in causa Ponens, per praesens Edictum praefatam Barbaram Jacobi peremptorie citat ad comparendum, sive per se, sive per procuratorem, in sede S. Tribunalis die 22 aprilis huius anni, hora undecima, ad effectum, ut subscribatur infrascriptum dubium, nec non dies destinetur, quo habebitur Turnus Rotalis pro causae, de qua supra, definitione; ulterius declarando, si non compareat, processum continuatum iri in eius contumacia.

DUBIUM

An constet de matrimonii nullitate in casu?

Ordinarii locorum et quicumque fideles, quibus notitia est de loco commorationis praefatae Barbarae Jacobi, curare debent, quatenus fieri possit, ut de hac citatione edictali moneatur.

Datum Romae, die 23 ianuarii 1918.

P. Rossetti, *Ponens.*

L. S.

Ex Cancellaria, die 18 februarii 1918.

ioannes Ladelci,
Notarius S. R. Rotae.

Traduction.

TRIBUNAL DE LA SACRÉE ROTE ROMAINE

Citation par Edit

LIBURNEN.

NULLITATIS MATRIMONII (ZACGARI-JAGOBI)

Gomme il résulte que la dame Barbara Jacobi de Pisa ne peut être trouvée, le soussigné, Auditeur de la Sacrée Romaine Rote, Ponent en cette cause, cite péremptoirement, par le présent édit, la même Barbara Jacobi à comparaître personnellement, ou par procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la Sacrée Rote Romaine le 22-avril 1918 à onze heures, pour vouloir souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la proposition de la cause devant la Rote, déclarant en outre que, si elle ne comparaît pas, le procès canonique sera continué et terminé en sa contumace.

DOUTE

Conste-t-il de la nullité de mariage dans le cas présent ?

Les Ordinaires des lieux et les fidèles qui auraient connaissance du lieu de la résidence de la dite Barbara Jacobi, doivent faire en sorte, dans la mesure du possible, qu'elle soit avertie de la présente citation.

Donné à Rome, le 23 janvier 1918.

P. Rossetti, *Ponens.*

Ex Cancellaria, die 18 februarii 1918.

Ioannes Ladelei,
Notarius S. B. Botae

II

GRAVINEN.

NULLITATIS MATRIMONII (PERRINO-TROTTA)

Cum ignoretur domicilium et locus actualis commorationis domini Dominici Trotta, per praesens edictum nos illum citamus ad comparendum personaliter in sede Tribunalis S. R. Rotae die 15 iunii 1918, hora undecima ante meridiem, ut, tamquam reus conventus audiatur, cum declaratione, si non compareat, iudicium in eius contumacia ad exitum perductum iri. Ordinarii locorum et fideles quicumque notitiam habentes de domicilio aut commorationis loco domini Dominici Trotta praefati, curare debent, si et quatenus fieri possit, ut de hac edictali citatione moneatur.

Romae, die 20 februarii 1918.

Petrus Rossetti, *Ponens.*

Traduction.

TRIBUNAL DE LA SACRÉE ROTE ROMAINE

Citation par édit

GRAVINEN.

NULLITÉ DE MARIAGE (PERRINO-TROTTA)

Etant inconnu le domicile et le lieu de la demeure actuelle de monsieur Dominique Trotta, par le présent édit Nous citons le même monsieur Dominique Trotta à comparaître en propre personne au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine le 15 juin 1918, à onze heures du matin, pour être interrogé en qualité du défendeur et Nous ajoutons que, s'il ne comparaît pas, le jugement sera terminé également en sa contumace. Les Ordinaires des lieux et les fidèles ayant connaissance du domicile ou du lieu de la demeure actuelle du nommé défendeur Dominique Trotta doivent, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

Rome, 20 février 1918.

Pierre Rossetti, *Ponens.*

Ex Cancellaria, die 20 februarii 1918.

Ioannes Ladelci,
Notarius S. B. Rotae.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 5 febbraio 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione Generale dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rmi Prelati e Consultori Teologi che la compongono, hanno discusso:

1) sul dubbio detto del *Tuto* per la solenne canonizzazione della Beata Margherita Maria Alacoque, Religiosa professa dell'Ordine della Visitazione della Beata Vergine Maria;

li) e sul dubbio: « Se consti del martirio, della causa del martirio e dei segni o prodigi del Ven. Oliviero Pluncket, Primate dell'Irlanda ed Arcivescovo d'Armagh », che si asserisce ucciso in odio alla Fede nel 1681.

Martedì 19 febbraio 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati Officiali e Consultori teologi, si è tenuta la Congregazione dei Riti Preparatoria, per discutere due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione della Venerabile Anna Maria Taigi, del Terz'Ordine della Santissima Trinità ; i quali miracoli vengono proposti per la Beatificazione della medesima Venerabile.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

16 febbraio 1918. Mons. Francesco Marchetti-Selvaggiani, *Intemunzio Apostolico nel Venezuela, conferendogli il titolo archiepiscopale di Seleucia.*

26 » » Il Rev.do Padre Antonino dell'Assunzione, Ministro Generale dei Trinitari Scalzi, *Consultore della Sacra Congregazione dei Miti per le cause di Beatificazione e Canonizzazione.*

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di promuovere :

22 febbraio 1918. Mons. Giambattista Federico Vallega, da Segretario di Nunziatura di prima classe a *Uditore di seconda classe.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare :

***Protonotarii) Apostolico* ad instar participantium :**

29 gennaio 1918. **Mons. Pasquale Brancaccio, dell'archidiocesi di Napoli.**

***Preiati Domestici di** S. S.:*

7 agosto 1917. **Mons. Bernardino Macie], della dioc. di Santiago del Estero.**
11 » » **Mons. Giovanni Francesco Marshall, della dioc. di Ballarat.**
» » » **Mons. Michele Shanahan, della medesima diocesi.**
22 ottobre » **Mons. Ernesto Zechenter, della diocesi di Kansas City.**
16 febbraio 1918. **Mons. Giacomo Serra, della diocesi di Vieti.**
18 » » **Mons. Luigi Gotelii, della diocesi di Chiavari.**
22 » » **Mons. Luigi Maglione, già minutante degli AA. EE. SS.**

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

4 febbraio 1918. **Al sig. Emanuele Carvajal y Hurtado de Mendoza, duca de la Vega e marchese di Aguilafuente, della diocesi di Madrid.**

-La Commenda con'placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

20 febbraio 1918. **Al sig. Vittorio Eastman Cox, Ministro del Cile presso la Repubblica dell'Equatore.**

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

23 gennaio 1918. **Al sig. Emanuele Augusto Clergeau, dell'archid. di Atene.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

23 gennaio 1918. **Al sig. Enrico De Malvai, dell'archidiocesi di Atene.**
» » » **Al sig. Enrico De Cazotte, della medesima archidiocesi.**
» » » **Al sig, Ludovico De Juge, della medesima archidiocesi.**
2 febbraio » **Al sig. Ludovico Domenget, dell'archidiocesi di Chambéry.**
6 » » **Al sig. Guglielmo Gaspare Antonio Van Eijck, della diocesi di Harlem.**

Il Cavalierato dell'Orarne di S. Silvestro Papa:

31 gennaio 1918, **Al sig. Giovanni Cornelio Francesco Veenman, della diocesi di Harlem.**

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. ;

18 gennaio 1918. **Mons. Luigi Teodoro Panken, della diocesi di Bois-le-Duc.**
19 » » **Mons. Edoardo Guglielmo Fowler-, della diocesi di Omaha (Stati Uniti dell'America).**
» » » **Mons. Gioacchino Pascali, della diocesi di Lecce.**
31 » » **Mons. Luigi Häver.**
» » » **Mons. Francesco Este ves, dell'archidiocesi di Lisbona.**
» » » **Mons. Edoardo Coelho Ferreira, della medesima archidioc.**
6 febbraio » **Mons. Vincenzo Sant'Agata Fiorito, di Roma.**
16 » » **Mons. Diego Lastras, dell'archidiocesi di Vienila.**
» » » **Mons. G. B. Kuboth, della diocesi di Breslau.**
19 » » **Mons. Giuseppe Candidori.**
» » » **Mons. Camillo Gidoni.**
» • » » **Mons. Alberto Diorio.**

Cameriere Segreto di Spada e Cappa soprannumerario di S. S. :

3 febbraio 1917. **Il sig. Conte Felice Grabowski, dell'archid, di Varsavia.**

Cameriere d'onore in abito paonazzo di S. S. :

19 febbraio 1918. **Mons. Giacomo Costa, della diocesi di Chiavari.**

Cameriere d'onore di Spada e Cappa soprannumerario di S. S.:

3 febbraio 1917. **Il sig. Leszek Wisniowski, dell'archidiocesi di Varsavia.**

Cappellano Segreto d'onore di S. S.:

19 febbraio 1918. **Mons. Andrea Bianchi, della diocesi di Chiavari.**

NECROLOGIO

5 gennaio 1918. **Mons. Giovanni Foley, vescovo di Detroit negli Stati Uniti.**
20 febbraio » **Mons. Giovanni Paolino Azevedo e Castro, vesc. di Macao.**

Annus X - Yol. X 1 Aprilis 1918 Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTAEIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

I

'CONSOCIATIO A S. GERARDO MAJELLA, CANONICE ERECTA IN ECCLESIA MATRIS DOMINI IN OPPIDO VULGO « CAPOSELE », IN ARCHISODALITATEM ERIGITUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Dilectus filius Carmelus Golia, e Congregatione SSmi Redemptoris sacerdos atque hodiernus rector conlegii Redemptoristarum Patrum oppidi *Gaposele,* Compsanae archidioecesis intra fines, necnon continentis conlegii eidem ecclesiae in qua corpus servatur sancti Gerardi Majella, laici professi eiusdem Congregationis, refert ad Nos apud Gerardi sepulchrum, piis'fidelium eo confluentium peregrinationibus celeberrimum, canonice institutam fuisse consociationem sub invocatione ipsius sancti Gerardi, eandemque brevi annorum spatio tanta iam, favente Domino, suscepisse incrementa, ut in praesens in universum fere terrarum orbem diffusa reperiatur. Addit idem rector consociationem ipsam pluribus a Sede Apostolica indulgentiis fuisse ditatam, sibique in votis admodum esse, ut eam de apostolica Nostra benignitate archisodalitatis titulo privilegiisque ornare dignemur. Nos autem, probe noscentes quot uberes in Domini agro fructus ex ipsa frugifera sodalitate promanent, cognominem enim consociationem Bononiae, cum archidioecesis illius regimen obtinebamus, Nos Ipsi canonice constituimus, quanta abundet .sodalium frequentia, quantisque floreat potissimum in puerorum coetus meritis, optatis his piis concedendum ultro libenterque censuimus. Quae cum ita sint, Conso

ciationem a sancto Gerardo Majella, canonice erectam in ecclesia Matris Domini, conlegio adnexa Patrum Congregationis SSmi Redemptoris oppidi *Gaposele*, archidioecesis Compsanae intra limites, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi perpetuumque in modum in archisodalitatem, cum solitis privilegiis, erigimus atque instituimus. Consociationis autem enunciatae sic in archisodalitatem per Nos tenore praesentium erectae, moderatori atque officialibus praesentibus et futuris, apostolica similiter Nostra auctoritate, largimur, ut ipsi, servatis constitutione Clementis Papae VIII aliisque apostolicis ordinationibus idcirco editis, alias eiusdem tituli atque instituti consociationes ubique terrarum erectas sive erigendas aggregare sibi queant, et cum illis indulgentias omnes memoratae archisodalitati a Sede Apostolica tam concessas, quam in posterum concedendas, dummodo cum aliis communicari queant, rite communicare licite pariter possint ac valeant. Praeterea volumus, ut rector pro tempore conlegii Redemptoristarum et adnexae ecclesiae, in qua sancti Gerardi corpus asservatur, sit dictae archiconfraternitatis moderator et potestate polleat alium e conlegii ipsius religiosis viris ad ipsum munus obeundum delegandi. Porro haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

SODALITAS S. LAURENTII LEVITAE ET MARTYRIS, IN TEMPLO METROPOLITANO-EDIMBURGENSI CONSTITUTA, IN ARCHISODALITATEM ERIGITUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Pias fidelium consociationes, quae in Dominico agro excolendo sedulam navant operam, et veluti auxiliares cohortes clerum adiuvant, tum in provehendo domus Dei decore, tum in ecclesiasticis caeremoniis concelebrandis, de more Romanorum

Pontificum Decessorum Nostrorum peculiaribus titulis privilegiisque augere satagimus. Iamvero cum ex amplissimo Ordinarii S. Andreae et Edimburgensis suffragio compertum Nobis sit, harum in societatum leetissimum numerum iure meritoque recenseri posse confraternitatem in altaris ministerio inservientium canonice erectam in templo metropolitano Edimburgensi sub titulo S. Laurentii, Nos, enunciati Antistitis votis concedentes, ad archisodalitatis gradum eandem promovere existimavimus. Quae cum ita sint, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi perpetuumque in modum, dictam sodalitatem Sacris inservientium, Edimburgensi in templo metropolitano sub S. Laurentii invocatione canonice erectam, in archisodalitatem, cum solitis privilegiis, erigimus atque instituimus. Sodalitatis' autem sic per Nos in archisodalitatem erectae officialibus et sociis, praesentibus et futuris, simili Nostra auctoritate concedimus, ut ipsi eiusdem nominis atque instituti confraternitates in eadem archidioecesi Edimburgensi sive erectas, sive in posterum erigendas, servatis forma constitutionis Clementis Pp. VIII, Nostri Praedecessoris rec. mem., aliisque apostolicis ordinationibus desuper editis, sibi rite aggregare valeant, et cum illis singulas atque universas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes eidem archisodalitio sive iam a Sede Apostolica concessas, sive concedendas in posterum, dummodo cum aliis communicari queant, legitime communicare possint. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsi archisodalitio nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, atque irritum et inane fieri, si secus super his a quoquam, auctoritate quavis, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii februarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status..*

III

ARCHISODALITAS S. LAURENTII LEVITAE ET MARTYRIS, IN TEMPLO METROPOLITANO EDIMBURGENSI ERECTA, INDULGENTIIS AUGETUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum, sicuti accepimus, in metropolitano templo S. Andreae, Edimburgensis archidioecesis, pia sodalitas, a S: Laurentio levita et martyre nuncupata, modo in archisodalitatem per Nos erecta, canonice extet constituta, cuius sodales quamplura pietatis et caritatis opera exercere soliti sint: Nos ad augendam fidelium religionem animarumque salutem procurandam caelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, omnibus et singulis fidelibus qui enunciatam archisodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum inscriptionis, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam inscriptis, quam in posterum inscribendis dicta in archisodalitate sociis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si item admissorum exomologesi expiati ac caelestibus epulis refecti, vel, quatenus id agere nequiverint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, pariter plenariam; tandem iisdem modo et in posterum ipsa in archisocietate inscriptis vel inscribendis sodalibus, qui similiter vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti quotannis die festo S. Laurentii martyris, idest die decima mensis augusti, vel uno infra octavam die ad cuiusque lubitum eligendo, propriam archisodalitatis ecclesiam, vel quodvis aliud publicum templum sive sacellum celebrent devote, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo die id agant, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis nunc et in posterum ipsam in archisodalitatem adlectis sociis, qui singulis annis, festivitatibus S. Iosephi, nempe die martii decimanona, S. Columbae abbatissae, die nona mensis iunii, S. Niniani confessoris et pontificis, die decimasexta septembris, demum S. Margaritae reginae Scotiae, scilicet die decimasexta mensis novembris, contrito saltem corde et preces, ut superius diximus, fundentes, vel proprium archisodalitii, vel quodvis

aliud publicum templum vel oratorium visitent, quo die id praestiterint, de numero poenalium septem annos totidemque quadragenas in forma Ecclesiae consueta expungimus. Tandem enunciatis sociis quoties, iuxta tabulas societatis, pietatis quodvis sive caritatis opus exerceant, de numero similiter poenalium dierum centum relaxamus. Denique largimur ut, excepta plenaria in articulo mortis lucranda indulgentia, omnibus aliis sive plenariis, sive partialibus indulgentiis enunciatis sodalibus liceat, si malint, functorum vita labes poenasque expiare. Denique volumus, ut hisce omnibus indulgentiis participes quoque fiant aliae cognomines societates archisodalitio Edimburgensi nunc et in posterum aggregandae. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die i martii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD EPISCOPOS GRAECO-RUMENOS, QUI DE CONDITA NOVA CONGREGATIONE PRO ECCLESIA ORIENTALI AC DE INSTITUTO STUDIORUM ORIENTALIUM GRATIAS EGERANT.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Admodum delectarunt Nos communes liberae, in quibus, ob conditam nuper pro Ecclesia Orientali propriam Co^regationem altiorumque studiorum Institutum, gratissimis Nos animis estis prosecuti. Laetamur videlicet quae constituimus ea videri vobis et utilia ad catholicam Orientis rem provehendam et ad Ecclesiarum maturandam Unionem valde conducibilia. Nobis quidem certum est quaecumque ad hanc causam pertinere videbuntur omnia eniti et efficere etiam in posterum. Nihil autem cum laudabilius gratulatione vestra tum iucundius: indicat enim vos hanc ipsam in rem impense laboraturos. Verumtamen propitiare Deum laboribus Nostris, ut feliciter eveniant, ne cessemus: ipsius est enim, gratia mentes collustrando animosque permovendo, facere ut omnes idem ac Nos sentiant idemque velint. Caelestium auspicem munerum et praeci-

puae benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, venerabiles fratres, vestroque clero ac populo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxv mensis februarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XT

II

AD HENRICUM S. R. E. CARD. ALMARAZ Y SANTOS, ARCHIEPISCOPUM HISPA' LENSEM, XXV EPISCOPATUS ANNOS COMPLENTEM.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Libenter comperimus annos te quinque et viginti a suscepto episcopatus honore proxime completurum: dignumque iudicamus quem non modo clerus populusque tuus, cui quidem es ob merita carissimus, faustum tibi diem sancta laetitia concelebret, sed etiam Nosmet ipsi paterno studio gratulemur. Iam pridem enim sedulitatem et curam qua ecclesiam tibi creditam tueris, habemus probe cognitam; teque novimus consuevisse dare operam, ut cum tui religionis ardore calèrent, tum obsequio in Iesu Christi Vicarium excellèrent. Itaque ad proprium tuum itemque communem fructum istius sollemnitatis augendum, munuseulum tibi missuri sumus quod Nostrum tui amorem perpetuo testetur; facultatem praeterea tibi damus Plenariae Indulgentiae post sacrum eiusdem diei, usitatis conditionibus, semel impertiendae. Quod restat, tua causa cupimus omnia, Deum obsecrantes ut diu te istius archidioecesis utilitati conservet. Caelestium auspicem munerum et singularis benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili noster, tuoque clero ac populo apostolicam benedictionem largimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxvni mensis februarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD R. P. LEONARDUM VOSSEN, S. I., MODERATOREM PONT. SEMINARII KANDIENSIS, ANNO XXV EXEUNTE A SEMINARIO CONDITO.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Ad afferendum gentibus, quae divinae redemptionis beneficium ignorant, lumen Evangelii, ea velut compendiaria via est delectos ex ipsis adolescentes rite educare, qui deinceps apud populares suos apostolico munere fungantur. Non enim suspicionem dant, ut alienigenae solent; quin immo, ob rationes amicitiarum ac necessitudinum, faciles usquequaque habent aditus, atque ipsa sermonis generisque communitas gratiam eis fidemque conciliat. Peropportune igitur decessor Noster f. r. Leo XIII abhinc annis xxv istud Kandiense Seminarium condidit alumnis indis in Indiae salutem instituendis ; et praeclare usque adhuc res successit. Scimus enim ex isto pietatis studiorumque optimorum domicilio non paucos iam prodiisse sacerdotes sacrorumque antistites aliquot, eosque ad apostolatum egregie instructus ac prorsus Societatis Iesu disciplina dignos. Hisce de fructibus salutaris instituti Nobis gaudentes vobisque gratulantes, magnas Deo grates agimus: quaesumusque ut tibi tuisque in hac re adiutoribus adesse perseveret. Nos certe opus vestrum tueri numquam desistemus: cui quidem omnes ex India Episcopos velimus suffragari, hoc sibi persuadentes satis se suo satisfecisse officio cum sanctam cleri indigenae curaverint institutionem. Ac caelestium auspicem munerum et peculiaris benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, atque omnibus istius Seminarii magistris et alumnis apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die iv mensis martii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM
ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

CIRCA CONSILIA A VIGILANTIA ET IURAMENTUM **ANT1MODERN1STICUM**

Cum in Codice Iuris Canonici, a proximo die festo Pentecostes obligandi vim babituri, nulla fiat mentio *Consiliorum a vigilantia* et *Iuramenti antimodernistici,* de quibus respective agitur in Constitutione *Pascendi Dominici gregis* et Motu-proprio *Sacrorum Antistitum* s. m. Pii PP. X., inspecto Codicis ipsius can. 6, n. 6, propositum est dubium: *An praescriptiones ad duo supra memorata capita spectantes, post dictum diem festum Pentecostes, in vigore manere pergant an non?*

Re, iussu Ssmi D. N. Benedicti Pp. XV, feliciter regnantis, ad Supremam hanc Sacram Congregationem Sancti Officii delata, Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, in plenario conventu habito feria iv, die 20 martii 1918, expresse declarandum decreverunt: « Praescriptiones praedictas, ob serpentes in praesenti mo- « dernisticos errores latas, natura quidem sua, temporarias esse ac « transitorias, ideoque in Codicem Iuris Canonici referri non potuisse; « aliunde tamen, cum virus *Modernismi* diffundi minime cessaverit, eas « in pleno suo robore manere debere usquedum hac super re Apostolica « Sedes aliter statuerit ».

Et sequenti feria v eiusdem mensis et anni idem Ssmus D. N., in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem plane adprobare ac suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 22 martii 1918.

L. & S.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

15 februarii 1918. — Cathedrali ecclesiae Cadurcensi praefecit R. D. Iosephum Lucianum Giray, vicarium generalem Gratianopolitanum.

— Cathedrali ecclesiae Corumbensi R. P. Helvetium Gomez de Oliveira, e Societate Salesiana.

20 februarii. — Cathedrali ecclesiae de Serena, in Republ. Chilena Americae Meridionalis, R. D. Carolum Silva Cotapos, canonicum theologum metropolitanae ecclesiae Sancti Iacobi de Chile, in iure civili doctorem et provisorem archiepiscopatus.

— Cathedrali ecclesiae Sanctissimae Conceptionis de Chile, in America Meridionali, R. D. Gilbertum Fuenzalida Guzman, canonicum magistralem metropolitanae ecclesiae Sancti Iacobi de Chile, in sacra theologia doctorem.

— Cathedrali ecclesiae Cochabambensi, in Boliviana ditione Americae Meridionalis, R. P. Franciscum Pierini, in saeculo Aloisium, Ordinis Minorum, in iure canonico doctorem.

21 februarii. — Cathedrali ecclesiae Sancti Caroli Ancudiae, in Republica Chilena Americae Meridionalis, R. P. Antonium Castro, in saeculo Ludovicum, e Congregatione SS. Cordium Iesu et Mariae et Adorationis SS. Sacramenti, vulgo « de Picpus ».

22 februarii. — Cathedrali ecclesiae Oxomensi R. D. Matthaeum Mugica et Urrestarazu, presbyterum dioecesis Victoriensis, ibique canonicum lectoralem cathedralis ecclesiae, in sacra theologia doctorem.

23 februarii. — Cathedrali ecclesiae Squillacensi R. D. Ioannem Elli.

25 februarii. — Metropolitanae ecclesiae Limanae, in Republica Peruviana, R. P. D. Aemilium Lisson, hactenus episcopum de Chachapoyas.

11 martii. — Abatiae Montis Virginis R. P. Ramirum Marcone, e Congregatione Cassinensi Primitivae Observantiae.

20 martii. — Cathedrali ecclesiae Lincolnensi, in Foederatis Americae Statibus, R, P. D. Carolum O' Reilly, hactenus episcopum Bakeriensem.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

LISBONEN.

EXEMPTIONIS ET FUNERUM

Die 21 aprilis 1917

SPECIES FACTI. - Emus Card. Patriarcha Lisbonensis, ut aptius prospiceret spirituali bono degentium in hospitalibus suae ditionis, per decretum latum die 5 augusti 1878 plura sancivit de eorumdem hospitalium exemptione, statuens nimirum, inter alia, quod cappellani hospitalibus addicti haberentur ipsorum hospitalium quasi-parochi, ideoque independenter a parochis locorum sacramenta infirmis administrare valerent, uno excepto matrimonii sacramento, ac etiam funera in hospitaii decedentium, missas, vel solemnes, catecheticam instructionem, ceterasque sacras functiones peragere possent, cum obligatione regesta seu libros parochiales rite exarandi, atque congruas particulas, per Curiae tramitem, ad parochos, quorum interesset, transmittendi. Huiusmodi vero exemptionem statuebat esse a se, in singulis casibus, praevia rectoris cuiusque hospitalis petitione, concedendam pro suo prudenti arbitrio, a quo etiam, singulis annis, iurisdictio cappellanis esset communicanda.

Haec nova hospitalium Lusitaniae iuridica ordinatio, Regis decreto die 6 dec. eiusdem anni comprobata, pacifice obtinuit usque ad nuperam rerum publicarum eversionem, quando nempe cappellani omnes per vim ab hospitalibus eiecti sunt atque oratoria seu sacella ibidem exstantia clausa fuere. Tunc Emus hodiernus Card. Patriarcha, ut rei consuleret saltem pro civitate Lisbonensi, primum litteras dedit parochis in quorum territoriis exstant maius hospitale **S.** iosephi in civitate, et nosocomia ab eodem dependentia, eisdem parochis committens curam infirmorum quam antea obiverant cappellani ; ac deinde, nonnullis subortis querelis, per decretum diei 28 decembris 1915 statuit: 1) integram adhuc manere exemptionem praedictis piis domibus ab eius praedecessore a. 1873 concessam; 2) usque dum tamen cappellani prohiberenturjspirituale regimen hospitalium resumere, infirmorum curam committi parochis in quorum finibus piae domus inveniuntur.

De hoc decreto conquesti sunt nonnulli ex parochis civitatis, contendentes exemptionem prorsus, desivisse, ac propterea veluti revixisse iura parochi cuiusque infirmi proprii ratione domicilii, praesertim funera quod attinet; nonnullas etiam querelas admoverunt cappellani, asserentes se posse in praesenti quoque rerum conditione operam suam continuare. Quamobrem Emus Card. Patriarcha, controversiam hanc, quae iam publice disceptari non sine gravi quadam animorum contentione et populi fidelis admiratione coeperat, iudicio S. Sedis reverenter subiecit, ab hac S. G. G. postulans quid facto opus esset.

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - *Ex parte parochorum* assumitur decretum Emi Patriarchae in neutra sua parte sustineri : non in prima, qua iterum concedere praetendit hospitalibus Lisbonensibus exemptionem quam praedecessor a. 1873 concesserat; multo minus in altera, qua, hac posita exemptione, curam attribuit, non cappellanis hospitalium, sed parochis territorii ubi piae domus exstant.

Quo vero ad primam partem, animadvertunt in primis non esse omnino certum utrum exemptio hospitalibus sola auctoritate *episcopali* concedi possit; Card. De Luca, in classico loco *(Deparochis,* diseurs. 23, n. 11 et 12) ubi illustrat hanc exemptionem, supponit eam non concedi nisi per Apostolicam Sedem ; ibi : « Merito *per Sedem Apostolicam* omni« bus fere hospitalibus, praesertim magnarum civitatum, haec privilegia « concessa sunt»; idque apertius etiam docet Ursaya *(Discept, eccles.,* vol. VII, disc. 12, in causam *Bracharen. - Praetensae exemptionis).*

Verum, quidquid ea de re censendum sit, ex primis iuris principiis clare deducitur non posse Ordinarium talem exemptionem concedere *invitis parochis.* Siquidem « huiusmodi hospitalis a iurisdictione parochi « subtractio - verba sunt cl. Bouix *(De parochis,* p. 653) - est iurium paro« chialium laesiva » ; igitur, invito parocho, non videtur posse concedi nisi ab eo qui tollere potest ius tertio quaesitum, quod solus Princeps potest, cuius est et legem condere (Glossa, in can. *Quod autem,* c. XXV, q. 2). Hinc, reclamante parocho ecclesiae N. D. interesse habente, S. C. Ep. et Reg., in *Albien., Iurium,* 18 mart. 1898, respondit non sustineri privilegium exemptionis ab Archiepiscopo Albiensi concessum adversus iura stricte paroecialia (cfr. *Acta S. Sedis,* XXX, p. 711; Santi-Leitner, *Praelect.,* vol. III, p. 260). Id confirmatur, in subiecta quoque specie, ex decreto Patriarchae Lisbonensis, die 5 augusti 1873, ubi expressa mentio fit consensus parochorum in hospitalium exemptionem, concessam, uti legitur in decreto « ad bonum hospitalium non solum, sed et ipsorum « parochorum, quos rei acquieturos bene praevidemus, quum immo com-

«plures eorum, rerum adiuncta probe noscentes, *nostrae consultationi « respondendo, nobis consensere,* saltem rei substantiam quod attinet, « nonnulli etiam modum quod spectat ». At in praesenti casu complures parochi inviti sunt et dissentientes prorsus: idcirco nequit sustineri Ordinarii decretum, saltem ubi laedit iura stricte parochialia, ad normam laudatae resolutionis S. G. Ep. et Reg.

Nec dici potest parochos irrationabiliter esse invitos; quum, e contrario, nova concessio exemptionis in praesentibus rerum adiunctis irrationabilis aut saltem inopportuna merito censeatur. Siquidem in praesentiarum hospitalia haec nullo modo subsunt vel subesse possunt, ut sacri canones exigunt, inspectioni et visitationi Ordinarii; non adsunt in illis, nec ulla spes affulget ut ibi restitui valeant, cappellani olim constituti; quin immo cappellae seu sacella ipsa clausa fuerunt, nec iterum aperiri possunt, omnisque sacra supellex divendita aut distracta est. In his rerum adiunctis quisque perspicit concedendae exemptionis nullum usum legitimum fieri posse, ideoque nec iustae concessioni locum esse.

Res adeo perspicua est, ut idem Emus Patriarcha suo decreto non antiquam hospitalium iuridicam conditionem restituere valuerit, sed in *altera* eiusdem decreti parte, sublata cappellanorum ordinatione, curam commiserit parochis in quorum finibus hospitalia sunt. Ubi tamen non solum laedit strictum ius parochorum, qui ratione domicilii sunt infirmorum proprii, sed etiam cappellanorum ius ex antiqua ordinatione, cui praesens violenta rerum conditio nullum profecto detrimentum inferre valet, quaesitum. Hi enim cappellani, uti patet ex actis, paratos se exhibent ad curam infirmorum, etiam durantibus praesentibus circumstantiis, gerendam, nec laicale Gubernium rei infensum se praebere videtur; quamvis autem illos in hospitali commorari non permittat, facile remedium erit, si in vicinia commorentur, unde cito advocari possint; nec renuunt cappellani cum parochis transactionem quamdam inire circa lucra, funerum praesertim causa obventura. Dato igitur, non concesso, quod exemptio hospitalibus sit integra servanda, iterum sustineri non videtur decretum Patriarchale, qua saltem ex parte cappellanis praetermissis, in eorum locum vocat parochos territorii, quibus nullum ius, ut S. H. C. millies sancivit, in re competit.

Ex adverso decretum Emi Patriarchae dicitur et demonstratur omnino legitimum. Sane hoc decretum 28 decembris 1915 nihil aliud praestitit nisi quodrexemptionem hospitalium, qualem *statuerat decretum praececedentis Patriarchae a. 1873,* immutatam servavit et solummodo, loco

cappellanorum ab hospitalibus per vim eiectorum, quamdiu hi in hospitalibus restitui non possint, curam spiritualem infirmorum commisit provisoria ratione respectivis parochis, in quorum territorio singula hospitalia sunt sita. - Ast tum quoad retentionem exemptionis, tum quoad provisoriam commissionem parochis factam, decretum Emi Patriarchae nihil continet, quo verum ius parochorum, multoque minus ius aliquod cappellanorum, laedatur.

Etenim in retentione exemptionis nullum ius parochorum violavit, si exemptio fuerat legitime inducta ab eius praedecessore; atqui legitimitas huius exemptionis merito defendi potest. - Profecto non habemus *hucusque* in iure clare expressum principium generale, quod Episcopus possit certas personas certumve locum ab ordinaria parochorum iurisdictione eximere. Non desunt quidem qui ad hanc exemptionem pro casibus particularibus requirere videntur privilegium Pontificium, ex quibus sunt Card. De Luca et Ursaya, ex adverso citati. Sed recentiores Doctores magis magisque accedunt ad illud principium generale adstruendum praesuppositis canonicis causis seu conditionibus, et nominatim illud principium generale applicant ad casum peculiarem hospitalis, quae doctrina etiam a S. Romana Rota, in una *Vicentina - Exemptionis et funerum,* probata est ut *verior* (25 martii 1915) nec ullam censuram meruit penes Supremum Ap. Signaturae Tribunal (cfr. *Acta Apostolicae Sedis,* VIII, p. 206 s.). Equidem pro illa potestate Episcopi adest congruentia iuridica, ut sicut R. Pontifex potest personas et locos a iurisdictione Episcopi subducere, ita possit Episcopus a iurisdictione parochi singularem locum eximere. Et quamvis statim occurrat discrimen inter potestatem R. Pontificis et Episcopi, quod R. Pontifex etiam iura quaesita tollere potest, Episcopus vero non potest; hoc tamen verissimum discrimen in praesenti quaestione non videtur habere applicationem. Nam parochus habet quidem ius quaesitum iurisdictionis in totum territorium parochiale sibi competentis; sed non videtur habere ius quaesitum, iure communi ipsi agnitum, *ut hic vel ille locus iuridice pertineat ad territorium parochiale;* secus divisiones et dismembrationes paroeciarum per auctoritatem propriam et ordinariam Episcoporum fieri non possent, sed requireretur auctoritas R. Pontificis, quod est apertissime contrarium -iuri decretalium (cap. *Ad audientiam,* 3, *De eccles, aedif.)* et Concilio Tridentino (sess. 21, cap. 4, *de ref.)*

In hac forma illam potestatem Episcopo aperte vindicat Card. Gennari *(Quistioni canoniche,* n. 337), ubi quaestionem proponit, utrum Episcopus, propria auctoritate et sine consensu parochi, *possit subtrahere aliquod hospitale ab huius iurisdictione,* et sine ulla haesitatione respon-

det *posse;* quam suam indubitatam assertionem confirmat ex hoc, quod Episcopus sua auctoritate, etiam parocho invito, possit dismembrare parochiam. Et revera inter dismembrationem et exemptionem, relate ad potestatem Episcopi, adest omnimoda paritas; quod enim locus subtractus ab uno parocho adiungatur alteri paroeciae, ut fit in dismembratione, vel committatur curae alicuius cappellani, cuius substentationem suscipit administratio illius loci, ut evenit in hospitalis exemptione, nihil refert ad potestatem Episcopi, quae, si esset limitata, haec limitatio proveniret ex iuribus illius e cuius territorio locus detrahitur. At vero, sive detractio loci fiat per dismembrationem sive per exemptionem, idem omnino effectus habetur iii deminutione iurisdictionis illius parochi ex cuius territorio locus detractus est. - Hanc porro doctrinam Card. Gennari confirmant decisiones huius Sacrae Congregationis ab ipso allegatae (sc. *Gomen. - Iurisdict, paroec,* 20 maii 1882, 4 mart. 1880 [seu rectius S. C. Ep. et Reg., in *Suesscm. - Confín, paroec,* 16 februarii 1883]), quamvis hae proprie non agant de concessione exemptionis, sed de dismembratione territorii, vel invito parocho (Cfr. Gennari, *Quest. canon.,* n. 66, p. 102 s.).

Pariter Many (De *locis sacris,* n. 172), postquam exposuit ius commune de funere eorum, qui in hospitali decedunt, addit: « Si vero hospi- « tale sit exemptum (auctoritate pontificali *aut episcopali,* vel consue- « tudine), videndum est num », etc.; ubi supponit tamquam certum et indubitatum exemptionem hospitalis non solum ex auctoritate R. Pontificis et ex consuetudine, sed etiam *ex auctoritate episcopali* posse provenire. Cui auctori etiam consentit Duballet, *Traite des paroisses,* vol. Ii, n. 1085; cfr. quoque Rouix, *De parocho,* p. 653.

Huc etiam spectat satis communis doctrina, qua in' Episcopi potestate propria et ordinaria censetur contineri facultas aliquam *communitatem,* convictum vel conservatorium eximendi a iurisdictione parochi, ut eius cura alicui cappellano committatur; de qua Wernz *(Ius Decret.,* vol. II, n. 878): « Non solum indulto apostolico et legitima consuetudine, *« sed etiam statuto Episcopi fieri potest,* ut communitas quaedam religiosa « vel conservatorium vel convictus vel similia instituta, licet *intra* paro- « chiam maneant, a cura ordinaria parochi eximantur et proprio cap- « pellano subiiciantur », Idem sentiunt et alii Doctores. Porro ratio iuridica videtur esse eadem in casu alicuius communitatis religiosae et in casu hospitalis; perinde enim minuitur extensio iurisdictionis parochi in uno ac in altero casu. Praxis autem huius exemptionis per Episcopum factae est frequentissima.

Allata argumenta probant Patriarcham Lisbonensem solido iuris

fundamento innixum fuisse in decernenda a. 1873 hospitalium exemptione a iurisdictione parochiali. Ceterum illi decreto nihil opposuerunt parochi Lisbonenses temporis spatio 40 annorum ampliore, quorum igitur non facile concipitur stricta iura fuisse laesa; sed praeterea in hoc facto rem habemus praescriptione 40 annorum firmatam, quae sola sufficeret - ad normam cap. 1, 2, *de praescriptionibus,* in VI - ut exemptio iam incontrovertibilis efficeretur (cfr. Pignatelli, *Cons. can.,* IX, 152, n. 17; Oe Luca, *De parochis,* disc. 23, n. 6; disc. 38, n. 28).

Quodsi decretum a. 1873 praecedentis Patriarchae Lisbonensis censendum est vi iuridica praeditum, hodie, cum cappellani ab hospitalibus per novum Gubernium eiecti sunt, etiam decretum praesentis Emi Patriarchae Lisbonensis anni 1915, in quantum *retinet* hospitalium exemptionem sub spe in ipsis redintegrandi cappellanos, habendum est ut omnino legitimum.

Si vero in ea parte decretum an. 1915 est sustinendum, etiam valorem iuridicum habet, nec est laesivum iurium parochialium, quoad alteram partem, qua provisoriam curam hospitalium committit parocho respectivae paroeciae ubi singula hospitalia sita sunt. Nam materialis eiectio cappellanorum statum iuridicum hospitalium non mutavit nec inde ea potuerunt reduci ad ius commune. Manente autem iure speciali exemptionis, quo hospitalia haec Episcopo immediate subiiciuntur, ad Episcopum pertinet pro sua prudentia, dum rerum adiuncta perdurant, provisoriam administrationem spiritualem ea ratione ordinare, qua melius consulatur bono spirituali infirmorum in ipsis decumbeiitium, quin ad determinatum modum ius ullum habeant parochi, qui iurisdictionem, per exemptionem amissam, per materialem cappellanorum eiectionem non recuperarunt. Porro opportunior ac magis congruus modus hic erat, ut provisoria cura illi parocho committeretur, in cuius territorio singula hospitalia sita sunt; secus enim magna eadem rediret confusio in administratione sacramentorum, si pro singulis infirmis esset ativocandus parochus domicilii forte distantis, quae, teste card. De Luca (loc. cit.), praecipua causa fuit huius exemptionis concedendae.

Nec ullum possunt praetendere ius cappellani eiecti, quia, ut expresse fuerat statutum in decreto exemptionis, illi cappellani erant singulis annis nominandi aut confirmandi ab Episcopo ad propositionem administratorum; elapso igitur anno, omne ius amittebant, nisi ab Episcopo confirmarentur.

Ex dictis videtur concludendum, decretum Emi Patriarchae Lisbonensis omnino esse legitimum, atque parochos nonnullos iniuria contra illud decretum insurrexisse. Ceterum iidem parochi admitterent hanc

exemptionem, si in casu concurrerent tres conditiones, eorum sententia necessariae : videlicet inspectio Ordinarii, ordinatio cappellanorum debite institutorum, et sacellum in ipso hospitali patens; quae tria cum non verificentur in casu, praetendunt, propter impeditum usum exemptionis, esse redeundum ad ius commune.

Verum illae circumstantiae non sunt conditiones requisitae ad exemptionem, sed sunt dumtaxat obligationes quarum curandarum onus in se suscipit Episcopus, qui hospitale subtrahit a iurisdictione parochi. Haec enim subtractio fieri nequit, nisi ex rationabili causa *melius* consulendi bono spirituali infirmorum in hospitali decumbentium ; quae cura spiritualis rite non potest obiri nisi ipsi praeponantur apti sacerdotes et adsit cappella sive in ipso hospitali sive saltem ipsi adnexa; quod autem attinet ad visitationem Episcopi, haec causa nihil addit ad praesentem controversiam: sive enim cappellani sive parochi curam spiritualem habeant, Episcopus *potest* et *debet* hospitale visitare.

Ceterum, quod cappellani sint eiecti, quod sacella sint clausa, quod Episcopus non sinatur visitare hospitale, hoc est ex coactione Gubernii, quae iuris statum et conditionem non mutat. Episcopus interim tenetur meliore modo, quo secundum suam prudentiam iudicat, supplere, ne ibi degentibus infirmis desit conveniens cura spiritualis; iam vero in se est modus convenientissimus, usquedum cappellani restitui non possunt, ut cura spiritualis geratur ab illo parocho, in cuius territorio invenitur hospitale, qui et ceteris sit proximior et in viciniore ecclesia adsit, unde possit sumere sacramenta moribundis deferenda.

RESOLUTIO. - Hisce omnibus rite relatis, Emi ac Rmi S. Congregationis Concilii Patres, in plenario conventu habito die 21 aprilis 1917 in Palatio Apostolico Vaticano, de sententia rogati super dubio : *An et quo-, modo decretum Emi Patriarchae Lisbonensis diei 28 decembris 1915 sit confirmandum vel infirmandum, in casu;* responderunt: *Decretum Emi Patriarchae esse confirmandum. Et amplius.* *

Quam Emorum Patrum resolutionem SSmus Dnus Noster Benedictus Div. Prov. Pp. XV in audientia habita ab infrascripto Secretario die xxin eiusdem mensis et anni, approbare et confirmare dignatus est.

I. MORI, *Secretarius.*

SACKA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

MONITUM

Noverint omnes ex coetu fidelium tum clerici tum laici nullam omnino D. Paulino, ex-Abbati S. Michaelis de F rigolet, factam esse Missarum eleemosynas colligendi facultatem; ac proinde quicumque eidem Missarum celebrationem committere ac stipendia tradere praesumpserit, praeter pericula, quae huiusmodi promercalis negotiatio secumfert, in omnia iustitiae onera ac poenas canonicas incurret in Decreto *Ut debita* S. Congregationis Concilii sub die 11 maii 1904, et in alio *Ut in posterum,* sub die 22 maii 1907 statutas.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die 20 martii 1918.

i- © s.

f ADULPHUS, Episcopus Canopitan., *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

AUG USTODUNEN.

DECRETUM CANONIZATIONIS BEATAE MARGARITAE MARIAE ALACOQUE, VIRGINIS, MONIALIS PROFESSAE EX ORDINE VISITATIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam a Sede Apostolica eidem Beatae venerationem, tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem?

Universam actorum seriem, quae in hac praenobili causa huc usque gesta sunt, paulo altius repetenti aliquid, sponte velut sua, in conspectum se prodit; quippe quod peculiari est notatione dignum.

Anno siquidem millesimo septingentésimo decimo quarto, qui quartus erat supra vigesimum, ex quo Margarita Maria Alacoque, monialis

professa ex Ordine Visitationis Beatae Mariae Virginis, solutis vinculis corporis et nixa pennis amoris divinum Sponsum fuerat prosecuta, in ecclesiastica Augustodunensi curia, super eiusdem sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum fama, exornata pervigili cura fuit alacrique studio ordinaria inquisitio; inchoata quippe quum fuerit octobri mense, die mensis decima quinta memorati anni millesimi septingentesimi decimi quarti, proxime insequentis anni millesimi septingentesimi decimi quinti septembri mense, die mensis decima octava, ad exitum iam perducta erat.

Qui quidem in promptu quum esset *Informativus,* ceu sueto appellant sermone, ab Ordinario loci, ubi Ancilla Dei Margarita Maria vixit, decessit sacraeque ipsius custodiuntur exuviae, conditus processus, hoc ipso potissima omniumque prima posita erat riteque servata conditio, vi cuius aditus disceptationi patebat, breve post temporis intervallum, decennio nempe non longius, ineundae apud sacrorum rituum Congregationem de praefatae Ancillae Dei Margaritae Mariae Alacoque introducenda causa Beatificationis.

Verumtamen quod aliis innumeris propemodum Famulis vel Famulabus Dei, suffragante ipsa planeque adiuvante lege, concessum ulla absque difficultate passim videre fuit, ut post absolutas nimirum Romamque delatas primas ordinaria potestate instructas inquisitiones ceterisque concurrentibus a iure statutis, penes Apostolicam Sedem initium sui caperet causa Beatificationis, idipsum contra Ancillae Dei Margaritae Mariae Alacoque non aliquot post annos, sed post integrum et amplius iamdiu revoiutum saeculum assequi tantummodo licuit, anno videlicet millesimo octingentesimo vigesimo quarto, quum a felic. rec. Leone Papa XII obtenta fuit Signatura, ut vocant, Commissionis.

Reique causam explorantibus illud in primis occurrit, quod aerumnosam illam Margarita Maria Alacoque tristique celebritate insignem nacta expertaque fuerit aetatem, qua doctrinas ariditate et desolatione plenas longe lateque disseminaverat lansenistarum haeresis. Cuius quum arduum non esset in sacratissimi Cordis Iesu cultu aptam invenire recitationem, exinde perquam facile intellectu est, curnam Iansenistae eorumque asseclae, quo sanctissimi Cordis Iesu contradicerent devotioni eamque validius adversarentur, insimul Margaritam Mariam adgressi, suos in eam facere impetus pro viribus moliti fuerint. Nam conviciis et contumeliis ipsam lacessere, illusaeque praesertim nomine traducere et despicatui habere, quoad inter homines diversata est Margarita Maria, numquam destiterunt, eiusque vero pretiosum post obitum, quin iniquum, quem illuc usque gesserant, vel minime ponerent animum, acriores imo impotentioresque evaserunt, graviora, quae pote-

rant, obstacula parando, ne super illius sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum fama ordinarius exordiretur processus eiusdemque ad finem perducti Romam ad sacram rituum Congregationem fieret transmissio.

Sed enim rerum humanarum arbiter et gubernator Deus, eventus tam diuturno varioque annorum et hominum cursu sic est moderatus, ut amico quodam tamquam foedere iunctae inter se et colligatae una simul procedere visae sint sacratissimi Cordis Iesu religio et Margaritae Mariae Alacoque Beatificationis et Canonizationis causa ita nempe, ut quo tempore adeo cum ingenti uberrimoque animarum fructu ubique terrarum diffusus est et propagatus sanctissimi Cordis Iesu cultus, Beatae quoque Margaritae Mariae Alacoque causa Canonizationis, cunctis, quae adimplenda erant, recte riteque adimpletis, suum adipiscentur fastigium.

Factum propterea est, ut in generalibus sacrae huius Congregationis comitiis, quae die quinta superioris mensis februarii, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV celebrata sunt, proposito per Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, causae Relatorem, Dubio: *An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam a Sede Apostolica Beatae Margaritae Mariae Alacoque venerationem^ tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem ?* omnes, qui convenerant tum Reverendissimi Cardinales tum Patres Consultores *tuto procedi posse* unanimi censuerint respondendum suffragio. Nihilominus Sanctissimus Dominus noster cunctos voluit admonitus Suffragatores, instandum adhuc esse precibus apud Deum, ut tutam ac divino lumine illustratam Suam decretoriam congruo tempore in re tanti momenti proferret sententiam.

Hodierna autem die Dominica Passionis, divina Hostia ferventer oblata, ad Vaticanas Aedes advocari iussit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Pro-Praefectum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter pronuntiavit: *Tuto procedi posse ad solemnem Beatae Margaritae Mariae Alacoque Canonizationem.*

Hoc Decretum in vulgus edi, in acta sacrae rituum Congregationis inseri litterasque apostolicas sub Plumbo de Canonizationis solemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis expediri mandavit decimo sexto kalendas apriles anno MCMXVIII.

ANTONIUS CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Pro-Praefectus.

Alexander Vérde, *Secretarius,*

II

ARMACANA

DECRETUM BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII VEN. SERVI DEI OLIVERO PLUNKET, PRIMATIS HIBERNIAE ET ARCHIEPISCOPI ARMACANI.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio et causa martyrii, signis seu miraculis in casu et ad effectum, de quo agitur?

Supplicium suppliciique immane genus, quod venerabilem Dei Famulum Oliverium Plunket, Hiberniae Primatem et Armacanum Archiepiscopum, primo iulii mensis die, anno millesimo sexcentésimo octuagesimo primo, passum fuisse, fideliter graphiceque acta describunt, requisitis praeditum esse conditionibus, quibus ad veri nominis martyrii dignitatem atque praestantiam illud adsurgat, viro prudenti non difficile sane fuit sagaci simul et sobrio veritatis inquisitori suum inducere in animum planeque persuadére sibi, cunctis inspectis, recto iudicio et aequa mente libratis probationibus, quas diligenter prius conquisitas, rite postmodum sub aspectum ponere maxime curae fuerat actuoso solertique léctissimae causae huius postulatori.

Praeiacta namque certoque constituta sincera facti narratione, qua *materiale* continetur martyrium, ad facti ipsius causam progredi subinde necesse fuit naviter perquirendam eamque probe iustaque pretio aestimandam sive ex parte Servi Dei, sive ex parte tyranni seu persecutoris, quemadmodum accommodate graviterque monebat vetustissima illa et celebrata sententia, quam idcirco per tot saecula iugiter incorrupteque transmissam passim usurpant Theologi, quum eis de christiano martyrio data opera edisserere contingit; videlicet: *Märtyrern non fieri poena, sed causa.*

Quamvis autem more exemploque veterum Ecclesiae persecutorum, venerabilis quoque Dei Famulus Oliverius Plunket coniurationis seu perductionis in regem atque regnum fuerit insimulatus, nullum tamen exinde ea pati potuit incommodum, quae de *formali* martyrio tum rei natura tum praescripto legis necessario deposcitur et flagitatur probatio. Quin imo vulgari eademque a vero prorsus absimili im pacti criminis explosa calumnia, plana magis magisque perspicua demonstratio evasit,

qua positum est in aperto, venerabilem Dei Servum Oliverium Plunket, Hiberniae Primatem et Armacanum Archiepiscopum, pro catholica fide, pro divino Romani Pontificis primatu atque pro ecclesiastica disciplina affirmandis tuendisque nobile fecisse martyrium.

Quae ita quum se habeant, egregiam profecto laudem ii sibi promeruisse dicendi sunt, eosque inter iure meritoque principem sibi vindicat locum Vir Eminentissimus clarae memoriae Patritius Franciscus Cardinalis Moran, Sydneyensis Archiepiscopus, quorum eximia industriaque opera factum est, ut tantae dignitatis causa Beatificationis, seu Declarationis martyrii, apud Apostolicam Sedem suum sumeret exordium, causaeque ipsius fauste deinceps alacriterque sic procederet actorum cursus, ut, praeliminaribus interim absolutis iudiciis aliisque benigne remissis, prouti in causis Martyrum petentibus denegari non solet, abhinc fere quadriennium quaestioni praecipuae, quae de martyrio est eiusque causa, de signis seu miraculis, patere potuerit aditus.

. Revera, die decima quarta mensis iulii anni millesimi nongentesimi decimi quarti coacta est Congregatio antepraeparatoria, eamque anno superiore, die decima nona mensis iunii, subsecuta quum esset Congregatio praeparatoria, die quinta mensis februarii huius vertentis anni, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV, habita fuit Congregatio Generalis. In qua a Reverendissimo Cardinali Vincentio Vannutelli, causae Relatore, sequens ad discutiendum propositum est Dubium: *An constet de martyrio et causa martyrii, de signis seu miraculis in casu et ad effectum, de quo agitur?* Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores sua quisque ex ordine tulerunt suffragia, quibus omnibus laeto studiosoque animo exceptis, Sanctissimus Dominus noster supremum iudicium Suum in aliud tempus, fervidis interea communibusque fusis Deo precibus, divini luminis copiam impetraturus, de more prorogandum duxit.

Quod quidem quum demum patefacere statuisset, hodiernam selegit diem Dominicam Passionis, in quam hoc anno festum perapte incidit sancti Patritii, *Hiberniae apostoli nuncupati, quem sanctus Gaelestinus Papa ad praeclaram Hibernorum gentem misit: cuius apostolicae legationis et praedicationis uberrimus fructus exstitit, ut Hibernia antea idolorum cultrix, mox Sanctorum Insula diceretur et esset* (Benedictus Pp. XIV, litt. apost. *Grave et permolestum,* dat. die 15 augusti 1741). Ideo, sacris propitiato Deo, Beatissimus Pater ad Vaticanas Aedes arcessiri voluit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationis Pro-Praefectum, et Vincentium Vannutelli, Episcopum Ostiensem et Praenestinum, Sacri Collegii Deca-

num causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore, meque insimul infrascripto Secretario, atque, iis adstantibus, solemniter edixit: *Ita constare de martyrio et causa martyrii venerabilis Dei Famuli Oliverii Plunket, ut procedi possit ad ulteriora in casu et ad effectum, de quo agitur.*

Hoc Decretum publici iuris fieri et in acta sacrae rituum Congregationis referri iussit decimo sexto kalendas apriles anno MCMXVIII.

•ß A. CARD. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. **O.** *Pro-Praefectus.*

L.©S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA. POMITENTIABIÁ APOSTOLICA

SECTIO DE INDULGENTIIS

I

INDULGENTIA CCC DIERUM CONCEDITUR RECITANTIBUS IACULATORIAM PRECEM IN CHRISTUM CRUCIFIXUM.

Die 18 ianuarii 1918

SSmus D. N. D. Benedictus, div, prov. Pp. XV, in audientia infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus hanc iaculatoriam precem in Christum Crucifixum : *Signore, vi ringrazio che siete morto in croce pei miei peccati,* quam S. Paulus a Cruce enixe, praesertim in SS. Missionibus, commendabat, indulgentiam trecentorum dierum etiam animabus fidelium in Dei gratia vita functorum applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concedere dignatus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

GULIELMUS CARD. VAN ROSSUM, *Poenit. Maior.*

L. % S.

F. Borgongini Duca, *Secretarius.*

II

ACTUS QUIDAM PIETATIS PER ANGELUM CUSTODEM ERGA IESUM IN EUCHARISTIA CCC DIERUM INDULGENTIA DITANTUR.

Beatissime Pater,

Superiorissa Generalis Sororum v. d. *Filles de la Charité,* S. Vincentii a Paulo, ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluta humillime exponit:

Venerabilis Fundatrix praedicti Instituti, Ludovica de Manilae, quando, in suis itineribus, aliquam conspiceret ecclesiam, pie solebat sequentem proferre orationem ad Angelum sui Custodem, qua etiam utebatur, morbo vel operibus detenta:

« O mon cher Ange, allez, je vous en conjure, où mon Jésus repose; « dites à ce divin Sauveur que je l'adore et que je l'aime de tout mon « cœur. Invitez cet adorable Prisonnier d'amour à venir dans mon cœur, «à y fixer son séjour. Ce Cœur est trop petit pour loger si grand Roi, « mais je veux l'agrandir par l'amour et la foi ».

Ut haec praxis, quae ex antiqua traditione in humili Congregatione Filiarum Caritatis inolevit, quaeque inter universos christifideles opportune vulgata, spirituales uberrimos fructus est allatura, maiora incrementa suscipiat, suppliciter petit oratrix, ut dignetur Sanctitas Vestra indulgentiam trecentorum dierum, defunctorum etiam animabus in igne Purgatorii detentis applicabilem, omnibus et singulis christifidelibus benigne concedere, quoties, similibus in adiunctis, hanc devotam consuetudinem fuerint imitati.

Et Deus, etc.

Lie 1 februarii 1918

SSmus D. N. D. Benedictus div. Prov. Pp. XV, in audientia infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, benigne annuit pro gratia iuxta preces in perpetuum, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

GULIELMUS CARD. VAN ROSSUM, *Poenit. Maior.*

F. Borgongini Duca, *Secretarius.*

III

AMPLIFICATUR INDULGENTIA IAM CONCESSA RECITANTIBUS ORATIONEM PRO CONVERSIONE IAPONIAE.

Sanctae memoriae Pius Pp. X, die 8 iulii 1909, indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque adplicabilem, semel in die lucrandam, benigne concessit universis christifidelibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus sequentem orationem pro conversione imperii Iaponensis:

« O Maria, fulgida stella matutina, quae iam primum terris appa-
« rens, proximum Solis iustitiae et veritatis ortum significasti: imperii
« Iaponensis civibus suaviter illucescere dignare, ut mox, discussis men-
« tium tenebris, Lucis aeternae candorem. Filium tuum Dominum nostrum
«Iesum Christum fideliter agnoscant. Amen.».

Nuper autem SSmo D. N. D. Benedicto div. prov. Pp. XV supplices porrectae sunt preces, ut indulgentiae iam concessae addatur plenaria, semel ab iis lucranda, qui eandem orationem per integrum mensem recitaverint, ea adiecta conditione, ut confessi ad s. Synaxim accesserint et ad mentem Summi Pontificis pie oraverint.

Et Sanctitas Sua, die 16 ianuarii 1918, benigne annuere dignata est in perpetuum absque ulla Brevis expeditione.

Authenticum exemplar supra relatae concessionis exhibitum fuit, prout de iure, S. Tribunali Poenitentiariae Apostolicae, Sectione de Indulgentiis, die 19 ianuarii 1918.

Ita est.

Romae, in S. Poenitentiaria, die 26 februarii 1918.

•L.©S.

Bernardus Colombo, *S. P. Regens.*

IV

DUBIA

QUAESITA CIRCA INDULGENTIAS ADNEXAS PIAE PRAXI CONSECRANDAE FAMILIAE SACRATISSIMO CORDI IESU (VULGO « INTHRONIZATIO »).

Die 19 maii 1908, Pius X s. m. omnibus fidelibus, qui certa adhibita formula familiam sacratissimo Cordi Iesu consecrarent, concessit: I° indulgentiam plenariam, die quo hanc consecrationem peragerent, •consuetis impletis conditionibus lucrandam; 2° item indulgentiam plenariam deinceps singulis annis, renovata formula consecrationis consequendam. Anno 1913, ab eodem Summo Pontifice novae indulgentiae concessae sunt. Supplicabant scilicet Episcopi Reipublicae Chilensis: « Beatissime Pater, - Archiepiscopus S. Iacobi de Chile ceterique omnes « eiusdem Reipublicae Praelati Ordinarii, ad pedes S. V. provoluti hurai- « liter exponunt: Non multo abhinc tempore et magno animarum fructu «existit in Republica Chilena pia praxis consecrandi domos SS. Cordi « Iesu, hoc nimirum modo: Praemonitis habitantibus domus, statuta « die, parochus vel alius sacerdos benedicit imaginem SS. Cordis Iesu, «quam collocat in praecipuo loco, brevem habet conciunculam et reci- « tat cum tota familia quamdam reparationis et consecrationis for- « mulam. Si sacerdos adesse non potest, imago prius benedicta collo- « catur, et formula recitatur ab aliqua saeculari persona. Cum vero « multa bona fluant ex hac pia praxi, omnes supradicti Oratores a S. V. « petunt ut, quo magis fructus augeatur, illam indulgentiis ditare digne- « tur. Et Deus, etc. ».

Cui quidem supplici libello responsum fuit: « Die 24 iulii 1913. - « SSmus D. N. D. Pius div. Prov. Pp. X, per facultates D. Card. Secre- « tario S. Officii impertitas, sequentes indulgentias pro Chilenae Reipu- « blicae dioecesibus benigne concedere dignatus estf-nempe: I° Septem « annorum totidemque quadragenarum ab universis familiae membris « lucrandam, die quo instituitur in propria domo pia praedicta praxis, « si corde saltem contrito ac devote memoratae caeremoniae adstiterint; « 2° Plenariam, si insuper eadem die confessi ac s. synaxi refecti iidem « fideles aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint « ibique ad mentem Summi Pontificis pias preces fuderint; 3° Trecen- « torum dierum, item a membris familiae lucrandam quotannis die anni- « versano huiusmodi institutionis in propria domo, si coram imagine

« actum consecrationis renovaverat. Praesenti ad decennium valituro. « Contrariis quibuscumque non obstantibus. - De mandato D. Card. Secretarii Aloisius Giambene, Subst. pro Indulgentiis».

Has Indulgentias SSmus D. N. Benedictus div. Prov. Pp, XV, epistola diei 27 aprilis 1915,[1] ad omnes Orbis catholici familias benigne extendit.

Porro a S. Tribunali Poenitentiariae Apostolicae, cui res universa de indulgentiis demandata est, quaesitum fuit:

I° Utrum ad lucrandas indulgentias piae praxi adnexas, necessario in singulis domibus, familiae SS. Cordi Iesu per sacerdotem consecrari debeant, an liceat, adunatis familiis, caeremoniam in ecclesia instituere, ubi cum maiori solemnitate et devotione res peragitur?

2° Quando iudicandum sit, sacerdotem adesse non posse, ita ut imago SS. Cordis Iesu, prius benedicta, ab aliqua persona saeculari collocari et formula consecrationis recitari possit?

3° Utrum ad lucrandas indulgentias piae praxi adnexas requiratur ut consecrationis formula, Rescripto diei 19 maii 1908 stabilita,[2] .adhibeatur?

[1] *Acta Ap. Sedis,* vol. VII, pag. 203.

[2] ATTO DI CONS AG RAZIONE DELLA FAMIGLIA AL SS.MO CUORE DI GESÙ.

O sacro Cuore di Gesù, che avete manifestato alla beata Margherita Maria il desiderio di regnare sulle famiglie cristiane, veniamo oggi a proclamare il vostro più assoluto 'dominio sulla nostra. Noi vogliamo vivere d'ora innanzi della vostra vita, vogliamo far fiorire nel nostro seno le virtù alle quali avete promesso la pace quaggiù, vogliamo tener lontano da noi lo spirito mondano che avete maledetto. Voi regnerete sul nostro intelletto per la semplicità della nostra fede, sui nostri cuori per l'amore senza eccezioni di cui arderanno per Voi e di cui terremo viva la fiamma accostandoci frequentemente alla vostra divina Eucaristia. Degnatevi, o divin Cuore, di presiedere le nostre riunioni, di benedire le nostre imprese spirituali e temporali, di allontanare i nostri affanni, di santificare le nostre gioie, di sollevare le nostre pene. Se mai alcuno di noi avesse la disgrazia di darvi afflizioni, rammentategli, o Cuore di Gesù, che Voi siete buono e misericordioso col peccatore che si pente. E quando suonerà l'ora della separazione, quando la morte verrà a gettare il lutto in mezzo a noi, tutti tra noi, quelli che partono e quelli che restano, saranno sottomessi ai vostri eterni decreti. Ci consoleremo pensando che verrà un giorno, in cui tutta la famiglia, riunita in Cielo, potrà cantare per sempre le vostre glorie ed i vostri benefici. Si degni il Cuore immacolato di Maria, si degni il glorioso Patriarca S. Giuseppe presentare a Voi questa consacrazione e tenercela presente in ogni giorno di nostra vita.

Viva il Cuore di Gesù, nostro Re e nostro Padre!

(latina versio)

FORMULA CONSECRATIONIS FAMILIAE SS.MO CORDI IESU.

O sacratissimum Cor Iesu, Tu beatae Margaritae Mariae desiderium regnandi super christianas familias pandidisti : ecce ut Tibi placeamus adsumus hodie, ut plenum tuum super nostram familiam imperium proclamemus. Volumus deinceps tuam

4° Utrum indulgentia trecentorum dierum, de qua in Rescripto diei 24 iulii 1913, taxative adnexa sit diei anniversario consecrationis familiae?

Et S. Tribunal, die 26 februarii 1918, respondendum censuit:

Ad 1[m] *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Ad 2[m] Iudicium de hac re prudenti iudicio Ordinarii loci remittitur.

Ad 3[m] *Affirmative.*

Ad 4[m] Indulgentia haec lucrifieri potest singulis annis quo die, coram SS. Cordis Iesu imagine, actus consecrationis renovatur.

Quae omnia, subsignata die, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori relata, SSnius D. N. Benedictus divina Providentia Papa XV confirmare et rata habere dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 1 martii 1918.

GULIELMUS CARD. VAN ROSSUM, *Poenit. Maior.*

L. $ S.

F. Borgongini Duca, *Secretarius.*

vitam vivere, volumus in sinu familiae nostrae florere virtutes, quibus Tu in terris pacem promisisti, volumus longe arcere a nobis spiritum mundi, quem Tu damnasti. Tu regnabis in mente nostra fidei nostrae simplicitate, in corde nostro Tui solius amore, quo flagrabit erga Te et cuius vivam servabimus fiammanti frequenti divinae Eucharistiae receptione. Dignare, Cor divinum, nobis praeesse in unum convenientibus, benedicere negotiis spiritualibus et temporalibus, arcere molestias, sanctificare gaudia, poenas levare. Si quando misere quis nostrum in tantam aerumnam inciderit ut Te affligat, fac in memoriam illi redigas, Cor Iesu, Te cum peccatore, quem poenitet, plenum esse bonitatis et misericordiae. Et quum hora separationis insonuerit et mors in familiae nostrae sinum luctum intulerit, nos omnes, sive abeuntes sive manentes, tuis aeternis decretis nos subiiciemus. Hoc solatio erit nobis, animo recogitare venturum esse diem, in quo tota familia nostra, in caelo coniuncta, tuam gloriami tua beneficia in aeternum cantare poterit. Dignetur Cor immaculatum Mariae, dignetur gloriosus Patriarcha sanctus Ioseph Tibi hanc consecrationem offerre, eiusque vivam in nobis singulis diebus vitae nostrae conservare memoriam.

Vivat Cor Iesu, Regis et Patris nostri !

V

CONCEDITUR INDULGENTIA CCC DIERUM RECITANTIBUS QUANDAM IACULATORIAM PRECEM AD SACRATISSIMUM COR IESU.

Die 15 martii 1918

SSmus D. N. D. Benedictus, div. prov. Pp. XV, in audientia infrascripto Regenti S. Poenitentiariae Apostolicae impertita, omnibus christifidelibus, hanc iaculatoriam precem : *Gceur sacré de Jésus, soyez connu, soyez aimé, soyez imité,* corde saltem contrito ac devoto, recitantibus, indulgentiam trecentorum dierum, etiam animabus fidelium in Dei gratia vita functorum applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concedere dignatus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. © S.

Bernardus Colombo, *S. P. Regens.*

I. Bapt. Menghini, *Substitutus.*

SACRA ROMANA ROTA

LUGDUNEN.

NULLITATIS MATRIMONII (GORTAY-PERROUDON)

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die 5 iunii 1917, BR. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Seraphinus Many et Aloisius Sincero, Auditores de turno, in causa* Lugdunen. - Nullitatis matrimonii, *inter* Glaudium Cortay, *actorem, appellantem, repraesentatum per procuratorem ex officio deputatum Rev. Carmelum Conte, advocatum, et* Ludovicam Perroudon, *interveniente et disceptante in causa Vinculi defensore ex officio, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

1. Gasparius B. Perroudon filiam suam unicam Ludovicam in matrimonium collocare volens, ipsi virum quemdam, Claudium Cortay nomine, tanquam futurum sponsum proposuit. Quamvis puella propositis nuptiis parum alliciebatur, consilio tamen patris obsequens, illas acceptavit et vinculo coniugali cum viro, die 18 aprilis 1898, in ecclesia parochiali pagi *Meaux,* dioecesis Lugdunensis, coniuncta est. Iurgia tamen frequentia vitam sponsorum communem turbarunt, praesertim post mortem Ludovicae patris, quatuor annos post initas nuptias; et eo tandem dissidium inter eos devenit, ut, viro instante, octavo nuptiarum anno divortium civile decretum sit. Mulier incontinenter ad alias convolavit nuptias, vinculo civili tantummodo sancitas. Vir autem, spe recuperandae libertatis erectus, causam introduxit apud Curiam Lugdunensem, in qua nullitatis accusavit suum cum Ludovica Perroudon matrimonium ex capite vis et metus, quatenus sibi videbatur mulierem haud libere, ut ius ecclesiasticum postulat, sed a patre coactam, vel alternative, cum intentione illud dissolvendi, matrimonium cum ipso iniisse. Curiae sententia favore matrimonii prolata est, die 26 iulii 1914. Viro autem appellante ad N. S. Ordinem, causa nobis dirimenda proponitur sub consueta dubii formula: *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

2. *Ad ius quod attinet.* Cum in corpore iuris non habeatur proprius titulus de impedimento vis et metus, doctrina canonica circa naturam huius impedimenti ex variis locis collectionis authenticae ab auctoribus

depromitur, et praesertim ex capitibus 14, 15 et 28 tituli *De sponsalibus* in libro IV *Decretalium.*

Ita Alexander III, in cap. *Cum locum,* 14, *De sponsalibus,* decernit: « Cum locum non habeat consensus ubi metus et coactio intercedit, « necesse est ut, ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia « repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de « ipso quaeritur, plena debet ille securitate gaudere cuius est animus « indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur « exitus qui de invitis solet nuptiis provenire ». Unde docent auctores per metum gravem iniuste a causa libera incussum ad extorquendum consensum matrimonialem, saltem iure ecclesiastico, matrimonium dirimi. Metus debet esse gravis, seu cadens in virum constantem, uti exponitur in cap. 15, *Veniens,* et cap. 28, *Consultationi* eiusdem tituli.

3. Ad gravitatem, uti planum est, non requiritur ut ita rationem perturbet vel voluntatem flectet metum patientis, ut nonnisi consensus externus ponatur, quin animo consentiat: matrimonium enim tunc nullum esset, non propter impedimentum vis et metus, sed ob defectum consensus. Sed supposito consensu interno, gravis metus substantialiter minuit plenam eius libertatem, quam Ecclesia adeo necessariam ducit ad contractum tam gravis momenti, qui intimam vitae consuetudinem pro toto vitae cursu respicit, ut matrimonium, sub influxu irritum huius animi trepidationis iniuste incussae, pro nullo et irrito habeat.

4. Ad metum matrimonium irritantem semper requiritur et sufficit quod sit respective gravis, seu relate ad personam metum patientem, de huius videlicet individua libertate consensus unice inquiritur, quando iudicandum est in concreto an matrimonium aliquod ob metus impedimentum vitietur.

Sufficit igitur, ut metus sit gravis pro metum patiente, licet gravis ideo evadat quia nimis timidae indolis est, dum pro aliis animo fortiori praeditis, in eisdem circumstantiis metus non esset gravis sed levis. Gravis in genere dici debet, si persona metum patiens grave malum sibi a causa libera imminere apprehendit, quod aliter, sine magna saltem difficultate, evitare nequit nisi matrimonium contrahendo.

5. Metus simpliciter reverentialis, respectu illorum nempe in" quorum potestate sumus (D'Annibale, tom. I, n. 138, ed. 3), ex sese levis est et matrimonium non dirimit. Ideo, *a)* qui solam offensam patris vel superioris veretur, valide contrahit (D'Annibale, 1. c, not. 16); quia malum, quatenus saltem grave videri possit, non sibi, ut ratio metus matrimonium dirimentis postulat, sed alteri imminens apprehendit; 6) item qui matrimonio consentit, quia morem vult gerere patris aut superioris,

valide contrahit,* quia invitus non agit (D'Annibale, 1. c); c) genitores licite consilium praestant, imo et saepe praestare debent, filiis ipsorum in re tam gravi, praesertim si minores sunt, sive pro sive contra matrimonium ipsis propositum; *d)* suasionibus uti possunt, dummodo non ita importunae sint, ut minas graves virtualiter contineant; *e)* modicam pressionem, vel increpationem ipsis adhibere licet ad matrimonium urgendum (Sánchez, lib. 4, disp. 22, n. 5); /) licet ipsis etiam causas matrimonium urgentes filiis exponere, quae in circumstantiis rerum obiectivis continentur, et a libera voluntate incutientis metum non dependent: ad rem sit D. Thomas (supplem. part. 3, qu. 47, art. 6): « Pater non potest cogere filium ad matrimonium per praeceptum, cum «sit liberae conditionis, sed potest eum inducere ex rationabili causa; « et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad prae- « ceptum patris: ut scilicet, si causa illa cogat de necessitate, vel de «honestate, et praeceptum patris similiter cogat: alias non». Idem obtinet, ut patet, si pater malum aliquod exponat, etiam grave, quod filiae imminet ex obiectivis rerum circumstantiis, si matrimonium recusetur: nam metus, malo illi imminenti respondens, non esset a causa libera incussus, prout metus matrimonium irritans requirit.

6. Metus vero reverentialis gravis evadit, si qualificatus sit per verbera, aut minas, aut preces instantes et importunas, vel etiam per indignationem paternam diu duraturam (D'Annibale, tom. 1, n. 138, not. 16, ed. 3; Sánchez, lib. 4, disp. 6, n. 12 et 14; Pont., n. 6; Salmant, 9, 9, 34; Goscius, *De sep. thori,* lib. 3, cap. 4, n. 87; Rota, coram Ludovisio, dec. 374, n. 7; et coram Royas, dec. 491, n. 8; item coram Prior, *Transylvanien. - Nullitatis matrimonii,* die 1 maii 1912; *Acta Apost. Sedis,* an. 1912, p. 476 seq.).

7. In foro externo metus non praesumitur esse gravis, sed probari debet et caute procedendum est, ut monet Instructio S. Officii, diei 20 iunii 1883, ratione habita aetatis, sexus, indolis, educationis et metum patientis, necnon indolis et morum inferentis metum atque amborum ad invicem relationum.

8. *Ad factum quod attinet.* Antequam ad meritum causae accedamus, operae pretium erit quaedam hic recolere, quae alias iam exposita sunt in causa analoga *(Bisuntina,* coram Many, die 9 martii 1915), de quaestione praeiudiciali, an actor videlicet ius habeat matrimonium ex capite vis et metus ex parte mulieris accusandi. Videretur enim primo aspectu actorem non esse legitimum: secundum enim Instructionem S. Officii ad Episcopos Orientales, anni 1883, n. 36, ad accusandum matrimo-

nium ex capite vis et metus, non admittitur nisi pars quae metum passa est; haec sunt verba huius Instructionis: « Advertendum occurrit nemi-« nem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum, « nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur; reiici vero eum qui « per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo ei libertas et « opportunitas reclamandi non defuerit; ita ut si, liber iam a metu, « sua sponte in coniugali domò perstiterit, matrimonialia officia non « detrectaverit, audiri amplius non debeat » *(Collectan. S. Congr. de Prop. Fide,* edit. 1907, n. 1588). Similia habet S. Congregatio de Propaganda Fide in Instructione eiusdem anni 1883 (ibid., n. 1587). Verum, uti patet ex ipsis terminis, in his Instructionibus agitur de impedimento metus, quod sanari possit ab ipsa parte metum passa, vel per copulam libere habitam, vel per longam et pacificam cohabitationem, ad normam Iuris *Decretalium,* cap. *Ad id.,* 2, *De Sponsalia.,* et cap. *Insuper,* 4. *Qui matrimonium accusare possunt;* et proinde agitur vel de impedimento metus occulto, vel etiam de impedimento metus publico in his regionibus ubi Concilii Tridentini decretum *Tametsi* non erat promulgatum, quales erant hae regiones orientales vel infidelium, ad quas praedictae Congregationes Instructiones suas dirigebant. Et in his casibus patet iure merito ab impugnatione matrimonii reiici quemlibet extraneum, et etiam coniugem qui metum non est passus; coniux enim qui metum passus est, per se ipsum solum sanare et validum reddere potuit matrimonium modis supra indicatis, et sic eo ipso quamlibet huius matrimonii impugnationem excludere. Longe autem aliter se res habet, quando agitur de impedimento metus publico, seu quod iuridice probari possit, et quidem in regionibus ubi decretum *Tametsi* publicatum est; in his enim locis, ut matrimonium revalidetur, non sufficit amplius habitatio pacifica, aut copula libere habita, sed requiritur renovatio consensus in forma tridentina, scilicet coram parocho et testibus; cum igitur haec renovatio consensus non pendeat a solo coniuge metum passo, alter coniux, qui consensum renovare nolit, recte admitti potest ad impugnandum matrimonium. Et in hoc sensu exponi debet art. 116 *Instructionis Austriacae.* Unde etiam S. Congregatio Concilii ad impugnandum matrimonium ex capite vis et metus pluries admisit coniugem, qui metum passus non fuerat, v. g. in *Massilien.,* diei 23 iuliis 1892; *Burdigalen.,* diei 20 decembris 1902, etc.; ita etiam Rota, in *Lugdunen.,* coram Prior, diei 28 iunii 1912, in *Massilien.,* coram Prior, diei 10 augusti 1912; in *Bisuniina,* coram Many, diei 9 martii 1915. De quo etiam in eodem sensu legi potest Emus Lega, *De Iudiciis,* t. 4, num. 453, edit. 1901. Unde in praesenti causa, Curia Lugdunensis, ad ìmpugnan-

dum matrimonium ex capite vis et metus, iure admittere potuit coniugem, qui metum passus non fuerat, scilicet Claudium Cortay. Caeterum, in casu nostro, omnis evanescit difficultas, cum mulier actioni a viro institutae adhaeserit, et a tribunali petierit ut matrimonium ex eodem capite vis et metus nullum declaretur: « Je désire que la nullité en soit « prononcée par le tribunal ecclésiastique », etc., ac proinde actricis partes, potius quam reae conventae, in processu egerit.

9. Confessio equidem coniugum, quatenus contra matrimonii valorem pugnat, omni vi probandi caret (cap. 5, *De eo qui,* tit. 13, lib. 3, X; *Instruct. Austriae,* n. 148 et 169; Wernz, n. 745 ed. 1911). Ad summum potest esse adminiculum, quo confirmentur probationes aliunde deductae. Confessio vero coniugum favore matrimonii vim probandi habet, saltem in causis ex capite vis et metus et aliis, in quibus ius accusandi matrimonium coniugibus privative reservatur, prout in *Instructione Austr.,* art. 149, legitur: « Confessio coniugum quae pro matrimonii valore « militat, vim probandi in iis habet casibus, in quibus coniugibus (matri- « monium) accusandi ius (uti videlicet in causis ex capite vis et metus, « art. 116) privative reservatur. Alias praesumptionem tantum generat ». Specialem, porro, valorem habet iurata confessio favore matrimonii illius coniugis, qui metum passus esse dicitur, cum metus impedimentum in trepidatione in animo recondita consistat, cuius nemo melior testis esse potest, si vera loqui velit, quam ipsum metus subiectum. Iterumque augetur valor eius testimonii in validitatis matrimonii favorem, si declarationem nullitatis ipsius petit. Huiusmodi circumstantiae conveniunt in depositione Ludovicae Perroudon, quae dicitur matrimonium ex metu contraxisse, et iudici declarat: « Je désire que la nullité en soit pro- « noncée par le Tribunal ecclésiastique, à fin de pouvoir me marier « à l'Eglise avec Mr Satre, avec qui je suis civilement unie depuis trois « ans ». Perlegenti vero eius depositionem patet eam nullatenus sub influxu gravis metus matrimonium iniisse.

10. Sequentes conclusiones ex iis quae testata est directe eruuntur: 1) Pater Ludovicae rationabiliter urgebat huius matrimonium cum Claudio Cortay, quia hic et puella pari conditione erant, et vir, qui, ut testes uno ore referunt, de honesta familia natus est et religione morumque probitate conspicuus, cognatus erat domini Clovis Chavanis, amici intimi familiae Perroudon, qui propositum matrimonium summopere commendabat. Ite Ludovica: « Mon père désirait Mr Cortay pour gen- « dre, pour faire plaisir à Mr Chavanis. Parce que aussi les deux situa- « tions s'accordaient.... C'est Mr Chavanis, beau-frère de Mr Cortay, qui •< vint en faire la proposition à mon père.... Mon père avait grande recon-

« naissance pour Mr Chavanis et l'estimait beaucoup. Nous l'aimions « beaucoup à la maison.... Pour moi c'est Mr Chavanis qui l'a deter- « miné à me marier avec Mr Cortay ».

11. 2) Merito pater renuit unioni filiae favere cum alio iuvene, qui Ludovicae magis placebat, quin tamen hunc suum amorem pater explicite nuntiaret. Iste enim alius duodecim annis aetate superabat puellam, et genitoribus Ludovicae vexationes parabat, ita ut ipsa apprime cognoverit matrimonium cum ipso non expedire. « (Mon père) savait même « que mes préférences allaient à un autre jeune homme, mais je ne les « avais pas exprimées nettement. Il y avait en effet un autre jeune « homme qui était venu trois ans à la maison, et que j'aurais voulu. « Ma mère y tenait, mais mon père me refusa carrément de l'épouser, « parce qu'il avait 12 ans de plus que moi. Puis il fit quelques ennuis « à mes parents, et je compris qu'il n'y fallait plus penser ».

12. 3) Pater non adhibuit verbera ad filiam flectendam. « Il ne m'a « jamais frappée ». Neque minas, saltem quae graves dici possunt: « Mon « père allait chez le notaire de Cublize. Ils firent ensemble une pièce « que je devais signer dans les huit jours. Le notaire m'écrivit de de- « scendre signer cette pièce: il me disait que mon père me donnait liberté « de me marier avec qui je voudrais, mais si je ne prenais pas Cortay, •« il n'assisterait pas au mariage et ne donnerait son consentement que « par procuration, laquelle pièce je devais signer, et que lui avait déjà « signée. Je ne connais pas d'autres menaces. Pour lui faire plaisir, je « lui dis alors que je consentais à prendre Cortay. Il me dit aussi qu'il « ne viendrait pas me voir, si je n'épousais pas Cortay ». Haec omnia, vero, absentia patris a celebratione matrimonii, suum consensum in scriptis dare, filiam nolle visitare, minime constituunt mala gravia pro puella, quae, viginti annos nata, nec timida nec inexperta erat.

13. 4) Benevole conversabantur inter se pater et filia, quam ipse suaviter et amorose regebat, ipsa vero non ex metu sed amore mandatis eius obtemperabat, ita ut vix quidem locus esse posset coactioni: « J'étais docile à l'égard de mon père, parce qu'il m'aimait et que je « l'aimais. Je ne me souviens pas de lui avoir désobéi formellement, « sinon dans les bagatelles d'enfant. Je n'ai jamais obéi par crainte. « Mon père m'a toujours" conduit par la douceur ».

14. 5) Si quodammodo filiam coëgerit, modicam illam coactionem non excessit, quae patri licet in matrimonio filiae urgendo (Sánchez, lib. 4, disp. 22, n. 5): « Au moment de mon mariage, je pensais bien « que mon mariage était bon; il n'y a que trois ans j'ai pensé qu'il « pouvait être nul, parce que mon père m'avait *un peu* forcée de me

« marier.... Pendant huit jours, il a été particulièrement pénible, il bou- « dait, il grondait, le seul témoin de cette contrainte fut une voisine '< qui était souvent à la maison, Mlle Lépine ; mais elle est morte main- « tenant ». Haec quidem concilianda sunt cum aliis declarationibus reae conventae, sive supra citatis, sive mox citandis, ubi dicit patrem indicasse matrimonium conveniens ac proinde fundatam spem praebens felicitatis filiae, cui tamen plenam libertatem reliquit cui vellet nubendi; et ipsam nunquam patri ex timore obedisse. Unde coactio, si quaevis adfuerit, modica dicenda est.

15. 6) Ludovica non metu oppressa, sed ut morem gereret patris, matrimonio consensit, quod valorem consensus non minuit, cum invitus non faciat, qui ideo facit ut morem alterius gerat (D'Annibale, tom. 1, n. 138, not. 16, ed. 3; Rota, *Transylvanien.*, coram Prior, die 1 maii 1912). Ita Ludovica: « *Pour lui faire plaisir, je* lui dit alors queje consentais « à prendre Cortay.... J'ai donc consenti à prendre Cortay, uniquement « pour ne contrarier mon père ». Quod confirmat testis Labrosse: « Elle «m'a dit qu'elle donnait son consentement pour faire plaisir à son « père ».

16. Verum est Ludovicam declarasse sibi invisam fuisse personam viri, et huiusmodi repugnantiam pluries patri aperuisse: interrogata enim: « Comment avez-vous accueilli la proposition de vous mari,er avec- «Cortay?», respondit: » Très mal. Je n'aimais pas son caractère, que « je trouvais mielleux, fermé. Je n'étais pas du tout portée vers lui. « J'aurais accepté un autre parti convenable plutôt que lui, mais non * pas n'importe lequel.... Dès les débuts, j'ai résisté á mon père. Mainte « et mainte fois je lui ai dit que je ne voulais pas Cortay. J'ai bien « parlé de cette répugnance à Mlle Lépine et à Mme Ratinier. Elles « sont mortes toutes deux ». Et aliquam repugnantiam se sensisse declarat in ipsa nuptiarum celebratione: « Au moment de donner mon con- « sentement, je n'étais pas contente, j'agissais à contrecœur et je pensais « à part moi, que si mon père ne m'y poussait, je ne ferais pas ce «mariage. ... J'agissais par contrainte, pour obéir à mon père ».

17. Attamen validitati matrimonii non officit quod sine amore, mutuo contrahatur: amor enim non facit coniugium, sed consensus (cap; *Cum locum,* 14, *De sponsalib.).* Facile etiam admitti potest quod puella viro Cortay haud nupsisset, nisi pater urgeret; agitur enim de intentione mere interpretativa, quae in rerum natura non existit et nihil mutat. Neque valori consensus nocet quod ex timore simpliciter reverentiali praestatur, cum iste timor ex sese levis sit, ut supra vidimus in expositione iuris. Gravis evadit tantummodo si qualificatus sit per verbera,

aut minas graves, aut preces instantes et importunas, aut tandem per indignationem paternam diu duraturam; Nihil horum vero apparet in dispositione iurata reae conventae.

18. Dato, igitur, quod Lifdovica veritatem obiectivam in suo testimonio exhibuerit, non solum in iis quae favore matrimonii deposuerit, sed etiam in aliis quae contra illud deponere censuit, concludendum esset de nullitate matrimonii non constare.,

19. Admitti tamen nequeunt, tanquam facta probata, omnia ea quae mulier contra matrimonium testata est, cum a depositionibus aliorum testium, praesumptionibus fundatis, etc., non confirmentur. Id maxime dicendum est de unico facto specifico cum circumstantiis allegato, quod minas contra ipsam redolet : et apposite notandum est ad probationem minarum non sufficere genéricas affirmationes, sed de iure requiri ut facta specifica cum suis circumstantiis allegentur (Goscius, *De sep. thori,* lib. 1, cap. 8, n. 61 seq.; Rota, dec. 334, n. 9, par. 12 et dec. 172, par. 15; dec. 490, n. 2 seq., par. 18, tom. 2 Rec). De documento agitur ab ipsa coram notario subscripto. De isto loquitur testis Rev. Vicarius I. Vernier ea referens quae a Lodovica audivit post processum hodiernum in Curia dioecesana institutum: « J'étais forcée, m'a-t-elle dit, par mon « père qui voulait Cortay. Et un jour, pour me décider, il m'a menacée « de me faire signer une procuration, déposée chez Mr Perrin, notaire « à Cublize. Cet acte était, disait-elle, de nature à la déshériter. Elle « croit qu'il est encore dans l'étude de Mr Carie, successeur de Mr Per- « rin. Elle dit que par cet acte son père voulait faire pression sur elle « pour qu'elle acceptât Cortay.... Elle ne m'a pas dit que le père Per- « roudon lui ait fait d'autres menaces ». Ludovica ipsa, in sua depositione coram iudice iam ante huiusmodi colloquium cum Rev. D. Vernier, declaraverat de aliis minis a patre prolatis se nullam habuisse cognitionem: « Je ne connais pas d'autres menaces ».

20. Huiusmodi documentum, porro, in archivio Notarii Carie repertum est, et eiusdem exemplar in actis exhibetur, de identitate huius instrumenti cum illo de quo loquuntur Ludovica et D. Ver nier, ita deponit actor, iudicis interrogationibus respondens: « Avez-vous con- « naissance d'une pièce qui avait été préparée par le notaire de Cublize « et que le père Perroudon voulait faire signer à sa fille pour l'obliger « à se marier avec Cortay? », respondit: « J'ai connaissance d'une pièce « qui a été signée le jour où nous nous sommes mariés à l'église, et « qui est jointe au procès-verbal. Par cette pièce le père Perroudon ne « donne rien à ses enfants ». Ad quaest. : « Cette pièce est-elle celle dont « Louise Perroudon a parlé dans sa déposition dont je viens de vous

« donner lecture? », respondit: « Pour moi, je crois que c'est cette pièce» « D'ailleurs Mr Carie, successeur de Mr Perrin, n'en a pas trouvé d'àu- « tres dans ses minutes.... J'ai toujours supposé, depuis que je connais « cette pièce, que c'était celle dont elle îS'avait parlé, et par laquelle « elle me disait que son père voulait la déshériter ».

21. Iamvero, *a)* ex circumstantiis subscriptionis documenti, necnon ***b)*** ex eiusdem tenore, patet nullam ibi potuisse esse quaestionem de minis ad matrimonium cum viro Cortay urgendum. Ut malum aliquod imminens indolem induat minarum ad matrimonium urgendum, tale debet esse quod a subiecto minarum evitari potest, matrimonium acceptando: sic enim fit pressio in voluntatem alterius ut consensum ponat, saltem ad malum imminens vitandum, quod alias ponere nollet. Tempore autem quo subscriptum erat documentum in themate a patre Perroudon, a filio eius Ioanne, a filia Ludovica eiusque sponso, nulla quaestio esse poterat de matrimonio cum viro Cortay urgendo, quippe quod celebratum erat: subscriptum enim erat documentum duos dies post matrimonium civiliter celebratum, uti legitur ibidem: « La dite « dame Cortay, encore mineure, mais émancipée par le fait de son « mariage célébré à la mairie de la Commune de Meaux le seize avril « de la présente année » et die ipso celebrationis nuptiarum coram Ecclesia, die videlicet 18 aprilis 1898. Praeterea, nihil dicit documentum de exhaeredatione filiae domini Perroudon, sed est simplex declaratio partium quod omnia bona a matre defuncta filiis Perroudon relicta, a patre eorumdem fuerunt eis fideliter transmissa. Coeterum, ipsa Ludovica, in sua iurata depositione, ait: « J'avais ce que m'avait laissé ma « mère, mon père n'avait pas à y ajouter ». De matrimonio autem ipsius cum viro Cortay instrumentum non loquitur nisi de re iam acta. Tandem, notare praestat quod, si serio quaestio poneretur de minis exclusionis filiae ab haereditate paterna, considerandum esset sub lege civili gallica (art. 913 Cod. Civ.) in haereditate paterna vel materna partem esse filiis reservatam, qua proinde privari nequeunt.

22. Infundatae, igitur, dicendae sunt affirmationes testium ex auditu Ioannis Mariae Piasse et Iosephi Depaix, qui de dictis minis deponunt. Assertio vero alterius testis, Iosephi Chappuis, de minis electionis filiae e domo paterna, reiicienda est, non solum quia unicus testis est, sed etiam quia plane contradicit testimonio reae conventae, quae de aliis minis, praeter illas exhaeredationis, se nihil scire declarat.

23. Ex septem testibus in causa excussis unus tantum a Ludovica inductus fuit, videlicet Rev. D. Vernier, qui omnia quae retulit ab ipsa Ludovica didicit, idque tempore valde suspecto, postquam nempe causa

apud Curiam introducta est, et uno mense antequam ipse coram tribunali deposuit; quare dicta huius testis refunduntur in testimonio Ludovicae, cui nullam vim adiiciunt. Sex autem testes ab actore inducti fuerunt. Ex eis unus, Iosephus Chappuis, solummodo post matrimonium edoctus fuit; caeteri vero quinque, ex pago Meaux oriundi, familiam Perroudon et Claudium Cortay ante et post matrimonium plene cognoverunt.

24. Praeprimis notandum est eos fateri se nullatenus ex propria scientia cognoscere an pater Ludovicae vim in filiam adhibuisse ad matrimonium cum Claudio urgendum: quae optime concordant cum Ludovica asserente se nullam vim passam esse ex parte patris.

25. Conveniunt, utique, plures testes in adserenda repugnantia Ludovicae erga virum Cortay: ita Ioannes M. Piasse, Iosephus Depaix, Ioannes M. Chabert, Octavia Labrosse. Haud extra controversiam tamen est huiusmodi repugnantiam fuisse constantem: Ludovica enim erat ingenio mutabilis, inconstans a limo, uti testes referunt. Ioannes M. Piasse ait: « Elle était très légère; violente d'abord, puis bientôt calmée ». Octavia Labrosse: « Le caractère de Louise Perroudon était volage. D'une « façon générale elle était changeante, difficile à connaître ». Iosephus Depaix: « Louise était volage ». Iosephus Chapuis: « C'était un caractère « très fantastique, tantôt docile, tantôt emporté, selon les circonstances ». Nil mirum, itaque, si impetu quodam animi puella inconstans quandoque cor aversum a viro futuro habuerit, quin inde inferri liceat eam ab unione coniugali cum illo serio abhorruisse.

Praeterea, spes sibi arridere potuit ex familiari vitae coniugalis consuetudine repugnantiam in amorem versuram fore. Ait ipsa Ludovica: « Mr Chavanis disait que l'amitié viendrait après le mariage. C'est ce « qui explique avec l'avantage de la situation, que Cortay ait persévéré a « me vouloir malgré mes froideurs ». Pari modo consilium amici domini Chavanis sibi ipsi arripere potuit. Sed prae omnibus tenendum est, quod supra diximus, repugnantiam nupturientis componi posse cum validitate consensus matrimonialis. Ad summum, huiusmodi aversio iudicium esse potest coacti consensus, et probationis adminiculum ; coactio, tamen, aliunde probanda est, et in casu nostro non probatur.

26. Vix necesse est ut de alio capite nullitatis disseramus, ab actore in primo gradu iudicii proposito, de quo in praesenti instantia silet eius patronus, nempe quod Ludovica in matrimonio contrahendo intentionem habuit contra bonum sacramenti, seu matrimonii indissolubilitatem. Huiusmodi intentio, vel conditio, si reapse existeret, matrimonium nullum redderet, iuxta id quod in cap. fin. tit. *De condit, apposit.*

(X, lib. 4, tit. 5) statuitur: « Si conditiones contra substantiam coniugii « inserentur, puta, si alter dicat alteri: " Donec inveniam aliam honore « vel facultatibus digniorem „... matrimonialis contractus, quantumcum- « que sit favorabilis, caret effectu».

27. Ait actor: « Louise m'a dit une fois, 15 jours avant le mariage: « " Je me marie avec vous à condition que je divorcerai. Je ne resterai « pas à Meaux, et j'irai rejoindre ceux que j'aime „ ». Actor solus inter testes verbum adhibet « conditionem » respectu consensus a muliere in matrimonio praestandi. Excluditur, tamen, omnino intentio mulieris contra sacramenti bonum ex eiusdem depositione. Testatur enim : « Oui, « je savais que le mariage religieux était indissoluble. Si mon mari « n'avait pas demandé le divorce, je ne l'aurais pas demandé. Je me « serais contentée de la séparation de corps et biens. Mais, après le « mariage, avec mon père, nous regrettions que l'Eglise ne permît « pas le divorce ». Haec quippe sunt verba illius quae id facere intendit quod facit Ecclesia. Stante, vero, huiusmodi intentione, matrimonium validum est, etiamsi mulier virum post aliquod tempus deserere intendat; intentio enim deserendi non opponitur bono sacramenti, seu vinculo perpetuo, sed bono fidei, seu fidelitatis, et intentio violandi obligationem fidelitatis in matrimonio assumptam validitati matrimonii non obstat (Sánchez, lib. 2, disp. 29, n. 12; Rota, in *Neo-Eboracen.*, coram Prior, die 8 febr. 1915).

28. Prosequitur Ludovica: « J'ai bien pensé après (le mariage) que «je ne resterais pas avec mon mari; mais je ne me souviens pas l'avoir « dit à ce moment... comme je disais à mon père: " Pour toi je resterai; « mais quand tu seras parti, je m'en irai „ ». Hic agitur, non de matrimonii dissolutione, sed de separatione a mensa et thoro, quae matrimonii indissolubilitati non nocet, sed ab ipsa Ecclesia', firmo manente coniugali vinculo, in certis adiunctis propter graves rationes approbari potest. Insuper ait testis: « Au moment de mon mariage, je pensais bien « que mon mariage était bon ; il n'y a que trois ans que j'ai pensé qu'il « pouvait être nul, parce que mon père m'avait un peu forcée de me « marier. Je désire que la nullité en soit prononcée », etc. Sponsae, nimirum, declarationem nullitatis sui matrimonii optanti, nullum aliud menti occurrit caput accusationis praeter illud ex vi et metu proveniens: intentionem quamlibet contra vinculi perpetuitatem prorsus ignorat.

29. Cum depositione Ludovicae concilianda sunt ea quae alii testes referunt se ab ipsa audivisse respectu legis divortii: testatur Octavia Labrosse: « Elle m'a dit aussi plusieurs fois: " Mon père veut me marier « avec Cortay; mais le divorce existe, et quand mon père sera mort, je

« m'en servirai „ ». Similiter Iosephus Depaix. Dicendum est, ergo, vel intentionem mulieris utendi lege civili divortii haud serio fuisse expressam, prout indicant eius verba supra citata, ubi satis sibi fuisse dicit separationem bonorum et corporum a iudice civili obtinuisse, nisi vir eius divortio institisset; vel eius intentionem eo sensu intelligendam esse, quod separationem a mensa et thoro completam et definitivam vi legis civilis divortii, uti pluries in aliis casibus evenisse notum est, firmatam voluerit.

30. Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu?* respondentes: *Negative,* seu *non constare de nullitate matrimonii in casu.*

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim cap. 3 Concilii Tridentini, sess. XXV, *de Ref.*, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. Romanae Rotae, die 5 iunii 1917.

Ioannes Prior, *Ponens.*
Seraphinus Many.
Aloisius Sincero.

L- « S.

Ex Cancellaria, die 14 iunii 1917.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

DUBIA

IN PLENARIO COETU DIEI 17 FEBRUARII 1918 PROPOSITA AC RESOLUTA

I. An lex abstinentiae cesset in Gallia diebus festis sub praecepto in universa Ecclesia servatis, sed in Gallia ex concessione Sanctae Sedis suppressis, scilicet festis Circumcisionis, Epiphaniae, Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Maria et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli.

Resp.: *Negative.*

II. Quaenam sint festa suppressa, de quibus in cann. 339, § 1, 466, § 1, in quibus nempe ab Episcopis et Parochis applicanda est Missa pro populo sibi commisso.

Resp.: Nihil hac in re per Codicem iuris canonici immutatum esse a disciplina huc usque vigente.

III. Utrum festa quae non enumerantur in can. 1247, § 1, ipso facto ipsaque lege nullibi sint amplius de praecepto, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerint de praecepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci, aut ex speciali concessione Sanctae Sedis.

Resp.: *Affirmative,* ita ut in iis diebus non amplius fideles urgeat duplex obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses.*

Aloisius Sincero, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 5 marzo 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Particolare,* nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali e i Rmi Prelati Officiali, componenti la medesima, hanno dato il loro voto sopra le seguenti materie:

I) Intorno alla validità dei Processi Apostolici costruiti nella Curia arcivescovile di Napoli, per la Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Venerabile Servo di Dio Ignazio Jennaco, sacerdote secolare di Torre Annunziata nella medesima Archidiocesi.

II) Intorno alla validità dei Processi Apostolici costruiti nella Curia ecclesiastica di Napoli, per la Causa del Venerabile Servo di Dio Placido Baccher, Sacerdote secolare del Terz' Ordine di San Domenico, rettore dell'antica chiesa del Santissimo Nome di Gesù, nella città di Napoli.

• III) Intorno al culto, in ossequio ai Decreti di Urbano VIII, non mai prestato alla Venerabile Serva di Dio Luigia Borgiotti, Confondatrice delle Suore di Gesù Nazareno.

IV) E finalmente intorno al culto, come sopra, non mai prestato al Venerabile Servo di Dio Lodovico Maria Calco, sacerdote secolare professo dell'Ordine di San Domenico.

Martedì 12 marzo 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto del Rmi Prelati Officiali e Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta una Congregazione *Nuova-Preparatoria,* per discutere due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Beata Giovanna d'Are, detta la Pulcella d'Orléans, i quali miracoli vengono proposti per la Canonizzazione della stessa Beata.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

8 marzo 1918. L'Emo signor cardinale Guglielmo van Rossum, *Protettore dell'Istituto delle Suore dei Poveri di S. Francesco.*

11 » » Il Rev. P. Ildefonso Schuster, priore claustrale di S. Paolo e Procuratore Generale della Congregazione Benedettina Cassinese, *Consultore della Sacra Congregazione dei Riti per la sezione delle cause di Beatificazione e Canonizzazione.*

12 » » L'Erno signor cardinale Guglielmo van Rossum, *Prefetto della Sacra Congregazione di Propaganda Fide.*

» » » L'Emo signor cardinale Oreste Giorgi, *Penitenziere Maggiore.*

17 » » Mons. Giulio Tiberghien, canonico della Patriarcale Arcibasilica Vaticana, *Prete Assistente alla Cappella Pontificia.*

19 » » Mons. Carame Nematallah, arcivescovo titolare di Mindo, ei RR. PP. Gondisaivo Galland dei Predicatori, Giuseppe Filograssi della Compagnia di Gesù, Ildebrando Höpfl dei Benedettini, Edoardo Hugon dei Predicatori, Bernardino Klumper dei Frati Minori, Abate Luigi El Khazen O. S. B. e Giovanni Hudecek dei Redentoristi, *Consultori della Sacra Congregazione « Pro Ecclesia Orientali ».*

20 » » L'Etìio signor cardinale Gaetano De Lai, segretario della Sacra Congregazione Concistoriale, *Protettore- del Collegio Scozzese in Roma.*

» » » L'Emo signor cardinale Gaetano Bisleti, prefetto della Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università dei Studi, *Protettore del Collegio Americano degli Stati Uniti, in Roma.*

» » » I RR. PP. Venanzio da Lisle-en-Rigault, Ministro Generale dei Frati Minori Cappuccini, e Pietro Vidal, della Compagnia di Gesù, *Consultori della Sacra Congregazione dei Religiosi.*

22 marzo 1918. L'Emo signor cardinale Guglielmo van Rossum, *membro della S. Congregazione « Pro Ecclesia Orientali ».*

» » » L'Emo signor cardinale Guglielmo van Rossum, *presidente del Pontificio Seminario dei SS. AA. Pietro e Paolo per le Missioni estere.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Protonotari Apostolici ad instar participantium :

7 marzo 1918. Mons. Nicola Camera, dell'archidiocesi di Amalfi.

13 » » Mons. Nicola Emilio Massé, della diocesi di Troyes.

Prelati Domestici di S. S.:

22 ottobre 1917. Mons. Gesù Maria Marulanda, dell'archidiocesi di Medellin.

18 febbraio 1918. Mons. Federico Carlo Hümmer, dell'archidiocesi di Bamberga.

6 marzo » Mons. Salvatore Luzio, Canonista della Sacra Penitenzieria.

10 »' » Mons. Alfonso Hili, della diocesi di Gozo.

13 » » Mons. Antonio F. Kaul, della diocesi di Harrisburg.

15 » » Mons. Edmondo Fitz-Maurice, dell'archidiocesi di Filadelfia.

» » » Mons. Venceslao Walsh, della medesima archidiocesi.

16 » » Mons. Vincenzo Sesta, della diocesi di Trapani.

18 » » Mons. Francesco Rea, della diocesi di Sant'Agata dei Goti.

21 » » Mons. Federico Gauthier, Rettore della Chiesa del *Corpus Domini* di Torino.

22 » » Mons. Lorenzo Schioppa, Uditore della Nunziatura Apostolica di Baviera.

23 » » Mons. Ernesto Jouin, dell' archidiocesi di Parigi.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Placca dell'Ordine Piano:

16 marzo 1918. Al sig. comm. Ernesto Giuseppe Fraeys de Veubeke, della diocesi di Bruges.

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano:

12 marzo 1918. **Al sig. comm. Alessandro Maupetit, della diocesi di Limoges.**

La Commenda dell' Ordine Piano :

14 marzo 1918. **Al sig. conte cav. Gustavo Di Carpegna, di Roma.**

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

2 marzo 1918. **Al sig. Lorenzo Kihlman, membro della Delegazione Finlandese.**
» » » **Al sig. Eugenio Wolff, membro della medesima Delegazione.**

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

2 marzo 1918. **Al sig. Tancredi Borenius, segretario della Delegazione Finlandese.**
12 » » **Al sig. cav. Giorgio Servois, della diocesi di Limoges.**
14 » » **Al sig. cav. Gastone Lavergnolle, della medesima diocesi.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

1 febbraio 1918. **Al sig. dott. Guglielmo Giuseppe Butler, dell'archidiocesi di Manila.**
25 » » **Al sig. Paolo Couillaud, della diocesi di Nantes.**
28 >•> » **Al sig. avv. Nicola Camera, dell'archidiocesi di Amalfi.**
5 marzo » **Al sig. Ludovico Povel, della diocesi di Osnabrück.**
11 » » **Al sig. Paolo de Monvallier, della diocesi di Angoulême.**
» » » **Al sig. Pietro de Marcellus, della medesima diocesi.**
» » » **Al sig. Adriano Delalande, della medesima diocesi.**
12 » » **Al sig. Giuseppe Filhoulaud, della diocesi di Limoges.**
13 » » **Al sig. Riccardo Reilly, della diocesi di Harrisburg.**
» » » **Al sig. Davide E. Tracey, della medesima diocesi.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

12 marzo 1918. **Al sig. Oreste Rinaldi, di Roma.**

MAGGIORDOMATO DÏ SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

3	*febbraio*	*1917.*	**Mons. Romano Lasocki, dell'archidiocesi di Varsavia.**
»	»	»	**Mons. Sigismondo Pacioskowki, della medesima archid.**
»	• »	»	**Mons. Eusebio Brseziewicz, della medesima archidiocesi.**
»	»	>•	**Mons. Francesco Kacuyuski, della medesima archidiocesi.**
1	*settembre*	»	**Mons. Maurilio Silvani.**
6	*marzo*	*1918.*	**Mons. Anacleto Loreti, della diocesi di Porto e S. Rufina.**
7	»	»	**Mons. Pacifico Severini, della diocesi di Nocera e Gualdo Tadino.**
12	»	»	**Mons. Francesco de Negri, dell'archidiocesi di Genova.**
20	»	»	**Mons. Pietro Carlo Wytenburg, della diocesi di Harlem.**

Cameriere d'onore in abito paonazzo di S. S. :

6	*marzo*	*1918.*	**Mons. Guglielmo Rhiel, della diocesi di Fulda.**
11	»	»	**Mons. Francesco Finck, dell'archidiocesi di Colonia.**
21	»	»	**Mons. Pietro Ercole, di Roma.**

Cameriere d'onore **extra Urbem** *di S. S.:*

3	*febbraio*	*1917.*	**Mons. Giovanni Tarnowski, dell'archidiocesi di Varsavia.**
»	»	»	**Mons. Emilio Tymieniecki, della medesima archidiocesi.**
»	»	»	**Mons. Giovanni Matulanis, della medesima archidiocesi.**

La nomina a cameriere segreto soprannumerario di S. S. del R. D. Edoardo Guglielmo Fowler, della diocesi di Omaha, St.-VU d'America *(Acta Apostolicae Sedis,* **n. 3 del 1918), fu pubblicata per errore e deve ritenersi come non avvenuta.**

NECROLOGIO

23 gennaio 1918. **Mons. Nicola Luigi Callagher, vescovo di Gai veston (St.-U.).**
» » » **Mons. Giacomo Mac Golrick, vescovo di Duluth (Minnesota, Stati Uniti).**
4 marzo » **Mons. Lazzaro Mladenoff, vescovo titolare di Satala, di Rito greco bulgaro.**
5 » » **L' Eöio signor cardinale Domenico Serafini, Prefetto della S. Congregazione di Propaganda Fide.**
13 » » **Il R. P. D. Giovanni Del Papa, Abate di S. Paolo fuori le mura.**
17 \ » » **Mons. Emilio Maria Minati, arciv. titolare di Stauropoli.**
20 » » **Mons. Edoardo Ireneo Mignot, arcivescovo di Albi.**
30 » » **Mons. Cosimo Agostino, vescovo di Ariano di Puglia.**
» » **Mons. Giuseppe Weber, vescovo titolare di Dami.**

Annus X - Toi. X 1 Maii 1918 Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SODALITATIBUS A PASSIONE DOMINI INDULGENTIAE IAM CONCESSAE CONFIRMANTUR ALIAEQUE CONCEDUNTUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Probe novimus non modo in Italia, sed in Europae quoque et Americae regionibus plures constitutas esse Sodalitates a Passione Domini, quae id sibi proponunt ut, dilectionis gratique animi ergo, Passionis Christi cultum latius in dies provehant, ad tabulas, quas S. Paulus a Cruce sapienter exaravit. Litteris Apostolicis die XX mensis septembris anno MDCCCLI fel. rec. decessor Noster Pius Pp. IX facultatem fecit Praeposito Generali Congregationis Passionis D. N. I. C. eiusmodi sodalitates per orbem erigendi et cum iis indulgentias et privilegia communicandi, quibus ipsa Congregatio gaudet. Inter eas vero sodalitates primas obtinet ea quae anno MDCCCLVII instituta est ad Sancta Sanctorum in sanctiore totius terrarum orbis loco, ubi achaerotypa asservatur Nostri Redemptoris imago et Scala divino purpúrala Sanguine. Hoc autem anno, a divi Pauli a Cruce canonizatione quinquagesimo, cum dilectus filius Sylvius a Sancto Bernardo, Congregationis Passionis Generalis Praepositus, enixis Nos precibus flagitaverit, ut piam hanc societatem, in hoc catholici orbis centro erectam et iam longe lateque diffusam, ad archisodalitatis ad honorem sive ad Primariae gradum promovere dignemur, Nos quibus nihil antiquius est, quam ut fidelium pietas erga Passionis mysterium excitetur, votis his

annuendum, quantum in Domino possumus, existimavimus. Quae cum ita sint, apostolica Nostra auctoritate, praesentium tenore, Sodalitatem a Passione Domini in hac Alma Urbe ad Sancta Sanctorum erectam, in archisodalitatem ad honorem seu Primariam perpetuum in modum erigimus atque instituimus. Propterea, spirituali bono consulentes sociorum tum enunciatae Primariae, tum aliarum societatum a Passione quae in universo terrarum orbe vel erectae sint, vel in posterum erigantur, indulgentias eidem a S. Sede concessas confirmamus; concessisque alias adiungimus, et volumus ut ipsae sequentis tenoris sient. Nimirum, de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui quamlibet a Passione Domini societatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si, vere poenitentes et confessi, Ssmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam inscriptis quam pro tempore inscribendis iisdem in societatibus sodalibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, apostolicam benedictionem secundum ritum et formulam praescriptam, adiecta plenaria indulgentia, concedimus; quod, si benedictionem ipsam recipere nequiverint, si, vere poenitentes et confessi, Ssmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium submisso animo susceperint, item plenariam ; denique iisdem nunc et in posterum similiter memoratas in sodalitates adlectis sociis, qui singulis annis diebus festis Gommemorationis sollemnis Passionis Domini, Perdolentis Virginis, S. Iosephi, S. Pauli a Cruce, Patrocinii S. Iosephi, Inventionis et Exaltationis SSmae Crucis, B. Mariae Virginis in coelum Assumptae, Septem Dolorum B. M. Virginis, S. Michaelis Archangeli, Praesentationis Virginis Deiparae, nec non Ssmi Corporis Christi Domini, Epiphaniae, Pentecostes, Pretiosissimi Sanguinis et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum festivitatibus, denique celebritate Sanctorum omnium, vel uno e septem diebus continuis immediate respective sequentibus ad cuiusque lubitum eligendo, propriam sodalitii ecclesiam sive aliud quodvis publicum templum aut sacellum, admissorum sacramentali exomologesi expiati et eucharisticis dapibus recreati, visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea iisdem sociis, nunc et pro tempore dictis in societatibus exsistentibus, largimur, ut uno die ad arbitrium cuiusque per annum

mensis, si, pariter confessi et eucharisticis epulis refecti, proprium respectivi sodalitii sive aliud quodvis publicum templum aut sacellum visitent, ibique, uti supra diximus, orent, plenariam consequi valeant indulgentiam ; et si bis in anno, nempe S. Pauli a Cruce et Deiparae Virginis Immaculatae festivitatibus benedictioni apostolicae rite ipsis impertiendae interierint et alia iniuncta pietatis opera praestent, etiam plenariam indulgentiam rite lucrari possint. Largimur ad haec dictis sociis ut, servatis servandis, die festo S. Pauli a Cruce indulgentiam plenariam ad instar Portiunculae toties quoties lucrari valeant : nec non ut in proprio societatis templo, servatis similiter servandis, statis Quadragesimae et aliis intra annum diebus in Missali Romano descriptis pro Stationum indulgentiis in Urbe lucrandis, similes Stationum indulgentias lucrari valeant, praestitis rite iniunctis pietatis operibus. Tandem iisdem, si uno cuiusque mensis die ad sacram Synaxim accedentes, iuxta Romani Pontificis mentem Deo preces fundant, plenariam quoque omnium peccatorum suorum indulgentiam misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis sodalibus, nunc et in posterum pariter ipsis in societatibus inscriptis, si, contrito saltem corde, exceptis supra recensitis, singulis quibusque aliis per annum B. M. Virginis festis in Kalendario Romano numeratis, et diebus festis S. Ioannis Baptistae, S. Ioannis Evangelistae, S. Lucae et S. Mariae Magdalenae, proprium societatis aut quodvis aliud templum publicum sive sacellum, preces, ut supra diximus, fundentes, celebrent; et quoties menstruis sodalitatis coetibus intersint, et functionibus religiosis et concionibus sacris eadem occasione habendis intersint; quoties autem per horae quadrantem Passionis Domini mysterium devote meditentur, toties iis de numero poenalium, in forma Ecclesiae solita, septem annos totidemque quadragenas; denique quoties, sive communiter sive privatim, divini cultus et pietatis seu mortificationis praescriptos actus, et quodlibet spiritualis aut corporalis misericordiae opus erga proximum exerceant, atque intersint collationibus vel publicis vel privatis ad recolendam memoriam Passionis D. N. Iesu Christi, vel morum reformationem procurandam, toties quadraginta dies de numero poenalium, ut supra, expungimus. Sociis autem memoratis, qui per solidum mensem saltem decies meditationem ipsam peregerint, et uno die ipsius mensis, ad cuiusque lubitum eligendo, ad sacram Synaxim accesserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, ut supra, concedimus et indulgemus. Tandem, commoditati prospicientes eorundem sodalium, benigne largimur, ut ipsi enunciatas omnes indulgentias lucrari valeant etiam si templi publici visitationem omiserint, et visitationis loco, quinquies Orationem Dominicam, Salutationem Ange-

licam et Trisagium pie recitaverint. Porro volumus sodalibus iisdem, si malint, fas siet, excepta plenaria in mortis articulo lucranda indulgentia, reliquis omnibus sive plenariis sive partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Non obstantibus Nostra et Cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Haec praecipimus mandamusque, decernentes praesentes Litteras firmas, validas efficacesque semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsique sodalitati, sic in archisodalitatem per Nos erectae, nunc et in posterum plene suffragari, sicque rite iudicandum et definiendum esse, atque irritum esse et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetus ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI mensis februarii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

PRAEFECTURA APOSTOLICA BORNEAE HOLLANDICAE IN VICARIATUM APOSTOLICUM ERIGITUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris divinitus fungimur. Iamvero cum Apostolica Praefectura Borneae Hollandicae ab anno reparatae salutis MCMV, quo, seiuncto territorio Vicariatus Apostolici Bataviae, erecta fuit et Patribus Minoribus Capulatis Provinciae Hollandicae concredita, tantum in religionis catholicae propagatione, Deo auxiliante, obtinuerit incrementum, tamque uberes ad animarum salutem fructus susceperit, ut opportunum visum sit consilium eandem Praefecturam in Vicariatum Apostolicum erigere; Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis

Propagandae Fidei praepositis, haec quae infra scripta sunt decernenda idcirco existimavimus. Nimirum Motu-proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam Borneae Hollandicae in Vicariatum Apostolicum, pariter Borneae Hollandicae nuncupandum, erigimus. Decernentes praesentes Litteras firmas validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque, ad quos spectant, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis iudicandum esse ac definiendum, irritumque atque inane fieri si secus super his, a quoquam, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII martii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

SODALITATI NOSTRAE DOMINAE A BONA MORTE DIEBUS QUIBUSDAM PESTIS, ET CHRISTIFIDELIBUS OMNIBUS CERTAS QUASDAM PRECES AD SANCTAM MORTEM ASSEQUENDAM RECITANTIBUS INDULGENTIAE PLENARIAE AC PARTIALES CONCEDUNTUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter sodalicia, quae B. Mariae Virginis cultum simulque spirituales Christifidelium utilitates provehunt, Sodalitas titulo *Nostrae Dominae a bona morte,* a Presbyteris Sanctae Mariae (de Tinchebray) haud ita multo ante condita, honestissimum sane locum obtinet, si perpendas quo ea consilio moveatur et quam late per orbem, cum summa fructuum ubertate, sit ad hunc diem propagata. Qui enim in eam cooptantur, illud sibi ex instituto legibusque societatis proponunt, ut Virginem Perdolentem colant colendamque ab omnibus curent, et sic merita precum et dolorum eiusdem Virginis, ad Crucem Iesu stantis, Deo repraesentent iisque confidant, ut gratiam perseverantiae in christiana fide et moribus vel reditus ad bonam frugem, ac praesertim sanctae in Christi osculo mortis, a qua pendet aeterna beatitas, sibi aliisve impetrent. Quod autem Virgo Per-

dolens bonae mortis Patrona deligitur atque invocatur, id cum mirifice doctrinae catholicae pioque Ecclesiae sensui respondet, tum spe innititur recte feliciterque collocata. Enimvero tradunt communiter Ecclesiae Doctores, B. Mariam Virginem, quae a vita Iesu Christi publica veluti abesse visa est, si Ipsi mortem oppetenti et Cruci suffixo adfuit, non sine divino consilio adfuisse. Scilicet ita cum Filio patiente et monente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat, Ipsam cum Christo humanum genus redemisse. Quod si hac plane de causa, quas e Redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius Perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur, nemo non videt, sanctum hominum decessum ab Ea ipsa exspectandum esse, quandoquidem praecipuo hoc dono Redemptionis opus in unoquoque homine efficienter perpetuumque in modum completur. Liquet item, Virginem Perdolentem, utpote quae, a Iesu Christo universorum hominum Mater constituta, eos tamquam infinitae caritatis testamento sibi relictos acceperit officiumque tuendae spiritualis eorum vitae materna benignitate expleat, facere non posse quin carissimis ex adoptione filiis eo temporis momento studiosius opituletur, quo de eorum salute ac sanctitate agitur in sempiternum aevum confirmanda. Quare Ecclesia ipsa pluribus liturgicis precib us a B. Maria Virgine efflagitat, ut hominibus instante morte conflictantibus misericors adsit; constantissima vero apud christifideles opinio est, diuturno probata experimento, quotquot eadem Virgine utantur Patrona, eos haud esse in aeternum perituros. Neque igitur mirari licet si Sodalitati Nostrae Dominae a bona morte, quam memoravimus, iam quingenta fidelium millia, ex utroque sexu atque ex omni ordine civium, adscripti sunt, cum eadem tam opportuna temporibusque congruens videatur; dolendum enim est, nimis multos hodie ex Ecclesiae filiis, ut eos praetereamus qui fidem abiecerunt vel christiana prorsus neglegunt officia, ita negotiis ac fluxis inanibusque mundi deliciis implicari, ut ex saluberrima mortis cogitatione ne sollicitudinem quidem capiant aut ab ea mentem animumque de industria avertere studeant. Eiusmodi propterea Sodalitatem, quam iure dixeris *bonae mortis apostolatum* persequi, non modo complures S. R. E. Cardinales et catholici orbis Episcopi vehementer probarunt, sed etiam fel. rec. decessor Noster Pius X singulari complexus est benevolentia atque ubere auxit gratiarum copia; neque eam minoris, quam idem Pontifex habuerit, Nosmetipsi facimus, neque minus largiter providentissimae eiusdem operae suffragari parati animo sumus. Cuius quidem voluntatis Nostrae, paulo post quam Pon-

tificatum, miserentis Dei consilio, suscepimus, Litteris ad dilectum filium Moderatorem generalem Congregationis Sacerdotum a Sancta Maria scriptis, luculentum edidimus testimonium, atque alterum aeque perspicuum mox edituri sumus, bona certaque spe ducti, eosdem a Sancta Maria Presbyteros, quibus *bonae mortis apostolatus* commissus auspicato est, sic munere suo, tamquam peculiari ac proprio, perfuncturos esse ut, Episcopis, curionibus et *zelatoribus,* quos vocant, ad rem adiuvantibus, latius per universum terrarum orbem Sodalitatem provehant et *pretiosam in conspectu Domini mortem* fidelibus quam plurimis ab Augusta Patrona impetrent. Cum igitur dilectus filius Henricus Rondet, eiusdem Congregationis Procurator generalis, supplices Nobis adhibuerit preces, ut indulgentiis a proximo Decessore Nostro Sodalitati Nostrae Dominae a bona morte concessis nonnullas alias adiicere de Apostolica benignitate vellemus, piis eiusmodi votis, pro Nostra in Virginem Perdolentem pietate propensoque in opus tam frugiferum studio, obsecundandum censuimus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, audito dilecto Filio Nostro Cardinali Poenitentiario Maiore, omnibus ac singulis fidelibus eidem Sodalitati Nostrae Dominae a bona morte tam adscriptis quam in posterum adscribendis, qui, rite confessi ac sacra Synaxi refecti, diebus festis Nostrae Dominae ab agonizantibus, idest die xi mensis maii, Apparitionis S. Michaelis Archangeli, i. e. die VIII eiusdem mensis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, i. e. die xxix mensis septembris, a meridie diei praecedentis ad mediam usque noctem eorumdem dierum festorum, quamlibet ecclesiam vel quodvis publicum oratorium visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die postremum ex praescriptis opus expleverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem in Domino concedimus. Quodsi iidem sodales confiteri ac caelestibus recreari dapibus nequiverint, iis, loco plenariae, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, modo, ut supra, quodlibet templum vel publicum oratorium per eos dies visitent atque -ad Summi Pontificis mentem preces fundant, misericorditer in Domino largimur. Praeterea, eadem auctoritate Nostra, omnibus ac singulis fidelibus, quamquam Sodalitati non adscriptis, in unaquaque e septem continuis feriis sextis utrumque diem festum Virginis Perdolentis proxime antecedentibus, si confessi ac sacra Synaxi refecti, septies *Pater, Ave, Gloria* recitaverint, plenariam; quoties novendialem piam exercitationem expleverint, in qua, ad exposcendam sancti decessus

gratiam, recitatur cotidie precula *Recordare, Virgo,* ad exemplar Litteris hisce Nostris subiectum et in tabulario Cancellariae Brevium Apostolicorum asservandum, modo admissa rite expiaverint iet caelesti se pabulo refecerint, item plenariam; hac ipsa postrema condicione, semel in mense, si cotidie Rhythmum recitaverint *Ave, Mater dolorosa,* hisce Litteris Nostris pariter adiectum et in tabulario, quod diximus, custodiendum, item, quo die ultimum ex iniunctis opus expleverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem concedimus ac largimur. Ad haec, omnibus ac singulis fidelibus, quamvis e Sodalitate non sint, in unaquaque e sextis feriis, de quibus superius, si septies *Pater, Ave, Gloria* recitaverint, septem annos totidemque quadragenas; pro singulis memoratae novendialis exercitationis diebus, trecentos dies; quoties Rhythmum praedictum recitent, item trecentos dies de numero poenalium, in forma Ecclesiae solita, expungimus. Porro volumus, iisdem omnibus sodalibus et christifidelibus liceat plenariis ac partialibus indulgentiis, quas largiti sumus, vita functorum labes poenasque expiare. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et illis ad quos spectant aut spectare poterunt in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis definiri ac iudicari debere, atque irritum atque inane fore si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter aut ignoranter contigerit attentari. Praesentibus perpetuo valituris. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxn mensis martii, Septem Dolorum B. M. V. festo, anno MCMXVIII, Pontificatus Nostri quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

I. *Preces novendiales ad sanctam mortem a Virgine Perdolente effiagitandam.*

Recordare, Virgo Mater Dei, dum steteris in conspectu Domini, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis.

1. Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

% Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem
Et plagas reeolere.

3. Flammis ne urar succensus,
Per te, Virgo, sim defensus
In die iudicii.

4. Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad pâlmam victoriae.

5. Quando corpus morietur,
Fac ut animae donetur
Paradisi gloria. Amen.

f. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.
RJ. Quae iuxta Crucem Iesu constitisti.

Oremus.

Interveniat pro nobis, quaesumus, Domine Iesu Christe, nunc et in hora mortis nostrae, apud tuam clementiam, Beata Virgo Maria Mater tua, cuius sacratissimam animam in hora tuae Passionis doloris gladius pertransivit. Per te, Iesu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum,

Rj. Amen.

3 Ave Maria.
Nostra Domina a bona morte, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, ora pro nobis.

II. - *Rhythmus in honorem Nostrae Dominae a bona morte.*

1. Ave, Mater dolorosa,
Martyrumque prima rosa,
Audi vocem supplicis:
Fac, ut mortis in agone,
Tua fidens protectione,
Iusti pace gaudeam.

% Per dolorem, o Maria,
Tibi Senis prophetia,
Velut ense, conditum:
Fac, ut mortis, *etc.*

3. Per dolorem, quem tulisti,
In iEgyptum quum fugisti,
Ut salvares Puerum:
Fac, ut mortis, *etc.*

4. Per dolorem, quando moerens,
Inter notos Iesum quaerens,
Revocabas perditum:
Fac, ut mortis, *etc.*

5. Per dolorem, qui te pressit,
Dulcis Natus quum processit,
Fractus ligni pondere:
Fac, ut mortis in agone,
Tua fidens protectione,
Iusti pace gaudeam.

6. Per dolorem cordi infixum,
Dum spectabas Crucifixum,
Sacra simul victima:
B'ac, ut mortis, *etc.*

7. Per dolorem, quando Christi
Corpus ulnis excepisti
E Cruce depositum:
Fac, ut mortis, *etc.*

8. Per dolorem, dum condebas,
Pia Mater, et linquehas
In sepulcro Filium:
Fac, ut mortis, *etc.*

9. Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriae. Amen.

IV

TEMPLUM SACRATISSIMI CORDIS IESU IN URBE ROTHOMAGENSI TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR*

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Pietatis honorisque cultus, quo totius orbis fideles plurimis iam ab annis Sanctissimum Cor Iesu enixe prosequuntur, spem communem alit, hominum societatem se ad meliorem frugem feliciter recepturam. Praeclara haec enim religio non modo in domos, officinas et agros, ad divinam tuitionem impetrandam, longe lateque prolata fuit, sed integras quoque nationes est complexa, quae Sacro[1] se Iesu Cordi devovisse merito gloriantur. Templa igitur in honorem huius amoris Centri, quo Christus Redemptor noster homines dilexit, et ea praesertim quae ex collaticia fidelium stipe, in multorum fidei et caritatis argumentum, sunt erecta, ad maiorem dignitatis gradum evehere ac peculiaribus privilegiis cohonestare minime dubitamus. Laeto igitur accepimus animo sacram huiusmodi aedem in perilJustri urbe Rothomagensi, civium oblationibus anno MDCCCXC et insequenti exstructam, eximiisque artis operibus renidentem, Sacratissimo Cordi Iesu dicatam et consecratam fuisse. Ad eam praeterea, quae ob eius celebritatem et principi Sanctuario Parisiensi aggregationem, vulgo *le Montmartre de Normandie* optimo iure est appellata, non modo, sicut relatum est Nobis, eiusdem civitatis et archidioeceseos incolae, sed e finitimis quoque Ecclesiis, imprimis Ebroicensi, ingenti numero fideles peregrinantium more frequentissime conveniunt, caelestem opem fidenter imploraturi. Huc accedit, quod magni momenti Sodalitas, idest Confraternitas a SSmo Corde Iesu nuncupata ac Primariae eiusdem nominis Archisodalitati Parisiensi et Piae Unioni Apostolatus Orationis aggregata, canonice sit ibidem instituta, quae, privilegiis et spiritualibus gratiis aucta, non minus sodalium numero quam operum utilitate floret. Itaque conspicuis hisce templi laudibus permoti, preces, quas hodiernus eius parochus, earundem sodalitatum moderator, nuper Nobis adhibuit, et Cardinalis Archiepiscopus Rothomagensis luculenter commendavit, benigne excepimus, et de consilio etiam VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis, tum clerum populumque cunctae Archidioeceseos, tum potissimum cives Rothomagenses votorum compotes propensa facimus voluntate. Quare his Litteris, apostolica auctoritate

Nostra, templum supradictum, quod in honorem Sacratissimi Cordis Iesu in civitate Rothomagensi exsistit, Basilicae minoris titulo perpetuum in modum augemus, illique omnia et singula conferimus iura, privilegia, praerogativas, honores, indulta quae Minoribus Almae huius Urbis Nostrae Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis iudicandum esse ac definiendum, atque irritum et inane fieri si secus super his, a quoquam, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

V

SORORIBUS BURDIGALENSIBUS A SACRA FAMILIA CONCEDITUR INDULGENTIA PLENARIA PRO CERTA QUADAM PIA EXERCITATIONE IN HONOREM SACRAE FAMILIAE.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Benigne annuentes oblatis Nobis precibus a dilecta in Christo filia Moderatrice Generali Sororum a Sacra Familia nuncupatarum, quarum princeps domus Burdigalae exstat, audito dilecto Filio Nostro Cardinali Poenitentiario Maiore, de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et in posterum exsistentibus enunciatae Congregationis a Sacra Familia consororibus, quae piam exercitationem in honorem Sacrae Familiae, ab ecclesiastica auctoritate adprobatam, per integrum mensem rite peregerint et, vel intra dictum mensem vel intra subsequens octiduum, propriam respectivae domus ecclesiam publicam, si exstet, secus sacellum internum ubi Sacro adstare solent, admissorum sacramentali confessione expiatae et caelestibus epulis refectae, visitent, nec non pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo die iniuncta pietatis opera expie-

verini, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et largimur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLA

AD R. P. PATRITIUM MURR1Y, CONGREGATIONIS SSMI REDEMPTORIS GENERALEM PRAEPOSITUM, DE SODALITATE A S. FAMILIA IN AEDE LIMERICIENSI S. ALFONSI ABHINC ANNIS L INSTITUTA.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem, — Admodum iucunda Nobis accidisse scito, quae nuper dilectus filius Patritius Leo, ex ista, cui praesides, Congregatione sacerdos, idemque Aedis Alfonsianae in urbe Limericiensi rector, nuntiavit: Sodalitatem ibi esse a Sacra Familia nuncupatam, sodalium numero et pietate, maxime in Sanctissimae Eucharistiae cultu, florentem, cuius quinquagesimus natalis adventaret. Licet hac in re egregiam tuorum de divina gloria animarumque salute curam agnoscere: et eam in Hibernis, quorum nobilissima laus est constantissime catholicam fidem retinuisse, non miramur, tamquam in optimo uberrimoque solo, tam laetos edidisse fructus. Nos quidem consociationem id genus habemus carissimam, cupimusque vehementer ut eius similes complures non modo per Hiberniam sed ubique exsistant, cum ad christianos in familia spiritus alendos nihil magis accommodatum esse videatur. Itaque caritatis Nostrae erga Limericiensem sodalitatem testandae causa, cum sacra sollemnia in dies VIII indicta sint, concionatoribus damus ut quotidie vespertinam contionem Papali Benedictione impertienda absolvant. Quoniam autem ex iis, qui nomen consociationi ab ipso eius exordio dederunt, non pauci, Deo

favente, supersunt adhuc, Nos dilectis his veteranis sodalibus, peculiaris amoris ergo, indulgentiam VII annorum totidemque quadragenarum toties tribuimus, quoties, contrito saltem animo, formulam « Iesus, Maria, Ioseph, adiuvate me » (Jesus, Mary and Joseph, help me) recitaverint. Atque caelestium auspicem munerum paternaeque benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, bene merito ipsi rectori Aedis Alfonsianae eiusque adiutoribus, sodalibus universis a S. Familia et eorum propinquis, amantissime in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxi mensis aprilis MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

CIRCA QUASDAM ORDINARIORUM FACULTATES

Proxima sacra Pentecostes die, novo ecclesiasticarum legum Codice vim obtinente, omnes locorum Ordinarii facultatibus quam pluribus ipso iure instruentur, quas antea ab Apostolica Sede postulare solebant et communibus indultis assequebantur. Sufficit enim consulere canonem 349 collatum cum 239 circa plura privilegia personalia, quibus Episcopi augentur, canonem 386 circa electionem examinatorum et iudicum synodalium, 463 et 914 circa benedictionem papalem ***in*** *articulo mortis* et in maioribus anni solemnitatibus, 534 et 1532 circa alienationes, 806 circa sacri iterationem, 822 circa Missae celebrationem extra ecclesiam et oratorium, 1006 circa ordinationes extra tempora, 1043 et 1045 circa dispensationes ab impedimentis matrimonialibus, 1245 circa dispensationes ab abstinentia et ieiunio, 1304 circa benedictionem sacrorum utensilium, quin de aliis multis hic mentio fiat, ut illico appareat Episcopos, vi Codicis, tanta munitos esse potestate ut, quoties Ecclesiae utilitas et animarum salus id requirat, communis legis rigorem temperare et iustas dispensationes largiri aeque opportuneque valeant.

Quapropter indulta quae hucusque, postulantibus Ordinariis, ad hunc finem concedebantur, quaeque vel in Brevi dicto 25 annorum, vel in formulis typis impressis ad decennium, ad quinquennium aut etiam ad triennium valituris continentur, supervacanea evadere videntur ; quin imo confusionem haud levem ingerere, eo quod a novis Canonici Iuris ordinationibus in pluribus discrepant.

Hisce itaque de causis, necnon ad discrimina in canonica disciplina tollenda maioremque unitatem in Ecclesia inducendam, Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV, de consulto peculiaris coetus Emorum Patrum Car-

dinalium, hoc S. C. Consistorialis decreto ea quae sequuntur statuit et sanxit:

1) exceptis locis S. Congregationi de Propaganda Fide subiectis, pro quibus suo tempore quae opportuna erunt decernentur, alibi, in universis scilicet dioecesibus iuri communi obnoxiis, facultates omnes pro foro externo Ordinariis concessae, quaeque in Formulis et Brevi superius recensitis continentur, a die 18 maii huius anni cessabunt, neque amplius in usu esse poterunt;

2) in locis tamen remotioribus aliisque ad quae, sive praesentis belli causa, sive alia qualibet ratione, praesentis decreti notitia utili tempore non pervenerit, dispensationes et ordinationes vi veterum facultatum ab Ordinariis forte concessas Ssmus Dominus ratas habet, firmo tamen ut ipsi ab acceptae notitiae die, si res adhuc sit integra, huic decreto se conforment;

3) facultates pro foro interno a S. Poenitentiaria datae, aliaeque ratione praesentis belli concessae, aut peculiaribus de causis ab Ordinariis obtentae, sub huius decreti dispositione non comprehenduntur, et ideo abolitae non sunt;

4) circa dispensationes matrimoniales, quamvis vi canonum 1043-1045 Ordinarii opportunas dispensationes largiri queant « *urgente mortis « periculo* » et « *quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sint « parata ad nuptias, nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo « differri possit* », nihilominus Ssmus Dominus, attentis temporum et locorum adiunctis, haec ulterius indulgenda decrevit:

a) ut locorum Ordinarii in America, in Insulis Philippinis, in Indiis Orientalibus, in Africa extra Mediterranei maris oras, et in Russia, per quinquennium a die 18 maii huius anni, dispensare valeant ab impedimentis minoris gradus quae recensentur in can. 1042, servatis regulis in eo Codicis capite statutis: itemque ut matrimonia nulliter contracta, ob aliquod eiusdem minoris gradus impedimentum, in radice sanare queant, iuxta regulas in capite XI, tit. VII, lib. III Codicis *de convalidatione matrimonii* positas, monita parte impedimenti conscia de sanationis effectu;

o) ut iidem locorum Ordinarii dispensare pariter per quinquennium valeant ab impedimentis maioris gradus, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici (exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio), nec non ab impedimento impediente mixtae religionis, si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit et urgens necessitas dispensandi supervenerit, pendente recursu. Concedendo tamen

hisce in. casibus dispensationes, Ordinarius prae oculis semper habeat regulas statutas in Codice, lib. IN, tit. VII, cap. 2, 3 et 4, circa impedimenta in genere et in specie, itemque clausulas apponi solitas in matrimoniis cum hebraeis et mahumetanis; nec dispensationem concedat nisi caverit de plena earum omnium observantia iuxta sacrorum canonum praescriptiones, et iuribus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum circa taxarum solutionem consulat;

c) ut Ordinarii Galliae, trium regnorum Magnae Britanniae, Germaniae, Austriae et Poloniae, durante bello, quoties aditus ad S. Sedem difficilis aut impossibilis saltem per mensem praevideatur, iisdem facultatibus uti possint, quae supra sub litteris a et 6 recensentur.

Praesentibus valituris de mandato Ssmi contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. C. Consistorialis, die 25 aprilis 1918.

$ß C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

MARIANOPOLITANAE ET S. HYACINTHI

DISMEMBRATIONIS ET AGGREGATIONIS

DECRETUM

Archiepiscopus Marianopolitanus et Episcopus S. Hyacinthi communibus litteris postulaverunt,ut fideles locorum ruralium inclusive a numero quadrigentesimo trigesimo quarto usque ad numerum quingentesimum sexagesimum tertium in forma et censu paroeciae S. Matthaei vulgo *de Beloeil,* et a numero ducentésimo trigesimo primo usque ad numerum tercentesimum sexagesimum octavum paroeciae S. Marci, a dictis paroeciis et dioecesi S. Hyacinthi seiungerentur, dioecesique Marianopolitanae aggregarentur ad novam paroeciam efformandam cum finitimis fidelibus.

Requisito hac super re Delegati Apostolici voto, eoque favorabili obtento, memorata petitio diligenti examini subiecta fuit penes S. C. Consistorialem. Et quum visum esset in animarum bonum cessurum esse dismembrare dictam partem territorii dioecesis S. Hyacinthi, eamque

adiicere dioecesi Marian opolitanae, ut nova paroecia in eadem territorii parte formetur, SSmus D. N. Benedictus PP. XV precibus annuendum censuit.

Itaque praesenti Consistoriali decreto Sanctitas Sua memoratam territorii partem distrahit a dioecesi S. Hyacinthi et Marianopolitanae aggregat.

Praemissorum vero exsecutionem committit R. D. Secretario Delegationis Apostolicae, auditis utriusque dioecesis Capitulis cathedralibus, et constito quod ex parte populi nihil grave ex adverso timendum sit; eidemque Secretario tribuit necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet ecclesiastica dignitate ornatum, onere tamen ei imposito ad hanc S. C. Consistorialem quamprimum transmittendi exemplar authenticum peractae exsecutionis.

Contrariis non obstantibus quibusvis, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex Secretaria S. C. Consistorialis, die 8 aprilis 1918.

83 C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

Lu © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

14 martii 1918. — Cathedrali ecclesiae Conversanensi praefecit R. P. D. Dominicum Lancellotti, hactenus episcopum Troianum.

18 martii. — Titulari episcopali ecclesiae Capitoliensi, R. P. Pacificum ab Uden, in saeculo Ioannem Bos, ex Ordine Minorum Capulatorum, vicarium apostolicum Borneae Hollandicae.

4 aprilis. — Titulari episcopali ecclesiae Archelaidensi, R. D. Iosephum Burgain, e Parisiensi seminario pro exteris missionibus, vicarium apostolicum Kien-tchang in imperio Sinarum.

— Cathedrali ecclesiae Caratingensi, R. D. Emmanuelem Nogueira Duarte, archidioeceseos Mariannensis presbyterum.

6 aprilis. — Abbatiae *Nullius* Sancti Pauli extra Urbem, R. P. Ildephonsum Schuster, O. S. B., e Congregatione Cassinensi.

SACRI CONGREGATIO CONCILII

QUEBECEN.

ONERUM CHORALIUM, SEU PRAEBENDARUM

Die 14 iulii 1917

SPECIES PACTI. - Apostolicis litteris, quarum initium *In arduum Pontificatus fastigium,* die prima octobris anno **1674** datis, in septentrionali America erecta fuit dioecesis Quebecensis, simulque decreta in nova cathedrali ecclesia Quebeci exstante et B. M. V. ac **S.** Ludovico dicata, Capituli institutio, quae decem post annos ab ipso primo Quebecensi Episcopo feliciter perfecta est. Huiusmodi autem cathedrale Capitulum, nondum a sua erectione transacto saeculo, propter politicas vicissitudines exstinctum evaserat, neque ad proxima usque tempora, variis ex causis, restitui valuerat. Quum itaque Emus Cardinalis hodiernus Quebecensis Archiepiscopus peropportunum fore censere! adlectos viros sibi assumere, qui in amplissimae suae archidioecesis regimine suppetias ferrent, itemque in Metropolitana Ecclesia, prout rerum adiuncta sinerent, laudes Deo persolverent ac divina mysteria peragerent, a rec» mem. **S.** P. Pio X impetravit ut apostolica auctoritate antiquum Capitulum, titulo Metropolitani decoratum, redintegraretur, vel, quatenus opus esset, ex novo erigeretur cum omnibus iuribus, privilegiis et indultis quibus cetera Metropolitana Capitula, praesertim ditionis Canadensis, fruuntur et gaudent; idque obtinuit per apostolicas litteras datas die **10** iunii **1914,** quibus idem Pontifex - postquam statuerat Quebecense Capitulum tribus constare debere dignitatibus, Decano videlicet, uti Capituli eiusdem praeside, Archidiacono et Archipresbytero, cui tamquam parocho demandata esset universa cura animarum ipsius metropolitanae paroeciae, itemque novem canonicis, quorum bini officium et nomen Poenitentiarii et Theologi assumerent - subdebat: « Quoniam « vero sacerdotes in Canonicos eligendi aliis ecclesiasticis muniis distenti « sunt, et deficiunt in praesens canonicales praebendae, Nos, *quousque « erecti Canonicatus congrua praebenda aucti non fuerint, quod quam « citius futurum confidimus ac peroptamus,* eosdem Capitulares a residentia in urbe et ab oneribus choralibus *interim* eximimus et dispen**se** samus, facta tamen facultate Archiepiscopo pro tempore Quebecensis

« iuxta quae in Instructione S. G. de Propaganda Fide ad Ordinarios « provinciae ecclesiasticae Quebecensis die 28 septembris anni 1852 data « et in Concilio Plenario Quebecensi sunt statuta, memoratos canonicos « convocandi *semel saltem in mense,* praesertim festis solemnioribus, ad « cuori servitium, vel etiam quoties opportunum iudicaverit ad dioe- « cesis et ipsius Capituli negotia agenda, circa quae ex sacrorum Cano- « num praescripto, Capituli sententia est exquirenda ».

Porro, post constitutum feliciter Capitulum, quod die 9 iunii 1915 solemniter possessionem cepit in ecclesia Metropolitana, Emus Cardinalis Archiepiscopus in id studium omne operamque contulit, ut, pontificiis peroptatis morem gerens, congrua praebenda Capitulares quam citius augeret. Quapropter, quum iam a die 27 februarii 1889 rescripto S. C. de Propaganda Fide ex audientia Ssmi concessum fuerit « indultum vi « cuius Episcopi totius provinciae Quebecensis exigere valerent *deci- « mam quintam* partem redituum a quocumque parocho super ecclesiae « fabriceria solvendam, donec aliter ab Apostolica Sede provideatur », Archiepiscopus hoc tributum, in mitiore summa quinque centesimarum partium (5 °/₀), et quidem super reditibus tantummodo ex locatione scamnorum in ecclesiis obvenientibus, singulis paroeciis et quasi-paroeciis imposuit per decretum diei 15 aprilis 1915, ac insuper alio decreto diei 22 iunii 1916 cuidam annuae taxationi subiecit etiam religiosa suae dioecesis sodalitia; statuens ut ex praefatis exactionibus quotannis singulis canonicatibus rependeretur summa dollariorum 300 (quorum 120 pro distributionibus quotidianis cederent) ac quidquid supèresset, post persolutas ceteras cultus et administrationis expensas, in sortem capitalem constituendam augendamque converteretur, donec videlicet haec sola sors ad capitularia onera annua ferenda par evasisset. Ad hunc effectum curavit Emus Archiepiscopus, ut, in forma iure valida, « Archiepiscopalis Corporatio romano-catholica Quebecensis » supradicta tributa et taxas exigens, sese obligaret ad eorumdem proventus praefata ratione, in Capituli utilitatem erogandos, immo ad supplendos etiam, si, quavis de causa, tributorum exactio insufficiens evasisset.

• Quum itaque hac ratione Emus Archiepiscopus in tuto posuisset perpetuum ius cuilibet e capitularibus competens exigendi titulo fructuum sui beneficii annuum reditum dollariorum tercentorum, quumque, iudicio eiusdem Emi Archiepiscopi, annuus hic reditus, simul cum proventibus singulis canonicis ratione officiorum quae in dioecesi gerunt obvenientibus, congruus videretur ad munia et onera canonicalia honeste ferenda, statuit eodem decreto diei 25 maii 1916 « capitulares singulos obnoxios « esse officiis canonicalibus de iure praescriptis, ac signanter obliga-

« tioni choralis officii itemque conventualis Missae quotidie in ecclesia « cathedrali celebrandae ».

Verumtamen, quum nonnulli e capitularibus, praefatis non obstantibus, nondum impletam censerent conditionem apostolicis litteris, indulto exemptionis choralis appositam, de *congrua* videlicet *praebenda* singulis canonicatibus constituenda, adversus praefatum decretum archiepiscopale ad hanc S. Congregationem recursum interposuerunt, huiusce dubii, inter alia, solutionem expostulantes, nimirum:

«An proventus Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Quebecensis « assignati constituant congruam praebendam, adeo ut cessata censenda «sit exemptio seu dispensatio ab oneribus choralibus, de qua, in Apo- « stolica Bulla erectionis Capituli in casu ».

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - *Canonici recurrentes* propositae quaestioni negativum responsum dandum esse hisce rationum momentis contendunt. Primo quidem: Archiepiscopus valide non poterat, absque consilio Capituli, mensam archiepiscopalem tali contributione onerare in favorem Gapituli ipsius; agebatur enim de gravissima alienatione bonorum ad mensam spectantium peragenda. Item, nec poterat valide, irrequisito consilio Capituli, statuere seu definire quaenam annui reditus quantitas ad congruam praebendam constituendam sufficeret: siquidem agebatur non modo de graviore quodam negotio, sed de negotio quod summopere Canonicorum intererat, immo eosdem ut singulos, praeterquam ut collegium, tangebat. Igitur iam a limine apparet decreta archiepiscopalia, absque praevio consilio Capituli edita, salva reverentia tanto Antistiti debita, iuridico robore et firmitate penitus destituta denuntianda esse.

Sed praeterea: ad praebendam qualemcumque constituendam necessaria omnino est *perpetuitas* iuris percipiendi fructus quibus illa coalescit: ad quem effectum canonistae uno ore docent bona praebendae vel in immobilibus, vel saltem in certis et perpetuis reditibus constituenda esse (cfr. Leuren., *Forum benef.,* q. VII), quod ipsum perspicua sententia sancivit S. C. C. in Fanen., *Erectionis canonicatuum,* :22 martii 1760: « Dotes beneficiorum debent esse certae ac perpetuae, nullique «periculo obnoxiae». - E contrario reditus constituti ab Archiepiscopo in casu: 1) pendent a *precaria* concessione S. Sedis: quippe indultum, vi cuius exigere licet decimam quintam partem redituum, a quocumque parocho super ecclesiae fabriceria solvendam, munitur seu potius infirmatur clausula « donec aliter a Sancta Sede provideatur » : ergo minime est perpetuum; 2) pendent *ab arbitrio* concedentis, vel saltem succès-

sorum: quia reditus, in casu, pleno iure pertinent et spectant ad mensam archiepiscopalem, quae idcirco poterit, nemine impediente aut prohibente, ab annua in favorem Capituli erogatione cessare quandocumque sibi videbitur: in facto autem huius elargitionis cessatio praevidetur quo nempe tempore superfluum horum redituum in sortem capitalem collatum, satis esse videbitur ad onera Capituli annua ferendum; 3) saltem ex parte, qua nempe reditus proveniunt ex annua taxa imposita omnibus et singulis religiosis dioecesis sodalitiis, hi proventus precarii dicendi sunt, quatenus pendent a *confirmatione Superiorum;* agitur enim de taxa a iure exorbitante, immo interposita contra cap. 3, X, *de censibus,* etc., III, 39, praesertim ubi gravat sodalitia religiosa a iurisdictione Ordinarii exempta; igitur sustineri nequit, donec *speciali* S. Sedis indulto corroboretur. Iam vero quis dicet tales proventus ex aequo respondere iuri *perpetuo* percipiendi fructus ecclesiasticos, quod principaliter in praebendae constitutione spectatur, potissimum si conferantur cum proventibus antiquo Capitulo Quebecensi spectantibus, ex assignatione olim eidem facta amplissimi cuiusdam *praedii* necnon redituum trium *abbatiarum* provenientibus?

Tertio: in Litteris Apostolicis de quibus agitur, non de qualicumque praebenda sermo est, sed de *congrua,* quae videlicet ad decentem et honestam, pro sui status conditione, beneficiati substentationem sola sufficiat. Ad rem - ait Santi; *Praelection.,* 1. III, tit. 35 - « prae oculis « haberi debet dignitas personae, eius gradus seu civilis origo, valetudo, « scientia et aliae qualitates personales, quae maiores exigentias secum- « ferunt; necnon respicienda sunt temporis et loci ratio, moderata hospi- **ti** talitas, non solum pauperum, sed aliam consanguineorum et amicorum, « honesta recreatio, probabile periculum venturi morbi », etc. Cfr. quoque Gennari, *Quist. moral.,* n. 87. Hisce attentis, in Quebecensi civitate; vix annuus reditus dollariorum mille congrua praebenda dicetur, a qua summa longe adhuc distat quae decreto archiepiscopali constituta est. Nec regerere valet, quod singuli canonici ex suis officiis civilibus aut ecclesiasticis, quidquid ad praefatam[5] **Summam** dollariorum mille de praebenda deest, supplere forsitan possint; nam in computatione praebendae venire profecto nequeunt nisi bona *ecclesiastica,* quae nimirum ex dote *beneficii* in fructus percipiuntur, non autem patrimonialia aut industrialia. Secus enim, frustra in Litteris Apostolicis, tamquam causa exemptionis a choralibus oneribus illud recensitum fuisset, quod « sacerdotes in Canonicos eligendi aliis ecclesiasticis muniis « distentí sunt »: quum igitur, attenta tenuitate praetensae praebendae, necesse sit hanc causam perseverare, nondum advenisse censenda est

conditio sub qua facta concessio seu exempta cessare debeat. Hucusque Canonici recurrentes.

Ex officio, quum Emus Archiepiscopus rem totam simpliciter commiserit consilio et sententiae Apostolicae Sedis, breves nonnullae animadversiones pro affirmativa dubio responsione sunt exhibendae. Et primo praetereunda videntur quae ex adverso praemittuntur de necessitate Capituli consilii exquirendi, sive in praetensa alienatione bonorum mensae decernenda, sive in quantitate congruae praebendae definienda : absonum quippe apparet nondum constituti Collegii suffragium ad validitatem expostulandum esse, in his quae de ipsius Collegii ortu et formali constitutione sunt deliberanda.

Quod autem perpetuitatem seu potius, in casu, *stabilitatem* bonorum praebendae attinet, manifestissimo iure indicitur beneficii dotem stabilem esse debere, ex qua reditus perpetuo percipiantur; non tamen determinatur aliquis modus aut gradus aut forma huius stabilitatis. Nequaquam profecto necessarium est, pro dote beneficii bona immobilia assignari, prout assignata fuisse docemur antiquo Capitulo episcopali Quebecensi: sufficit, ut habet Leurenius, «res affecta onere prae« standi tales reditus reali, perpetuo, non exstinguibili cum persona, sed « cum re ipsa ad quemcumque possessorem transeunte »; hinc Canonistae passim docent bona beneficialia constitui posse ex decimis, quin etiam pensionibus a gubernio promissis (cfr. Bouix, *De Capitulis,* p. 156) ac longe communior sententia [quam sancivit Codex Iuris Canonici, nuper feliciter promulgatus, can. 1410] est iura quoque stolae, quamvis incerta, in dotem beneficii venire (cfr. Reiffenstuel, in 1. III, tit. XXV, n. 67). At vero in casu agitur de persona morali, non minus perpetua ac stabili quam sit ipsum Capitulum, id est de Mensa Archiepiscopali Quebecensi, quae obligationem in se suscipit, in forma iure valida, praestandi quotannis ex determinatis proventibus, sive, *ipsis deficientibus, ex quibuscumque aliis suis bonis,* certos omnino reditus: nihil igitur desiderandum superesse videtur* ad requisitam stabilitatem.-

Frustra autem Capitulares ad proventuum assignatorum precariam naturam provocant: in primis, quia obligatio, ut vidimus, non respicit solos hosce proventus, sed, his deficientibus, quosvis alios ad mensam spectantes; verum, hisce sepositis, 1) *in se,* non minus perpetuus certusque est in casu proventus ex taxatione super reditibus fabriceriae, quam proventus ex decimis, aut ex iuribus stolae, aut ex pensionibus a Gubernio laicali promissis, quae omnia iure communi tamquam stabilia bona accipiuntur; 2) neque *ex adiunctis* stabilitas haec labefactatur: etenim *a)* quod in indultum S. C. de Prop. Fide legatur clausula

« donec aliter ab Apostolica Sede provideatur », in primis id respicere videtur, non substantiam factae concessionis, quae de iure communi Episcopis competit (cfr. *Cod. Iur. Can.*, can. **1504** ss.), sed *quantitatem* taxae exigendae; et praeterea, non est supponendum quod Apostolica Sedes *aliter providendo* legitima Episcopi optata in casu sit neglectura. *b)* Item, si erogatio proventus cessatura praevidetur, quando ex superfluis congrua sors capitalis efformata erit, id non officit, sed prodest stabilitati reditus, quia sortis ipsius capitalis proprietas penes Capitulum erit. c) Frustra demum oggeritur, tributum impositum religiosis sodalitiis a iure exorbitans esse, et ideo Apostolicae Sedis improbationi obnoxium; quia Capitulares non docent de non obtenta ad rem facultate, dum *praesumptio stat pro Superiore;* immo neque sic docendi facultatem habent, quum ius reclamandi, si daretur, competeret profecto religiosis sodalitiis gravatis, non autem Capitulo quod exinde favorem commodumque reportât.

Circa congruam vero ad honestam substentationem Capitularium praebendae quantitatem, res tota in existimatione est; nec minus profecto facienda est Archiepiscopi, quam Capituli existimatio. Excludi autem non debet, uti Capitulares praetendunt, ab aequa hac computatione facienda, quidquid Canonici singuli ex aliis muniis civilibus aut ecclesiasticis percipiunt, nisi in quantum, ob choralium perfunctionem onerum, horum munium continuatio impediretur. Unde etiam regula seu norma iudicii ad praesentem controversiam terminandam facile deduci videtur: quum nempe praebenda ab Archiepiscopo constituta *congrua* non appareat ad *universum integrumque* servitium chorale obeundum, (quod nimirum integras beneficiati vires facile exhauriret, et ideo exigeret ut de praebenda sola beneficiatus vivere posset), ipsum servitium chorale per opportunam dispensationem ad proportionem ipsius constitutae praebendae minuendum, seu reducendum videtur. Sed in hoc sensu propositae a Canonicis quaestioni affirmativum responsum dandum apparet, quatenus nempe, si nondum cessavit conditio his verbis enunciata: « Quoniam vero sacerdotes in Canonicos eligendi, aliis ecclesiasticis muniis distenti sunt», cessasse dicenda est quae statim subditur, « et deficiunt in praesens praebendae canonicales », ex quo, munificentia Emi Archiepiscopi erecti Canonicatus praebenda, saltem *aliqua ratione* congrua iam aucti fuere.

RESOLUTIO. - Proposito itaque suprascripto dubio, Emi ac Rmi S. C. Concilii Patres, in plenariis comitiis in Palatio Apostolico Vaticano habitis, die **14** iulii **1917,** respondendum censuerunt:

« *Affirmative;* facta Emo Card. Archiepiscopo facultate reducendi «servitium chorale tantum ad dies dominicos et festos de praecepto, « vel alios solemnes, ab Eodem determinandos, praesentibus perduran- « tibus circumstantiis ».

Quam Emorum Patrum resolutionem Ssmus Dnus Noster Benedictus Div. Prov. Papa XV in Audientia diei 16 eiusdem mensis et anni, referente infrascripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. **MOFJ,** *Secretarius.*

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

13 martii 1918. — *Vicarius Apostolicus vicariatus Kien-tchang in Sinis,* R. P. Iosephus Bourgain, e Seminario Parisiensi pro exteris missionibus.

14 martii. — *Vicarius Apostolicus Borneae Hollandicae,* R. P. Pacificus ab Uden, in saeculo Ioannes Bos, ex Ordine Minorum Capulatorum.

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

I

CONSTITUTIONES

VEN. COLLEGII ANGLICI DE URBE

I. Collegii Anglici tle Urbe hic finis est, ut Alumni Anglici, qui eo conveniunt et in spem Ecclesiae adolescant, ad virtutes Sacri Ordinis proprias et ad decus omne doctrinae rite excolantur.

II. Collegium S. Congregationi Seminariis ac Studiorum Universitatibus praepositae immediate subest.

III. Collegio adsit Cardinalis Patronus.

IV. Cardinalis Patronus, ex auctoritate Sedis Apostolicae, ea iura et munia in Collegium exercet, quae Episcoporum Angliae sunt, quaeque ipsi per se obire nequeunt, servatis tamen regulis et praescriptis, quae in his Constitutionibus decernuntur.

V. Proinde Emus Patronus - cunctis, qui in Collegio degunt, sive praepositi sint sive subditi, praeerit, - quae ad alumnorum cooptationem, correctionem et dimissionem spectant, decernet, - quibus reditus legati *(borse di studio)* sint adsignandi, statuet, - iusiurandum alumnorum, qui illud iuxta latas normas emittere debent, recipiet, - statuta et praescriptiones ut fideliter observentur, curabit, - omnia denique et singula constituet, quae ad Instituti regimen, profectum et administrationem necessaria videbuntur et opportuna.

VI. Anglorum Antistites cum Emo Patrono consilia communicabunt de alumnis suis in Collegium cooptandis.

VII. Litteras testimoniales ad Ordines dabit Emus Patronus, dimissoriales vero Episcopus proprius.

VIII. Collegio duo sint coetus Deputatorum, - alter pro disciplina, alter pro temporalium bonorum administratione. Utrumque Deputatorum coetum constituent duo Sacerdotes, a S. Congregatione de Seminariis et de Universitatibus ad sexennium nominati. - Emus Patronus consilio Deputatorum maioribus in negotiis utetur.

IX. Rector a Summo Pontifice eligitur, suoque munere fungitur ad nutum S. Sedis. Collegii moderationem ipse gerit; quidquid Instituti

utilitas postulet, ipse providet; res autem maioris momenti ne decernat, inconsulto Emo Patrono. - Rectori Collegii in propriis muneribus implendis obtemperare omnes debent.

X. Pro omnibus, qui in Collegio sunt, Parochi officium, ad tramitem iuris, obeat Rector eiusve delegatus.

XI. Rector quotannis de universo Collegii statu, de pietate scilicet, disciplina, studiis et re familiari referat ad S. Congregationem de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, ad Emum Patronum, et ad Angliae Episcopos.

XII. Rectori adiutor est Vice-Rector, ab Emo Patrono nominandus, consultis Emo Urbis Vicario, Rectore et Deputatis disciplinae tuendae. Eiusdem est partes agere Rectoris sive absentis sive a munere impediti, atque advigilare ut omnia rite in Collegio gerantur.

XIII. Degat in Collegio, electus a Summo Pontifice, Magister pietatis, qui alumnorum fingendis animis totus incumbat. Praeter illum, duo Confessarii, ab Emo Urbis Vicario approbati, designentur ab Emo Patrono, consulto Rectore.

XIV. Oeconomus, ab Emo Patrono nominatus, consultis Emo Urbis Vicario, Rectore et Deputatis pro administratione, rei familiaris curam gerit, dependenter ab ipso Emo Patrono et Rectore. - Nil vetat quominus Oeconomi munus ab ipso Vice-Rectore obiri queat.

XV. Cuilibet conturbenio Praefectus a Rectore designetur.

XVI. Bonorum omnium temporalium, sive mobilium sive immobilium, proprietas et dominium ad mentem Gregorianae Constitutionis *Quoniam Divinae bonitati* confirmantur.

XVII. Studia ad iuris praescriptum alumni peragant; titulos et gradus academicos, si qui velint, apud Facultatem seu Universitatem, ab Apostolica Sede rite institutam, assequantur.

XVIII. Ad Ordines alumni promoveantur iure communi servato, subíalo «quovis contrario privilegio.

XIX. De alumnis, si res ferat, a Collegio dimittendis, Cardinalis Patronus sententiam dicet, Rectore ac Deputatis ad disciplinam consultis, reque ad Ordinarium tempestive communicata, nisi aliter adiuncta suadeant.

XX. In omnibus tandem, quibus hae Constitutiones minime obstant, ius commune servetur, et Bulla erectionis Collegii *Quoniam Divinae bonitati* in suo robore vigeat. -

Emi Patres S. Congregationis Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositae, in plenario coetu, habito die xvin, mense decembri

huius anni, has Constitutiones probari posse censuerunt. Die autem sequenti, SSmus D. N. Benedictus Pp. XV, in audientia infrascripto Secretario impertita, sententiam Emorum Patrum ratam habuit et confirmavit, easdemque Constitutiones in perpetuum servari iussit. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Romae, ex Secretaria S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, in festo S. Thomae Episcopi Cantuariensis et Martyris, die XXIX decembris anno MCMXVII.

CAIETANUS CARD. BISLETI, *Praefectus.*

L. % S.

f Iacobus Sinibaldi, Ep. Tiberien., *Secretarius.*

II

CONSTITUTIONES
COLLEGII BEDANI DE URBE

I. Collegii Urbani, cui nomen a *Venerabili Beda,* is finis est ut viri Anglici, qui, haeresi eiurata, operam concivibus suis ad catholica sacra traducendis navare velint, ad sacerdotium rite instituantur ac formentur. - Cooptari etiam in Collegium fas esto, item ex Anglicis, qui, reiecto errore et sacerdotio suscepto, Romam conveniunt doctrinae causa perfectius excolendae.

II. Liceat insuper cooptare in Collegium maturioris aetatis Anglicos viros qui in Ecclesiae Catholicae gremio semper aliti sunt; nullus tamen sacerdotio non auctus admittatur, nisi quartum aetatis annum supra vigesimum praetergressa. - E Collegio vero Anglico in Bedanum transitus nemini praebeatur, praeter quam emenso theologiae curriculo dataque conditione *contubernii* integrum per annum servandi.

III. Collegium Bedanum ab Anglico seorsum sit, distinctis aedibus, moderatoribus, legibus, reditibus.

IV. Collegium a S. Congregatione Seminariis ac Studiorum Universitatibus praeposita immediate dependeat.

V. Cardinalis Patronus Collegio Bedano aderit, qui Collegio Anglico adest.

VI. Cardinalis Patronus, ex auctoritate Sedis Apostolicae, ea iura et munia in Collegium exercet, quae Episcoporum Angliae sunt, quaeque ipsi per se obire nequeunt, servatis tamen regulis et praescriptis, quae in his Constitutionibus decernuntur.

VII. Emus Patronus - cunctis qui in Collegio degunt, sive praepositi sint sive subditi, praeerit, - quae ad alumnorum cooptationem, correctionem et dimissionem spectant, statuet, - quibus reditus legati *(borse di studio)* sint adsignandi, decernet, - statuta et praescriptiones ut fideliter observentur, curabit - omnia denique et singula constituet, quae ad instituti regimen, profectum et administrationem necessaria videbuntur et opportuna.

VIII. Anglorum Antistites cum Emo Patrono consilia communicabunt de alumnis suis in Collegium cooptandis.

IX. Litteras testimoniales ad Ordines dabit Emus Patronus, dimissoriales vero Episcopus proprius.

X. Collegio duo sint coetus Deputatorum, alter pro disciplina, alter pro temporalium bonorum administratione. Unum et alterum Deputatorum coetum constituent duo Sacerdotes, a S Congregatione de Seminariis ac de Studiorum Universitatibus ad sexennium nominati. - Uterque coetus aderit Bedano Collegio, qui adest Anglico. - Enius Patronus consilio Deputatorum utetur maioribus in negotiis.

XI. Rector a Summo Pontifice eligitur, suoque munere fungitur ad nutum S. Sedis. Collegii moderationem ipse gerit; quidquid utilitas Instituti postulat, ipse providet; res autem maioris momenti ne decernat, inconsulto Emo Patrono. - Rectori omnes, in suo quisque munere, obtempèrent.

XII. Pro omnibus, qui in Collegio sunt, Parochi officium, ad tramitem iuris, obeat Rector eiusve delegatus.

XIII. Rector quotannis de universo Collegii statu, de pietate scilicet, disciplina, studiis et re familiari referat ad S. Congregationem dé Seminariis ac de Studiorum Universitatibus, ad Emum Patronum, et ad Angliae Episcopos.

XIV. Rectori adiutor est Vice-Rector, ab Emo Patrono nominandus, consultis Emo Urbis Vicario, Rectore et Deputatis disciplinae tuendae. Eiusdem est partes agere Rectoris sive absentis sive a munere impediti, atque advigilare ut omnia rite in Collegio gerantur.

XV. Adsit, et ipse electus a Summo Pontifice, Magister pietatis, qui, virtute et prudentia praestans, verbo et exemplo alumnis prosit. Praeter illum duo Confessarii, ab Emo Urbis Vicario approbati, designentur ab Emo Patrono, consulto Rectore.

XVI. Adsint quoque in Collegio Magistri, ab ipso Emo Patrono, consultis Rectore ac Deputatis pro disciplina, nominati, quibus alumni utantur ad ea recolenda, quae publice in Scholis audierint.

XVII. Oeconomus, ab Emo Patrono nominatus, consultis Emo Urbis Vicario, Rectore et Deputatis pro administratione rei familiaris curam gerit, dependenter ab ipso Emo Patrono et Rectore. - Nil vetat quominus Oeconomi munus ab ipso Vice-Rectore obiri possit.

XVIII. Bonorum omnium temporalium, tam mobilium quam immobilium, proprietas ac dominium penes Collegium sint.

XIX. Alumni Collegii audient athenaei Gregoriani doctores. - Si tamen quid causae fuerit, aliarum doctoribus scholarum, quae in Urbe probatae sunt, ne interdicantur. - Qui publicas scholas celebrare nequeunt, ii, permissu Moderatorum, privatis utantur magistris.

XX. Alumni saltem per annum Philosophiae Scholasticae sedulam navent operam, ac saltem per triennium in studium Theologiae Dogmaticae et Moralis impense atque ordinate incumbant. - Quibus ad gradus academicos pericula in scholis subeunda non erunt, ii sub anni finem se sistant probandos doctoribus.

XXI. Alumni, qui ad exercenda ecclesiastica munia informantur, in concionibus habendis, in tradenda catechesi ac dirimendis controversiis de re sacra, apud suos iam exortis, se exerceant sedulo.

XXII. Alumni ad Tonsuram et ad Ordines minores promoveantur secundo cursus theologici anno; ad Ordines maiores, tertio anno. In reliquis ius commune servetur, sublato quolibet privilegio.

XXIII. Qui impensis Collegii aluntur, absoluto studiorum curriculo ad proprias dioeceses, iuxta iuris dispositiones, redeant. - Quod si rationabili aliqua de causa impediantur, Cardinali Patrono aperiant cui dioecesi accenseri malint. Cardinalis vero, communicatis consiliis cum Angliae Episcopis, quid sit agendum decernet.

XXIV. De alumnis, si res ferat, a Collegio dimittendis, Cardinalis Patronus sententiam dicet, Rectore et Deputatis ad disciplinam consultis, reque ad Ordinarium tempestive communicata, nisi aliter adiuncta suadeant.

XXV. In omnibus tandem, quibus hae Constitutiones minime obstant, servetur ius commune, et statuta in Motu Proprio Leonis XIII, *Partem multo maximam,* in suo robore vigeant.

Emi Patres S. Congregationis Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositae, in plenario çoeto, habito die xvin, mense decembri huius anni, has Constitutiones probari posse censuerunt. Die autem

sequenti, Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV, in audientia infrascripto Secretario impertita, sententiam Emorum Patrum ratam habuit et confirmavit, easdemque Constitutiones in perpetuum servari iussit. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Romae, ex Secretaria S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, in festo S. Thomae Episcopi Cantuariensis et Martyris, die xxix decembris anno MCMXVII.

CAIETANUS CARD. BISLETI, *Praefectus.*

L. & S.

f Iacobus Sinibaldi, Episc. Tiberien., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I

VICARIATUS APOSTOLICI MANDCHURIAE SEPTENTRIONALIS

'**NULLITATIS** MATRIMONII (OUANG-i-CHAN ET IANG-K-EOU-TZE)

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die 6 iunii 1917, RE. PP. DD. Fridericus Cattani Amadori, Ponens, *Petrus Rossetti et Raphael Chimenti, Auditores de Turno, in causa* Vicariatus -Apostolici Mandchuriae Septentrionalis - Nullitatis matrimonii, *inter iuvenem* Franciscum Ouang-i-chan *et puellam* Iang-K'-eou-tze, *repraesentatam per legitimum procuratorem ex officio advocatum Henricum Benvignati, interveniente et disceptante in causa sacri vinculi defensore, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

In oppido Sinensi, vulgo Se-Kia-tze, puella quaedam catholicae religioni addicta, cui nomen Iang-K'eou-tze, cum suo consobrino Kao habitabat, a quo filium habuit. At illam adamabat iuvenis Franciscus Ouang-i-chan, secundus inter tres fratres, ex familia catholicae religioni pariter adhaerente, et cuius parentes mortui sunt. Puellae avunculus postquam haec cum consobrino peccaverat, fratri maiori nata familiae Ouang suaserat ut illam vi raperet et in matrimonium daret suo fratri Francisco, qui cum eo habitabat. Ideo prima nocte diei vigesimae duodecimi mensis lunaris, anni synici, a familia Ouang decem viri missi sunt, quos inter erat Franciscus, fustibus et armis instructi, qui puellam lang-K'eou-tze e manibus eius consobrini Kao râpèrent. Hi puellam per viam transeuntem invenerunt, et ad domum familiae Ouang vi duxerunt. Ibi frater natu maior illam hortabatur ut Francisco se nubere vellet, at illa semper renuit, donec post aliquot dies, seu, ut videtur, die sexta primae lunae, sub aurora, secreto fugam arripuit, et ad suum conso-

brinum Kaò confugit. Statim, re cognita, quinque vel sex homines familiae Ouang armati eam insectantur; et iterum captam in domum Francisci reducunt, ubi bene habita est. Tunc illa se dispositam exhibuit ad matrimonium cum Francisco contrahendum, et ideo tempus illud celebrandi statuitur. Pridie autem nuptiarum, quatuor catechistae, christianae communitatis rectores, apud familiam Ouang convenerunt ut puellam interrogarent'; quibus Iang-K'eou-tze declaravit se nullam habere causam non nubendi Francisco; deinde, appetente iam nocte, quatuor vel quinque viri, armis stipati, illam prius ad domum catechistae duxerunt ubi per horam mansit, postea ad scholam puellarum, et dein apud Martham Tchao-Ouang-che, propinquitate coniunctam familiae Ouang, ubi noctem transegit. Sequenti mane, ante ortum solis, matrimonium puellae Iang-K'eou-tze cum Francisco Ouang i-chan celebratur in pagi ecclesia, ad cuius ostium custodes nonnulli in armis vigilant. Sacerdoti interroganti uterque sponsus suum dedit consensum. Post nuptias autem, Iang-K'eou-tze ad domum Ouang ducta est, ubi hilari et concordi animo cum Francisco mansit, tamquam eius coniux, per unum mensem ejt viginti dies. Familia Ouang, ut mos est in Synis, pecuniam sponsae parentibus obtulit, quam ipsi respuerunt, dicentes se filiam suam Francisco in matrimonio dare noluisse. Interim Iang-K'eou-tze, forsitan a parentibus inducta, apud iudicem civilem causam instituit contra virum, declarans se coniugalem consuetudinem perducere nolle; iudex tamen nullam sententiam protulit. Cum auten Iang-K'eou-tze ad convivendum cum alio viro, non sine fidelium scandalo, transivisset, Vicarius Apostolicus Mandchuriae Septentrionalis, sub cuius dictione pagus Se-Kia-tze invenitur, causam circa huius matrimonii validitatem institui mandavit; qua instructa, die quinta mensis martii anno 1914, iudex ab eo delegatus sententiam dedit, nullitateni matrimonii inter Iang-K'eou-tze et Franciscum Ouang-i-chan decernens, ex impedimento raptus. Ab hac sententia ad nostrum appellavit Tribunal sacri vinculi Defensor: Nos igitur solito proposito dubio respondere debemus: *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Quod est in facto. - In huius causae instructione, a tribunali Vicariatus Apostolici Mandchuriae, quindecim testes interrogati sunt, praeter reum in causa, Franciscum Ouang-i-chan, non tamen audita est Iang-K'eou-tze quia, dicitur in sententia, ab adeundo tribunali impedita, quin impedimenti causa indicetur. De testium omnium credibilitate fidem fecit missionarius apostolicus in districtu Se-Kia-tze; et eorum quisquam iureiurando testimonium suum affirmavit.

Franciscus Ouang-i-chan, coniux puellae Iang-K'eon-tze, qui tunc, nempe anno 1914, 25 annos habebat, a iudice interrogatus, candide fatetur omnia quae nos in facti specie narramus.

Testis Martha Tchao-ouang-che, quae tunc 32 annos nata erat, consobrina est mariti et, remota cognatione, coniuncta cum sponsa, quae apud eam ducta fuit nocte ante matrimonium. Haec a iudice interrorogata, enarrat quod ea nocte puellam Iang-K'eou-tze hortata est, ut rite se ad sacramentum matrimonii recipiendum praepararet. Sequenti mane illa a sacerdote interrogata an vellet accipere Ouang-i-chan pro legitimo marito, bis respondit affirmative. Vinculi defensor testem interrogat, utrum ante matrimonium et praecipue pridie nuptiarum Iang-K'eou-tze potuisset pro libitu e domo Ouang exire necne, vel si postulasset num abeundi veniam obtinuisset. Cui testis respondit: « Forsitan « non obtinuisset ».

Testis Paula Pai-Ouang-che, 49 annos nata, nullam habet cum partibus parenteiam. Haec enarrat quod Iang-K'eou-tze, secunda vice rapta a familia Ouang, ante matrimonium laetam se exhibebat, non autem post. Dicebat enim: « Volo tantum vitam ducere cum amico meo Kao ». Quod ubique a viris armatis custodiretur, hoc non fiebat ad cogendam illam ut matrimonio futuro consensum daret, sed ne eriperetur e manibus familiae Ouang a suo amico et consobrino Kao. ... Cum Iang-K'eou-tze data fuisset cuidam tertio viro nomine Tchang, refertur quod manifestavisset desiderium manendi cum Ouang-i-chan, quia ille Tchang videbatur nimia aetate provectus (quinquaginta annos natus erat).

Testis Vincentius Pai-iun-tchou, 30 annos habens, quadam cognatione coniunctus familiae Ouang, opinatur quod Iang-K'eou-tze sacerdoti de eius consensu in matrimonio interroganti « Ex intimo corde non « respondit ».

Testis Andreas An-iun-cheng, 23 annos natus, vidit viros puellam rapientes, qui duodecim erant, imo ipse quoque inter eos erat qui secunda vice puellam rapuerunt. Asserit autem Iang-K'eou-tze matrimonio consensum dedisse, quia aliter facere non poterat. Et cum ab eo iudex quaesivisset: « Supposito quod Iang-K'eou-tze potestatem habuisset « eundi pro suo libitu ad rem suam mature considerandam, reversa « ne fuisset apud Ouang-i-chan, deliberatione facta? » respondit testis: « Probabiliter non reversa fuisset ».

Testis Petrus Ouang-Souen, annos natus 65, habitat in pago Se-Kiatze, avunculus est BYancisci Ouang-i-chan, consobrinus vero patris Iang-K'eoü-tze et catechistae munere fungitur. Hic enarrat quod post fugam

puellae e domo familiae Ouang, et postquam illa iterum rapta fuit, reductaque in domum a qua fugerat, semper vigilabatur ne rursus effugeret. Pridie autem nuptiarum, quatuor catechistae (christianae communitatis rectores) apud familiam Ouang convenerunt, ut audirent quid declararet puella. Ingressi, domum sederunt usque dum coena parata fuit. Iang-K'eou-tze intravit in cubiculum, ubi hi quatuor viri expectabant, sed statim egressa est. Cibo parato, Iang-K'eou-tze iterum intrat, et cum illis sedet. Ipse testis tunc sic puellam alloquitur: « Nunc nullus in « hac domo est extraneus, si habeas aliquid nobis dicendum, die confi- « denter vel veni foras, ad tuum libitum ». Tunc respondit : « Nihil habeo «dicendum; cur cum Ouang-i-chan matrimonium non contraherem? ». Catechista Han tunc dixit: « Sacerdos nos interrogabit, debes igitur « nobis dicere, utrum velis cum Ouang-i-chan matrimonium contrahere « vel non; si hodie coram nobis affirmative respondeas, affirmative « etiam coram sacerdote respondere te oportebit, ne nos implices in «re tua ». Iang-K'eou-tze respondit: « Cur non inirem matrimonium « cum Ouang-i-chan? ». Sacri vinculi defensor duo a teste quaesivit, nempe num familia Ouang pecuniam dederit parentibus Iang-K'eou-tze et quare puella laeta esset, quum eius parentes litem inferrent familiae Ouang. Cui testis : « Pecunia parata erat, sed Iang-K'eou-tze parentes « noluerunt accipere, quia renuebant suam collocare puellam in familia « Ouang i-chan. Puella autem gaudebat tempore litis, quia apud nullum « alium nisi apud suum consobrinum Kao vitam degere volebat ». Iudex testem interrogat: « Supposito quod Iang-K'eou-tze libertas concessa « fuisset certo tempore et huic permissum fuisset eligere inter Ouang-i- « chan et suum consobrinum Kao, reversa ne fuisset ad Ouang-i-chan? ». Cui testis: « Non reversa fuisset ». Iterum iudex quaerit: « Si pridie «nuptiarum, licentia illi data fuisset abeundi, et si,illi dictum fuisset: « " Cras benedicentur nuptiae ; si velis cum Ouang-i-chan matrimonium «contrahere, summo mane veni ad ecclesiam ad nuptias celebrandas, « venissetne? „ ». Cui testis respondet: « Non venisset ».

Testis Maria Han-Hing-che, matertera Francisci, adstitit matrimonio et testatur : « Sacerdos bis interrogavit Iang-K'eou-tze an vellet acci- « pere Ouang-i-chan pro legitimo marito. Prima vice non clare respondit, « sed secunda vice, voce distincta, affirmative respondit. Caeremoniae « tempore, viri armati ante fores ecclesiae stabant ». Vinculi defensor ab ea quaerit utrum ex intimo corde respondisset puella. Cui testis: « Credo quod ex intimo corde respondisset ».

Testis Raymundus Han-Kin-in, 55 annos natus, pagum Se-Kia-tze habitat et nullam habet cum partibus cognationem. A iudice interro-

gatas: « Si Iang-K'eou-tze data fuisset licentia abeundi ad libitum, reversa « ne fuisset ad familiam Ouang », respondet: « Non reversa fuisset ». Iterum iudex: « Si ducta fuisset ad matrem suam, haec dedisset ne « suum consensum matrimonio puellae cum Ouáng-i-chan? Si dedisset, « Iang-K'eou-tze reversa ne esset in familiam Ouang? ». Cui testis respondet: « Non reversa fuisset: et nullo modo eius parentes eam dare voluis- « sent Ouang-i-chan in matrimonium; ex urbe reversa, post litem civilem « actam, cum esset apud suos parentes, numquam petiit, ut sibi liceret « ire apud Ouang-i-chan ».

Testis Apollinaris Ian-ioung-heu, 32 annos natus, mercator est, nullam cum partibus habet cognationem, et raptui adfuit. Hic quoque iudici respondit quod si sponsae data esset libertas abeundi e familia Ouang, illa abiisse!, et quod dum lis contra hanc familiam agebatur, illa laetabatur, quia sperabat tandem sibi licitum foret manere apud consobrinum suum Kao; praeter illum nullum alium virum desiderabat.

Testis Ioannes Baptista Ouang-iu-lin 44 annos habet, consobrinus est Francisci Ouang-i-chan, necnon coniunctus cum Iang-K'eou-tze. Hic inter raptores erat, sclopeto et fuste instructus. Enarrat quod, postquam puella secunda vice rapta fuit et reducta in familiam Ouang, a pluribus hortabatur ut ibi maneret. Haec pridie tantum nuptiarum dixit: «Res cum ita sint, quoad me, agite ad vestrum « libitum» et sequitur: « Sive in familia An, sive in schola puellarum, « sive apud Martham Tchao-Ouang-che, viri armati non desinebant super « puellam invigilare, ne a caeteris raperetur. Post matrimonium uno « mense apud Ouang-i-chan mansit, toto hoc tempore gaudebat. Quando « ad urbem perrexit, pro lite civili agenda, etiam gaudebat. Viri familiae « Ouang-i-chan quidquid potuerunt facere, fecerunt, ut non se sisterent « coram civili tribunali. Lite absoluta, puella cum matre sua mansit et « noluit ad Ouang-i-chan reverti ».

Testes Iosephus Pai-King-ts'ouen, Ignatius Pai-tsoung-chan et Gregorius Tchang-ta-Kouang, quorum prior et posterior adstiterunt raptui lang-K'eou-tze, nihil novi referunt, sed modum narrant quo puella rapta est, quem nos in facti specie exposuimus.

Testis Bartholomaeus T'si-ioug-iao, 37 annos natus, in pago Se-Kia-tze habitat, et cum sponso remotam habet cognationem. Aderat et ipse quando puella rapta fuit, et hanc audivit eiusque matrem lacrymantes. Hic adiungit quod simul cum Iang-K'eou-tze ductus fuit in domum Ouang etiam eius consobrinus Kao, funibus tamen vinctus, quod postera die ille perrexit ad familiam Ouang ut suum amicum Kao liberare t, et tunc rogavit puellam ut hunc relinqueret et ibi maneret. At puella nul-

limode illum audire voluit, nec minae, ab eo adhibitae, magis profuerunt. Pridie nuptiarum, testis fratrem Francisci vidit sclopeto armatum, qui dixit ei: « Denique tandem confecta est res; cras agentur nuptiae ». Cui Bartholomaeus : « Ad quid hoc instrumentum? ». Et ille respondit: « Ah! super illam invigilo, timeo ne alii illam rapiant ». Iudex illum interrogat: « Responsio affirmativa, quam sacerdoti puella dedit, ex animo ne « fuerit? ». Cui testis: « Quia aliter facere non poterat, respondit affir« mative ». Iterum interroga tur : « Si Iang-K'eou-tze libertas concessa « fuisset, ivisset ne apud Ouang-i-chan?». Respondit: « Non ivisset ».

Testis Laurentius Iang-ioung-i, 60 annos natus, pater est puellae Iang-K'eou-tze. Hic, qui litem intulit familiae Ouang-i-chan apud civile tribunal, testatur quod, cum iudex, coram viris familiae illius, interrogasset Iang-K'eou-tze utrum vellet, vel nollet, cum Francisco vitam ducere, illa respondit: « Potius mori quam apud Ouang-i-chan reverti ». Sacri vinculi defensor ab eo quaesivit: « Habuisti ne intentionem filiam dandi in « matrimonio Ouang-i-chan? ». Testis respondit: « Postquam filia mea « rapta fuit, familia Ouang nullum de ea nobis dedit nuntium; attamen « si venissent viri familiae Ouang in.colloquium nobiscum, potuissemus « de re matrimoniali convenire et dare filiam nostram in sponsam « Ouang-i-chan ».

Denique auditur testis Rosa An, 42 annos habens, quae docet pagi puellas catechismum et preces. Haec est, quae nocte ante nuptias in scholam comiter excepit Iang-K'eou-tze. Tunc incubuit ut puellam hortaretur atque instrueret ad confessionem peragendam. Iuxta testem responsio affirmativa, quam illa, sequenti mane, sacerdoti interroganti dedit, necessitate et vi data fuit.

Quod est in iure. - In Iure Romano statutum erat, nullum esse matrimonium contractum a puella rapta, invitis parentibus, etiamsi in raptu consentiret (1, un. cod. *De rapt, virginum,* IX, 13), ob iniuriam, quae patri inferebatur, sub cuius potestate, quasi res patris, filia constituta erat. Romanorum ius correxit Innocentius PP. III (cap. 7, X, *De Rapt.,* 17), distinguendo crimen raptus ab impedimento raptus, siquidem quamvis raptus fuerit consummatus, invita puella, et adhuc perseveret crimen raptus, tamen, si puella libere consentiat, ait Innocentius, matrimonium valet. Ergo in iure decretalium impedimentum raptus non distinguebatur ab impedimento vis et metus, ita ut matrimonium dirimeret solummodo ob dissensum et aversionem mulieris raptae; at si quod huic displicebat, inciperet placere, et eius consensus libere accederet, remotum esse censebatur impedimentum, ut valide matrimonium

contrahi posset, dummodo ad contrahendum legitimae essent personae; licet, hoc in casu, consensus liber non praesumeretur.

Sed Concilium Tridentinum (cap. 6, sess. XXIV, *de ref. matrim.)* novum constituit impedimentum raptus, ab impedimento vis et metus specifice distinctum. Verba decreti haec sunt: « Decernit S. Synodus inter « raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, * nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta, a raptore sepa- « rata et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consen- « serit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse ac omnes « illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excom- « inimicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si « clerici fuerint, de proprio gradu décidant. Teneatur praeterea raptor « mulierem raptam sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter, « arbitrio iudicis, dotare ». Hoc igitur decretum, sive quoad impedimentum, sive quoad, poenas, respicit raptum, quo vir, intuitu matrimonii ineundi, mulierem de loco in locum violenter abducit ac sub sua detinet potestate. Huius impedimenti naturam ita exponit D'Annibale: «Ut sit « raptus est necesse: I° ut mulier abducta fuerit; 2° ut invita; 3° ut matri- « monii cum raptore contrahendi causa. Raptus igitur ex i° in viro non « intelligitur, in muliere autem rapta non inspicitur quaenam illa sit, virgo « ne an vidua, an scortum, an sponsa. Nec, ex 2°, nisi mulier abducta fuerit « vi illata, aut metu incusso: itaque si ipsa abductioni consensit, raptus « cessat; licet invitis his, sub quorum potestate est, fuerit abducta; e « contra suberit raptus si, his consentientibus, abducta fuerit invita. Nec « demum, ex 3° si invita quidem raptor abstuiit, sed vel ut ipse ea frue- « retur, vel ut rapta nuberet alii » *(Summ. Th. Mor.,* p. 3, n. 446). Quocirca si Titius, suo marte, rapuit Caiam, ut Seio nuberet, neuter prohibetur (licet in potestate ipsorum sit) eam ducere, non Seius quia non rapuit, non Titius quia non rapuit matrimonii cum ea contrahendi causa (Sánchez, VII, 13, 6; Schmalz., V, 17, 20). Sin rapuit ex Seu mandato, raptor is intelligitur (ex L. 5, pr. *Ne quis eum qui in ius, Be lust.,* II, 18, 45; apud D'Annibale, 1. c, n. 32).

In casu nostro, puellam habemus Iang-K'eou-tze quae violenter abducta est è domo sui consobrini Kao, ubi libere manebat, a familia Ouang in qua tres erant fratres, quos inter Franciscus, natu secundus; causa autem huius violentae abductionis fuit intentio quam Franciscus habebat matrimonii cum ea ineundi, et ipse inter raptores puellae erat, ut candide fatetur. Hanc violentam abductionem, semel et iterum patratam, secutum est matrimonium inter Franciscum (qui illam pro se rapuit) et raptam, quin prius haec in sua libertate fuisset constituta, et loco red-

dita tuto. Etenim Iang-K'eou-tze, post secundum raptum, continuo mansit in domo Ouang, quae Francisco et fratribus eius erat propria (eorum enim parentes demortui erant) et in qua ipse Franciscus habitabat; imo ibi in carcere detinebatur; domus enim, post puellae fugam, continuo vigilata erat a custodimus armatis. In transitu autem, quem puella fecit, nocte nuptiis praecedenti, e domo Ouang, primum ad domum catechistae, postea ad scholam puellarum et tandem in familiam Tchao, in qua mansit usque dum ad ecclesiam pagi perrexit, adhuc a sicariis comitabatur, imo hi fores ecclesiae custodiebant, dum inibi matrimonium celebrabatur, sub praetextu quidem ne alii puellam râpèrent, sed revera ne illa fugam arriperet.

Quod si pridie nuptiarum quatuor catechistae in domo Ouang puellam interroga ve runt, eique dixerunt: « Nunc nullus in hac domo est « extraneus: si habeas aliquid nobis dicendum, die confidenter, vel veni « foras ad tuum libitum » haec autem respondit: « Nihil habeo dicendum : « cur cum Ouang-i-chan matrimonium non contraherent », tamen verum erat quod ibi detinebatur, et quod domus a custodibus vigilabatur, et proinde puella, vel assertioni catechistarum non credidit, vel, si credidit, fugere non est ausa, vel non potuit. Et revera quod, etiamsi abire voluisset, esset impedita, nonnulli testes affirmant. At demus etiam quod volens ibi mansisset, tamen raptus impedimentum exstaret, nam in delictis initium spectatur (Cfr. Wernz, *Ius Decret.*, t. IV, n. 280). A secundi ergo raptus die, usque ad matrimonii celebrationem, Iang-K'eou-tze continuo in manu familiae Ouang mansit.

Nec valet argumentum a def. Vinc. contra matrimonii nullitatem adductum, raptus iussorem fratrem fuisse natu maiorem Francisci; qui non pro se, sed pro fratre, raptum indixit; etenim etiamsi hoc esset (quod solus Franciscus affirmat, non vero ceteri testes, qui loquuntur de familia Ouang), tamen verum esset quod Franciscus rapuit, et pro se, non pro alio, puellam rapuit; et non in domo aliena, sed in sua, illam custodivit. Tridentinum ergo decretum circa raptus impedimentum casui nostro aptari posse videtur.

His omnibus in iure et in facto perpensis, nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, proposito dubio respondentes: *Affirmative sen Constare de nullitate matrimonii in casu.*

Mandamus insuper Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam senten-

tiam, et adversus reluctantes procedant ad normam ss. canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De reform.*, Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis esse iudicaverint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die **6** iunii 1917.

Fridericus Cattani Amadori, *Ponens.*
Petrus Rossetti.
Raphael Chimenti.

L. © S.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

U

PADERBORNEN.

(NULLITATIS MATRIMONII DE LAFFERT-BARTELS)

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die 27 iulii 1917, BR. PP. DD. Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, Ponens, *Petrus Rossetti et Raphael Ghimenti, Auditores de turno, in causa* Paderbornen. - Nullitatis matrimonii, *inter* Olgam de Laffert,*actricem, repraesentatam per legitimos procuratores Vincentium Sacconi et Nazarenum Ferrata, advocatos, et* Carolum Bartels, *interveniente et disceptante in causa vinculi defensore ex officio, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Olga de Laffert, sectae Lutheranae evangelicae addicta, aetatis suae annorum fere viginti duo, die 26 februarii anni 1899 sponsalia inivit cum Carolo Bartels, quadraginta duos annos nato, confessionem pariter evangelicam profitente. Sponsalia sequutae fuerunt nuptiae celebratae die 14 aprilis eiusdem anni coram ministro acatholico in castello Lhesen, apud Waltemperg. Cito coniuges fuerunt sobole laetati. At non defuerunt discordiae et dissensiones, adeo ut anno 1904, inter ipsos conventio facta est, vi cuius mulier aliqualem a marito independentiam haberet; facultas enim eidem facta fuit alibi sedem cum filiis suis ad libitum figendi. Durantibus discordiis, anno 1907, sponsa, coniugalem domum omnino deserens, apud parentes se contulit, et post duos annos obtinuit

ab auctoritate civili sententiam divortii. Inde mulier, ad alia vota cum viro catholico A dulpho de Spiegel Convolare cupiens, petiit a Curia Paderborneri. ut suum cum Carolo Bartels matrimonium nullum declararetur ex capite vis et metus. Post quatuor annos, processu nondum expleto, Dominus de Spiegel petiit ab Ordinario Paderbornen. « di rifare « il processo introdotto quattro anni fa, perchè pare che vi sia speranza « di successo, se la faccenda non sia esaminata solamente dal lato del « timore, ma anche dal fatto che la signora de Laftert non ha avuto « il necessario consenso matrimoniale ».

At iudices Paderbornenses neque ex primo, neque ex secundo, capite nuptias invalidas esse dixerunt, sententia 5 augusti 1914. Ab hac sententia actrix appellationem interposuit apud H. S. Auditorium et, petita atque obtenta suppletiva instructoria, ac praetermissa quaestione de metu, causa iterum definienda proponitur sub • assueta disceptandi formula: *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Ius quod spectat. - Matrimonium facit consensus, non concubitus. Consensus autem matrimonialis est actus voluntatis, quo utraque pars tradit et acceptat ius perpetuum et exclusivum in corpus alterius in ordine ad actus de se aptos ad prolis generationem. Hinc «si alterutra « vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, « vel omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matri« monii proprietatem, invalide contrahit » (Can. 1086 novi Codicis)* Et iure meritoque; qui enim vult matrimonium, eius essentiam velle debet. Atqui essentia matrimonii est perpetuitas, quae si vel ab uno sponso, quamvis interno voluntatis actu, excluditur, matrimonium ipsum respuitur et nullum est. Intentio autem in mente retenta nil in humanis actibus operatur, hinc actus voluntatis debet exterius manifestari. Satis vero manifestatur si quis contrahit cum conditione vel pacto faciendi divortium, ita ut aliter non contraheret, quae conditio, ante matrimonium posita, et non retractata, praesumitur perseverare in ipso actu celebrationis matrimonii (cap. ult., tit. V, lib. IV, Decret. Gregorii IX). At conditio necessaria non est; sufficit ut contrahens, verbis aut signis, ante matrimonium demonstret se explicite et positive excludere indissolubilitatem. Haec certa sunt apud omnes. Aliqua difficultas haberi potest in illis contrahentibus, qui doctrinam catholicam non sequuntur, quique, errore propriae sectae, v. g. protestantium, retinent matrimonium solubile. Secundum canonem 1084 novi Codicis : « simplex « error circa matrimonii unitatem, vel indissolubilitatem, aut sacramen« talem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum

« matrimonialem ». Etenim (uti scribit Benedictus XIV, *De Syn. Dioec,* « lib. XIII, cap. XXII) hoc ipso quod acatholici, vano errore decepti, « existimant solutionem matrimonii his de causis minime repugnare «legi Christi, hinc fit ut in eorum mente, propter falsam illam existi- « mationem, intentio contrahendi iuxta huiusmodi leges, aut sectae « placita, minime excludat primariam intentionem contrahendi iuxta « divinam legem per Christum confirmatam. Remanet proinde haec « voluntas in actu contrahendi, ex eaque fluit ac determinatur consen- « sus, qui actu praestatur ». Quod valet etiamsi error det causam contractui, quod verificatur quando contrahens, qui ex errore putat matrimonium esse solubile, matrimonium non contraheret si sciret ipsum esse insolubile. In casu enim haberetur voluntas interpretativa, quae nihil in contractibus operatur.' Si vero error influat in voluntatem, et contrahens actu explicito et positivo dicat se velle matrimonium contrahere, solubile tamen, prouti est in sua mente erronea, tunc voluntas, etsi procedat ex errore, excludit proprietatem essentialem matrimonii et cessat praesumptio quod contrahens vellet inire coniugium prouti a Deo fuit institutum.

Modo ad factum. - Olga de Laffert in suo libello introductivo dicit se, cum non potuisset, obsistentibus parentibus, abrumpere sponsalia inita cum **D.** Bartels, matri declarasse : « Io lo sposo perchè comprendo « che non posso agire altrimenti: io lo devo fare, ma solo con la condi- « zione che voialtri non farete nulla contro il mio divorzio e nuova- « mente mi riprenderete in casa; temo che questo giorno verrà presto ». Et prosequitur: «Mia madre me lo assicurò, ed io, che sentivo che « quest'uomo (Bartels) non si sarebbe più cambiato, fui d'intenzione di « separarmi da lui alla prima occasione che io credeva che egli mi « avrebbe presto procurato, e precisamente per reciproca antipatia. Mi « sono espressa con diversi in questo senso ». At, quod actrix asseruit, concludenter non probavit, nam si tabulae processuales attendantur^ prudens extat dubium de opposito, quod sufficit iuxta Instructionem S. Officii 1883, § 39, ut iudicium contra matrimonium, quod factum publicum et solemne est, non pronuntietur. Re quidem vera in primis Patres dixerunt attendendum esse studium Olgae in expiscanda causa ad petendam sui matrimonii nullitatem, eiusque incertitudinem in ea determinanda, Nam primo affirmavit se necessaria fuisse libertate privatam, et vi ac metu nuptias iniisse. Deinde recursum habuit ad defectum consensus, quem defectum ita amplificai, ut penitus ipsum excludat in ipsa matrimonii celebratione « Nel matrimonio ecclesiastico non ebbi

«l'intenzione di legarmi con il Bartels come moglie », dum inferius, in responsione ad 20, consensum praebuisse implicite asserit: « Io avevo « T intenzione di fare divorzio da lui ; che se il Bartels avesse cambiato « del tutto in modo che io potessi essere felice con lui, allora sarei « rimasta con lui ».

Secundo loco adsunt in actis tres epistolae, in quibus videtur Olga deperiisse Carolum, antequam matrimonium cum ipso contraheret. In prima legitur: « Ti amo tanto che tutto quello che mi chiedi, io lo farò « per compensare il tuo grande amore ». In secunda asserit tanto affici desiderio cum Carolo cohabitandi, ut parata sit eum sequi quocumque se contulerit: « Non m'importa in che punto io vada, purché non sia « separata da te, mio amatissimo, dovessi andare pure nelle " Gumbine „ o « in altro orribile paese ». In tertia fatetur amorem erga sponsum labentibus diebus non minui, sed augeri. Iamvero hae epistolae ostendunt: *a)* verum non esse quod ipsa deponit in tertio suo interrogatorio ad 8: «Nessuno ha mai potuto osservare qualche tenerezza fra noi»; &) falsum quoque esse, quod habetur in libello introductivo: « Circa « 14 giorni prima (del matrimonio) io mi espressi con mia madre « dicendole che io era convinta che il Bartels non era per me e che «avrei avuto desiderio di sciogliere il fidanzamento ». Nam cum matrimonium fuerit celebratum die 14 aprilis anni 1899, Olga die 22martii eiusdem anni haec Carolo scribere certe non poterat: « Ah! « Carlo, non vi è proprio nulla al mondo che sia maggiore di un « tale amore, come noi ce lo portiamo.... Io mai ho creduto possibile « che ci avrebbe potuto unire una così completa armonia delle anime ». Ad vim praefatarum litterarum infirmandam Patroni actricis dicunt ipsas una cum avia fuisse conscriptas. At hoc dici nequit de omnibus epistolis: etenim, praeterquam quod hoc fatetur ipsa actrix: « Gli scrissi « quelle tenere lettere di amore : in parte le ho scritte da sola, in parte « con l'aiuto di mia nonna », quaedam in eis referuntur facta, quae extranearum interventum excludunt. Ita in prima epistola: « Io siedo « qui alla scrivania di mammina, ma spesso il mio sguardo vola á quel « simpatico angoletto, dove ieri sera abbiamo passato un paio di ore « così incantevolmente sul nostro sofà ».

Neque urgeri potest Olgam in litteris amorem simulasse. Nam gratuitae assertioni obstant: I° verba ipsius Olgae: « Nei suoi rapporti con « me, egli non aveva tenerezza e amore e non sentiva il bisogno di «abbracciarmi e baciarmi. Io gliene domandai ed egli mi rispose che « nella sua famiglia tali tenerezze non erano di moda ». At simulans amorem nec oscula, nec amplexus quaerit, neque dolet quod persona,

quam ipse non diligit, se abstineat a praefatis amoris manifestationibus. ***T*** opponitur factum determinationis diei celebrationis nuptiarum. Certum est sponsam, quae amore erga sponsum non fertur, numquam petere, ut solemnitas nuptiarum anticipetur, quin imo omnia adhibet media ad celebrationem differendam. Constat autem ex actis Olgam non solum dilationem non petiisse, sed voluisse, ut dies nuptialis celebraretur die 14 mensis aprilis loco diei statutae, i.e. 16 eiusdem mensis. Haec omnia, si insimul sumantur, non solum excludunt insanabilem illam antipathiam, de qua passim sponsa deponit, sed dubium quoque prudens ingerunt de firma ac positiva intentione ipsius Olgae divortium faciendi, ubi primum comperiisset se cum viro pacifice habitare non posse.

Dubium augetur, si attendatur depositio viri. Hic testatur Olgam libere nuptias contraxisse. « La mia fidanzata ha dato il suo consenso « al fidanzamento con parole decise.... I rapporti tra me e la mia fidan- « zata furono sempre molto cordiali.... Posso dichiarare con piena sicu- « rezza che mia moglie mai, durante tutta la durata del matrimonio, si « è appellata a ciò, che cioè essa sia stata costretta a fare il matrimonio « con me ». Quoad vero intentionem Olgae instituendi divortium haec habet: « Prima del matrimonio non ho inteso mai dire che la mia fidan- « zata avesse l'intenzione di fare poi divorzio da me.... Durante i primi « due anni del nostro matrimonio, per quanto ricordo io, mia moglie « non ha mai espresso l'intenzione di far divorzio da me.... Il divorzio « relativamente fatto così tardi io lo spiego soltanto nel senso che una « tale intenzione non esisteva prima del matrimonio, e nemmeno nei « primi due anni dopo il matrimonio ». Et" concludit: « Questo matri- « monio è stato concluso in modo intieramente legale, e precisamente « anche secondo i principi del diritto della Chiesa Cattolica ».

Hoc grave viri testimonium praeferendum esse mulieris assertionibus patet in primis ex candida et non artificiosa factorum narratione, quod cognovit etiam Iudex Instructor Dr. Kleineinden scribens : « Il teste « faceva completamente l'impressione di esser degno di fede ». Evincitur secundo ex eo quod ipse nullo in uxorem odio afficiebatur, quin imo declarat se promptum esse ad illius desideria obsecundanda : « È ben « lungi - ait - da me il pensiero di porre ostacolo a che la signora Olga « si riunisca di nuovo con nuovo matrimonio; al contrario io sarei con- « tento se essa con un nuovo matrimonio potesse trovare una nuova casa « e trovare quella felicità che, secondo la sua idea, non ha potuto trovare « con me. Sono perfino pronto secondo le mie forze di aiutarla a ciò ».

Olga, vim depositionis viri bene intuens, eidem die 19 iunii 1914 litteram dedit, in qua multa prodere eius dignitati adversa minitatur,

nisi dicta ex parte revocaret. At Carolus non solum minis huiusmodi non cessit, sed in epistola missa H. S. T. die 9 augusti 1916 declarat: «Tutto quanto la sig[a] Olga von Spiegel nata von Laffert espone allo « scopo di provare la invalidità del suo matrimonio conchiuso con « me è falso e mira soltanto a fare apparire come valide le seconde « nozze ».

Remanent expendendae testium depositiones. Et primitus Dr Otho Hetzel ad 4. respondet: « Di una decisione (instituendi divortium) già « fatta prima del matrimonio io non so nulla, perciò non posso nem- « meno dire se una tale decisione abbia avuto luogo dopo il matri- « monio ». Quinque testes deposuerunt de proposito divortiandi, sed hoc ab Olga didicerunt post matrimonium ab ea cum Carolo contractum, unde eorum attestationes eamdem vim probativam habent, quam praesefert Olgae depositio. Ita Carolus von Laffert frater actricis: « Che mia « sorella già prima del matrimonio avesse la ferma decisione di fare « divorziò, lo so soltanto per quello che essa stessa mi ha detto dopo «il matrimonio». Et Ioannes Mathusius: «Dopo il suo matrimonio.... « mi dichiarò (Olga) anche ripetutamente; ad ogni incontro, che già « prima del matrimonio aveva fatto la decisione di sciogliere il suddetto «matrimonio già fatto ». Eadem habent Hermannus Gerstemberg, Agnes Hoffmann et Hernestus Rush. Reliqui testes consanguinei sunt, domestici et amicitiae vinculo actricis coniuncti, et, quod gravius est, omnes protestantium sectis addicti, iuxta quos matrimonii institutum certis in adiunctis solubile creditur; suspicio proinde adest ipsos voluisse morem gerere Olgae, ut legitimo vinculo cum viro nobili ac diviti possit ligari. Speciatim quoad matris actricis Antoniae von Laffert testimonium, haec ita exageravit voluntatem filiae instituendi divortium, ut saepe eidem contradicit. Ita in responsione ad 13 dicit quod Olga « si espresse quasi « tutti i giorni nel senso che avrebbe fatto divorzio », dum filia in suo libello dicit hoc accidisse duabus hebdomadis ante matrimonium. « Circa « 14 giorni prima, io mi espressi con mia nonna, e poi anche con mia « madre... che avrei avuto desiderio di sciogliere il fidanzamento.... e « sólo pochi giorni prima delle mie nozze dissi a mia madre: " Io lo « sposo ... ma solo con la condizione che voi altri non farete nulla contro « il mio divorzio „ ». Ulterius Olga iudici declarat quod in suis litteris non manifestaverit voluntatem divortiandi « perchè la mia corrispon- « denza era sempre controllata dal Bartels ». Ex adverso mater, interrogata: « Ha ancora delle lettere di sua figlia che possano provare que- « sta durevole e continuata intenzione del divorzio? », respondit: Ne ha « scritto anche nelle sue lettere, ma queste non le ho conservate ».

Quibus omnibus, tum in iure, tum in facto rite, diligenterque perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus ac definitive sententiamus, *non constare de matrimonii nullitate in casu.*

Ita declaramus mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni demandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam SS. Canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De Reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 27 iulii 1917.

Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, *Ponens.*
Petrus Rossetti.
Raphael Chimenti.

L. © S.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 16 aprile 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione Generale dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rmi Prelati ed i Consultori teologi, componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto dapprima sul dubbio detto *de tuto* per la solenne Beatificazione del Venerabile Oliviero Plunket, Primate d'Irlanda e Arcivescovo d'Armagh; e quindi sul dubbio intorno a due miracoli che si asseriscono operati da Dio, per intercessiorie del Beato Gabriele dell'Addolorata, Chierico professo della Congregazione dei Chierici Regolari Scalzi della Croce e Passione di N. S. G. C, i quali miracoli vengono proposti per la Canonizzazione del medesimo Beato.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stalo il Santo Padre si è degnato di nominare:

5 ***aprile 1918.*** **Gli Emi signori cardinali Andrea Fmhwirth e Oreste Giorgi,** ***Membri della Suprema Sacra Congregazione del S. Offizio.***

24 » » **L'Eruo signor cardinale Basilio Pompilj, Vicario generale di Sua Santità,** ***Protettore dell'Istituto delle Suore dell' Assunzione.***

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

U ***aprile 1918.*** **Mons. Giovanni Augusto Francesco Eutropio Eyssautier, vescovo di La Rochelle.**

Protonotari Apostolici **ad instar participantium :**

27 mareo 1918. **Mons. Giuseppe Edoardo Bourret, della diocesi di Nicolet.**
17 aprile » **Mons. Camillo Rasimelli, dell'archidiocesi di Perugia.**

Prelati Domestici di S. S.:

22 ottobre 1917. **Mons. Dionigi Fouhy, dell'archidiocesi di Brisbane.**
17 dicembre » **Mons. Garret P. Murphy, della diocesi di Winona.**
» » » **Mons. Ottone Zachmann, della medesima diocesi.**
» » » **Mons. Giacomo Pacholski, della medesima diocesi.**
12 aprile 1918. **Mons. Giovanni Rho, dell'archidiocesi di Torino.**
16 » » **Mons. Domenico Gualtieri, di Roma.**
17 » » **Mons. Enrico Pezzani, di Roma.**
18 » » **Mons. Francesco Dittrich, dell'archidiocesi di Breslavia.**
25 » » **Mons. Sigourney W. Fay, dell'archidiocesi di Baltimora.**

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

12 marzo 1918. **Al sig. Casimiro Rigaud, dell'archidiocesi di Aix.**
6 aprile » **Al sig. Carlo Giuseppe Magnan, dell'archid. di Québec.**

H Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

6 aprile 1918. **Al sig. dott. Michele Kaufmann, dell'archid. di Colonia.**

La Commenda dell' Ordine di S. Silvestro Papa :,

5 aprile 1918. **Al sig. Luigi Oster, dell'archidiocesi di Colonia.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

5 aprile 1918. **Al sig. architetto Egisto Belletti, dell'archid. di Cesena.**
8 » » **Al sig. Francesco Bessel, dell'archidiocesi di Colonia.**
» » » **Al sig. Giacomo Weismantel, della medesima archidiocesi.**
» » » **Al sig. Costantino Hamm, della medesima archidiocesi.**
12 » » **Al sig. Andrea Sellini, di Roma.**

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rúa Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

3 novembre 1917. **Mons. Stefano Csaszik, della diocesi di Neosolio.**
» » » **Mons. Ludovico Grone, della medesima diocesi.**
31 dicembre » **Mons. Giovanni Hejtmánek, della diocesi di Königgratz.**
» » » **Mons. Francesco Proschwitzer, della medesima diocesi.**
17 gennaio 1918. **Mons. Emilio Pelikan.**
16 aprile » **Mons. Giulio Ciccioni, dell'archidiocesi di Perugia.**
» » » **Mons. Vincenzo Raschella, della diocesi di Gerace.**
» >> » **Mons. Giuseppe Piccolo, della medesima diocesi.**
17 » » **Mons. Mattia Kinn, della diocesi di Treviri.**

Cameriere Segreto di Spada e Cappa soprannumerario di S. S.:

10 gennaio 1918. **Il sig. barone Ermanno De Tinti, della diocesi di Linz.**

Cameriere d'onore in abito paonazzo di S. S.:

6 aprile 1918. **Mons. Vincenzo Séstito, della diocesi di Squillace.**

NECROLOGIO

24 aprile 1918. **Mons. Giuseppe Métrau, vescovo di Tulle.**
» » **Mons. Giuseppe Passerini, vescovo titolare di Acanto, vicario apostolico dello Scensì meridionale.**

Annus X - Vol. X 1 Iunii 1918 Num. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

MOTU PROPRIO

DE MISSA PRO PRAESENTIBUS SOCIETATIS HUMANAE NECESSITATIBUS DIE XXIX PROXIMI MENSIS IUNII CELEBRANDA.

BENEDICTUS PP. XV

Quartus iam annus ad exitum appropinqua t, ex quo, ut Europa bello flagrare coepit, Nobis Pontificatus maximi est onus impositum*; atque hoc toto spatio, uti non se remisit unquam, imo excrevit dimicandi furor, ita ne punctum quidem temporis respiravit animus Noster ab acri cura et sollicitudine qua ex tantis belli tamque ingravescentibus malis afficiebantur. Hanc enim seriem continuationemque rerum tristissimarum hucusque Nos sine intermissione inspectantes, non solum doluimus omnium doloribus, ut vere possimus illud Apostoli usurpare : « quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandali- « zatur, et ego non uror? »; sed etiam de iis quae et conscientia admonebat officii, Nobis divinitus attributi, et Iesu Christi caritas suadebat, nihil unquam, quoad potuimus, intentatum reliquimus.

Nunc vero in ea temporum conditione versamur, ut sponte occurrat recordatio illius Iosaphat regis, ita maximis in angoribus comprecantis : « Domine Deus patrum nostrorum, tu es

« Deus in caelo et dominans cunctis regnis gentium; in manu «tua est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resi- « stere... clamabimus ad te in tribulationibus nostris et exaudies <(salvosque facies... Deus noster... cum ignoramus quid agere de- « beamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros diriga- ((mus ad te »> (II *Par.*, xx, 6-12). Iam igitur omnem « sollicitudi- « nem Nostram proiicientes in Eum, »', cuius in arbitrio sunt hominum voluntates eventusque rerum, ab Ipso qui « castigando « sanat et ignoscendo conservat » illud exspectamus ut misericors tantis aerumnis finem celeriter faciat, rebusque sua pace compositis, regnum in hominibus iustitiae caritatisque restituat.

Sed primum omnium, iratus tam late diffusa contumacia peccandi, placandus Deus; idque prece humili ac supplici, quam scimus plurimum posse ad impetrandum, si quidem confidenter et perseveranter fiat. — Iam vero ad divinam maiestatem propitiandam nihil plus valet quam sacrosanctum Eucharistiae sacrificium, in quo Ipse Patri offertur qui « dedit redemptionem « semetipsum pro omnibus », « semper vivens ad interpellandum « pro nobis ». Ac recte Ecclesia animarum pastoribus legem constituit certis diebus *pro populo* eorum curis concredito sacrum faciendi : quibus praesertim diebus piissima mater divinam clementiam suorum filiorum necessitatibus vult conciliari. Quoniam autem rerum omnium quibus haec tempora indigent, ea est summa, ut rursus concordia et tranquillitate potiatur humana societas, Nobis visum est peropportunum, sacros pastores, in praecipua quadam Ecclesiae solemnitate, universos Nobiscum divinum sacrificium in eam causam offerre. Itaque Motu-proprio statuimus, ut die xxix proximi mensis iunii, natali Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, qui populi christiani praesidia sunt et firmamenta, quotquot ex officio Missam pro populo celebrare debent, eam celebrent secundum mentem quam diximus. Praeterea sciant ceteri ex utroque Clero sacerdotes fore Nobis gratissimum, si eodem die sacrum facientes suam quoque mentem Nostrae adiungere velint. Sic enim, toto catholicorum sacerdo-

tum ordine, in quavis ora ac parte terrarum, una simul Nobiscum sacrificante, maior aderit spes a divina bonitate impetrandi, ut illud tandem efficiatur, quod cuique est optatissimum : *Iustitia et pax osculatae sunt.*

Datum Romae apud sanctum Petrum die ix mensis maii, festo Ascensionis Domini, MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

EPISTOLAE

I

AD R. P. D. ALEXANDRUM KAKOWSKI, ARCHIEPISCOPUM VARSAVIENSEM, CETEROSQUE EIUSDEM PROVINCIAE ECCLESIASTICAE EPISCOPOS.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — In maximis, quibus premimur, difficultatibus ac sollicitudinibus internecivi huius belli caussa, quod cotidie vehementius, quasi novo igne igni subiecto, exardescit, miseriarum Dei benignitate aliquo identidem frui Nobis licet solacio, quo in spe confirmamur futurum, ut, disiecta aliquando hae tanta miseriarum mole, res eum habeant exitum qui catholico nomini aeternaeque hominum saluti bene vertat. Ita sane haud mediocrem cepimus animo voluptatem ex litteris, quas die xi mensis decembris ad Nos superiore anno dedistis; pietatem enim atque observantiam in Nos vestram amplissime professi, de maximi momenti consiliis Nos edocebatis, quae in Episcopali coetu, Varsaviae, eo ipso die, habito, ad rem catholicam novo ordine in Poloniae regno stabiliendam iniveratis. Nemini profecto, nedum Nobis, licebat de arctissima omnium vestrum Nobiscum coniunctione dubitare, quoniam in comperto est, perpetuo vos constanterque, in quavis aspera condicione rerum, cum Apostolica Sede cohaesisse; recentem tamen studiosae voluntatis erga Nos vestrae significationem pluris idcirco fecimus, quod commode in haec incidit tempora, quae et latiora publicarum utilitatum incrementa et plenam integramque avitae fidei libertatem catholicis Polonis maturare videantur. Rem plane gravem et laboriosam aggredimini, ad quam quidem oporteat vos, quavis opinionum dissensione remota, omnibus nervis contendere; si enim

conspirantibus in unum animis, inceptum persequemini, fieri nullo modo poterit, quin, opitulante Deo, communi actioni copiosiora religionis emolumenta respondeant. Ut vero peculiaris curae ac benevolentiae, qua vos operamque vestram prosequimur, luculentum publice edamus testimonium, simulque vota Nobis exhibita excipiamus, statuimus ad vos mittere, qui Nostram gerat personam, dilectum filium Achillem Ratti, Protonotarium Apostolicum et Bibliothecae Apostolicae Vaticanae Praefectum. Ad eum, uti Apostolicum Visitatorem, ecclesiasticae dumtaxat res pertinebunt; scilicet eidem mandamus, inspiciat quibus apud vos consiliis, facultatibus remediisque res catholica indigeat, in eaque, prout opportunius visum fuerit, ordinanda sit laborum vestrorum socius et consors. Is igitur, Apostolicam Sedem inter et Episcopos Poloniae interpres constitutus, cum optata Nobis vestra significare, tum sententias vobiscum Nostras facilius communicare poterit; èx quo sine ulla dubitatione sequetur, ut, quam suscepistis rerum instaurationem, ea ad Nostram plane vestramque mentem auspicato perficiatur. De cetero vix attinet hominem vobis commendare, quem sua ipsius pietas, religionis studium, rerum usus et pervagata apud omnes doctrina satis superque commendant; id tamen sciatis volumus, Nos sic egregio viro confidere, ut persuasum habeamus, eius officia Ecclesiis vestris fore plurimum profutura. At cum hominum nihil possint consilia, nisi iis omnipotentis Dei gratia obsecundet, impensis ab Eo flagitamus precibus ut caelestis sapientiae" donis mentes vestras illustret ac dirigat; quorum auspicem et conciliatricem, itemque paternae caritatis Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxv mensis aprilis anno MCMXVIII, Pontificatus Nostri quarto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD R. P. D. WILLIBRORDUS BENZLER, EPISCOPUM METENSEM, DE OFFICIOSISSIMIS LITTERIS GRATIAS AGENS.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Studii erga Nos tui non obscura perspeximus argumenta in epistola, quam ad Nos superioribus dedisti diebus. Occasionem enim nactus festi diei S. Benedicti omnem Nobis faustitatem precatus a Deo es, et ea, quae

toto hoc belli tempore et suscepimus et persecuti sumus consilia ac coepta caritatis, ita recoluisti, ut ostenderes quanti ea facias, quam grato prosequaris animo. Quam voluntatis significationem iunctam cum iudicii aequitate utinam habeant omnes, et non maleficia vel in collatis a Nobis beneficiis se accepisse arbitrentur! - Ea etiam recoluisti, quae belli eiusdem caussa parta dioecesi tuae sunt incommoda; sed, quae tua est pietas,, laetis tristia mitigasti solatium haud exiguum afferens iis, quae nuntiasti de cleri tui disciplina, in primisque de eiusdem constantia in tolerandi» belli ipsius calamitatibus. Vere fidelis est Deus, qui non patitur quemquam tentari supra id quod potest, imo etiam facit cum tentatione proventum! - Haec cum tuam legentes epistolam mente reputamus, tuo tuorumque fidelium dolore dolemus; Deumque comprecantes ut aspera haec, quibus iam diu urgemini, vertat in mitia, tibi, venerabilis frater, cui de delatis officiis gratias agimus ex animo, universaeque Metensi dioecesi, caelestium auspicem munerum Nostraeque testem benevolentiae apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxv aprilis MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD ANTONIUM S. R. 13. CARD. MENDES BELLO, PATRIARCHAM ULYSSIPONENSEM^ CETEROSQUE EPISCOPOS LUSITANIAE RESCRIBENS, EORUM PASTORALEM DILIGENTIAM LAUDAT.

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — In his temporum asperitatibus pergrata Nobis accidit communis epistola, quam vos mense februario proximo ex conventu Ulyssiponensi ad Nos misistis, ut vestrum in hanc Apostolicam Sedem obsequium, fidei pietatisque plenum, testaremini. In ea libenter etiam cognovimus vestra grati animi sensa ob Codicem Iuris Canonici nuper •promulgatum: unde, in iis quae ad disciplinam ecclesiasticam et animarum salutem pertinent, tam laeta fructuum optimorum exspectatur copia. Sed peculiarem in modum id placuit quod nuntiastis condicionem rei catholicae in Lusitania coepisse aliquanto esse meliorem ; quae quidem condicio iam pridem bonos omnes anxios sollicitosque habebat. Etenim hisce septem annis sacrosancta religionis catholicae iura

contemni ac violari vidimus: nec solum inconsulto atque etiam invito populo lusitano, qui pro parte longe maxima ab avis et maioribus catholicam professionem sequitur atque ex animo huic Sedi Apostolicae est deditus, per nefariam legem Ecclesiae et Civitatis est facta separatio; sed usque eo adversus Ecclesiam processit odium ut, intolerabiles in angustias coacta, facultate ipsa exercendi divini cultus impediretur. Notaque sunt omnibus gravissima incommoda quae religiosis Lusitaniae rationibus ab ea lege, restricte in usum deducta, manaverunt. Nos vero huiusmodi statum rerum, utpote per vim constitutum, numquam putavimus fore diuturnum ; nec desperavimus res Ecclesiae catholicae apud istam dilectam Nobis nationem in melius mutatum iri. Hanc spem confirmabat ante omnia flagrans erga Virginem Immaculatam pietas, qua tantopere pars ista dominici gregis nobilitatur: quae quidem pietas singulare quoddam divinae Matris auxilium merebatur. Illa quoque Nobis erat bene sperandi ratio, quod vos, indigna tolerantes pro Deo et iustitia, pastoralis diligentiae christianaeque fortitudinis praeclara semper' dedistis documenta: vestramque prudentiam cum alia ostendunt, tum praesertim litterae pastorales die xx ianuarii superioris anni communiter datae, quarum fecistis mentionem. Nunc igitur iis, quae scribitis, non parum recreati, confidimus fore ut, universis e clero et fideli populo vestram perseverantem operam concordi studio sequentibus, ceterisque bonis, quotquot praeiudicatarum opinionum expertes sunt, simul adnitentibus, exorata in primis Immaculatae Virginis ope, Ecclesia, celeriter in pristinam restituta dignitatem, sacrosancta sua iura libere exerceat ac suis propriis praerogativis perfruatur. Quod sane plurimum conferet ad eam plenam perfectamque Civitatis cum Ecclesia reconciliationem quae optimo cuique est in votis, quaeque lusitano populo maiorem afferet amplitudinem et prosperitatem. Auspicem divinorum munerum ac praecipuae benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, atque universae Lusitaniae apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxix mensis aprilis MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

IV

AD R. P. LAURENTIUM JANSSENS, ABBATEM BENEDICTINUM, QUI SUUM « DE HOMINIS NATURA » VOLUMEN NUPER EDITUM SUMMO PONTIFICI OBSERVANTIAE CAUSA OBTÜLERAT.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — E serie voluminum, in quibus Sancti Thomae Summam Theologicam ad studiosorum utilitatem commentaris, septimum quod est « De hominis natura », nuper editum pieque Nobis muneri oblatum, perlibenter accepimus. In quo quidem percurrendo, quantum per Nostras occupationes licuit, eadem illa inesse cognovimus quae in ceteris tuis scriptis probari scimus: id est rerum copiam, ex magna disciplinarum varietate collectam eamque dilucide explicatam, unde sincera Aquinatis doctrina ad illustranda et defendenda quae divinitus revelata sunt, quemadmodum haec tempora postulant, optime accommodetur. Quare gaudemus te in hoc genere eum evasisse quem Nos iam inde a condiscipulatu praevidebamus fore, cum apud Athenaeum Gregorianum in sacrae theologiae studiis explendesceres. Tu vero perge alacer, ut instituisti, ad ea quae restant, ut totum huius disciplinae corpus scribendo complectaris. Ita enim cumulum addes tuis in sacram iuventutem promeritis: cui quidem hunc tuum laborem valde fructuosum fore confidimus. Auspicem vero caelestium munerum, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peculiari cum benevolentia impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xxix mensis aprilis MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

V

AD REV. P. RICHARDUM H. TIERNEY, SAC S. I., SCRIPTIONE HEBDOMADALIS « AMERICA » MODERATOREM, DECIMO ANNO VERTENTE POSTQUAM VULGARI COEPTA EST.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Decimus hic annus est, cum primum ista cui praesides, scriptio hebdomadalis << America » in lucem prodiit, iis rebus accedens, quae ad vim divinitus insi-

tam Ecclesiae catholicae per superioris Americae fines explicandam conferunt. Etenim ephemerides et periodica scripta divulgare semper censuimus rem esse in primis effectricem opinionis communis: cumque hac via callidissime abutantur improbi ad ea disseminanda quae hominum mentes animosque dépravant, bonorum est non segnius per viam eamdem quaecumque sancta, digna, honesta sunt, diffundere. Hac mente vos istud operis suscepistis, ut catholica et principia et instituta cum sapienter illustrastis, tum ab omni impugnatione tempestive tueremini. Quod autem initio propositum habuistis, id perpetuo vos tenuisse ac magna cum utilitate civium, catholicorum praesertim, gratulamur; cupimusque ut de re catholica optime mereri pro vestra consuetudine perseveretis. Quicumque vero istic probe norunt, quanti sit aliquam et cogitandi normam et agendi in promptu habere, ne acriore contentione ac studio bonorum huius vitae obscurentur legis aeternae praecepta, quibus ipsa nititur civitatum salus, eos omnes velimus vobis pro sua quemque, facultate opitulari, quo latius instituti vestri beneficia proferre possitis. Atque auspicem divinorum munerum, quae, pro paterna in vos benevolentia, optamus uberrima, apostolicam benedictionem tibi, dilecte * fili, istiusque operis tum sociis tum adiutoribus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v mensis maii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

VI

AD IOSEPHUM S. R. E. CARD. FRANCICA-NAVA, ARCHIEPISCOPUM CATANENSEM, QUI DIOECESANAM SYNODUM INDIXERAT.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Optimum sane iniisti consilium Dioecesanae Synodi, post annum CCL quam superior istic habita fuerat, proximis his diebus concelebrandam Etenim cum iamdiu, qua es pastorali diligentia, id maxime optares, opportune quidem hoc in tempus rem distulisti, ut tandem, promulgato Codice, commodius ea quae omnino iuri canonico congruerent, in Synodo constituerentur. Neque imparatus negotium tam grave aggrederis: siquidem nihil fecisse te reliqui ad felicem rei successum, pròbe comperimus. Sed enim de praeclaris inde profecturis fructibus spem Nobis bonam faciunt

cum explorata prudentia tua, tum ea quae tecum est, tui cleri ex omni ordine summa coniunctio. Incumbe igitur in sanctum opus alacri animo, tuorum stipatus corona: Nosque interea Deum, ut suae gratiae vobis omnibus adsit afflatu, precari non omittemus. Atque auspex caelestium munerum benevolentiaeque Nostrae testis, apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, et omnibus qui istis interfuerint coetibus, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x mensis maii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

VII

AD R. P. PAULUM ALBERA, CONGREGATIONIS SALESIANAE RECTOREM GENERALEM, OB SOLEMNIA ANNI L EX QUO TAURINENSIS AEDES MARIAE AUXILIATRICIS DEDICATA EST, ET IPSE SACERDOTIUM INIIT.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Salesiani instituti quotquot sunt participes, adiutores et amici, iis omnibus dies nonus proximi mensis iunii dupliciter faustus accidet, quod abhinc annis quinquaginta et taurinensis aedes Mariae Auxiliatricis sollemni ritu dedicata est, et ipse, dilecte fili, rem divinam primitus fecisti. Etenim cum congregationi vestrae divina Mater, venerabilem conditorem studiose fovendo, affuit nascenti, tum adolescentem opportuna semper ope prosecuta est, ex quo praesertim suae erga vos benignitatis in eo templo tamquam principem sedem collocavit. Namque ibi optima quaeque inita sunt consilia quae ad perpetuum vestrorum operum incrementum pertinerent; ibi religiose custodiri atque ali consuevit, ductus a Francisco Salesio, multiplicis caritatis ardor in salutem animarum; inde alii ex aliis lectissimi sodales profecti sunt qui vel, iuventutem recte instituèrent, vel christianum nomen barbaris inferrent; eo denique velut ex fonte et capite perennis quaedam caelestium beneficiorum copia per universam Salesianorum familiam defluxit. Itaque iure dixeris omnes sodalitatis vestrae fastos Mariae Auxiliatricis religione consecrari. Feliciter vero contingit ut simul marianae huius aedis et tui sacerdotii natalis celebretur. Siquidem non parum, hoc, toto spatio, et consilii et studii et operae in societatis istius bonum contulisti: quam quidem vix inchoa-

tam ingressus, auctam nunc mirifice et ubique propagatam sollerter moderaris. Cum igitur omnes tui, communem Patronam venerantes, varias amoris significationes tibi undique daturi sint, huic quasi concentui gratulantium praeire admodum Nobis libet, qui praesentissimo Deiparae auxilio Nos cum tota Ecclesia maxime commendatos volumus, et salesianam sodalitatem merito habemus caram.. Eaque ut multos annos te rectore salvo et incolumi utatur, vehementer optamus. Auspicem autem caelestium donorum et paternae benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et omnibus qui sodalitatem vestram participant atque adiuvant, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xn mensis maii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto. •

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DROMORENSIS

ERECTIONIS SEU RESTITUTIONIS CAPITULI CATHEDRALIS

DECRETUM

Postulante Dromorensi Episcopo, ut, ad divini cultus splendorem in sua cathedrali ecclesia magis augendum itemque ad senatum digniorum sacerdotum sibi constituendum, apostolica auctoritate cathedrale Capitulum ibidem erigeretur seu restitueretur; SSmus D. N. Benedictus Papa XV, peropportunum hoc fore censens, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter eadem Sanctitas Sua de Apostolicae potestatis plenitudine, suppletoque, quatenus opus sit, quorum intersit vel sua interesse praesumant, consensu, hoc Consistoriali decreto petitum Capitulum in cathedrali ecclesia Dromorensi erigit et instituit seu restituit, constans duabus dignitatibus Decani et Archidiaconi et duobus officiis Theologi et Poenitentiarii et quinque canonicis simplicibus, eique omnia iura, privilegia et indulta attribuit, quae ceteris Capitulis cathedralibus, praesertim Hiberniae, ex iure vel legitima consuetudine competunt.

Quoniam vero presbyteri in canonicos eligendi aliis ecclesiasticis muniis, praecipue cura animarum, distenti sunt, ac praeterea deficiunt in praesens canonicales praebendae, SSmus Dominus, quousque erecti canonicatus congrua praebenda aucti non fuerint, eosdem capitulares a residentia in urbe episcopali et ab oneribus choralibus interea eximit et dispensat, exceptis diebus aliquot solemnioribus ab Episcopo determinandis, facta tamen Episcopo facultate eosdem canonicos convocandi quoties ipse opportunum iudicaverit ad dioecesis vel Capituli negotia agenda circa quae, ex sacrorum canonum praescripto, Capituli sententia est exquirenda.

Praeterea Sanctitas £>ua mandat ut canonicatuum collatio fiat ad tramitem iuris, cum reservationibus in Codice statutis (cap. III, tit. XXV), postquam praebendae constitutae fuerint; interim vero, perdurante scilicet praebendarum defectu, Episcopus eosdem canonicatus libere conferat prout in Domino expedire iudicaverit, duabus tamen dignitatibus Decanatus et Archidiaconatus exceptis, quarum collatio quovis alio tempore erit S. Sedi reservata, non autem hac prima vice. Semper insuper servetur ut ecclesiastici viri antequam sui beneficii possessionem recipiant, solemnem fidei professionem ac iusiurandum contra modernistarum errores, iuxta statutas formulas, emittant.

Cum denique opportunum sit ut qui in Episcopi consilium ac senatum adsciscantur, habitu quoque aliqua ratione a ceteris distinguantur' eidem Ssmo D. N. placuit ut dignitates et canonici Dromorenses insignia ac vestes canonicales in choro deferre queant, quibus utuntur canonici ac dignitates aliarum cathedralium ecclesiasticae provinciae Armacanae.

In ceteris vero omnibus Sanctitas Sua voluit ut iuris communis praescripta et in primis Tridentini Concilii adamussim serventur.

Ad haec autem omnia exsecutioni mandanda SSmus D. N. deputare dignatus est ipsum hodiernum Episcopum Dromorensem, eidem tribuens facultates omnes ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet ecclesiastica dignitate ornatum, facto tamen eidem onere intra sex menses ad hanc Sacram Congregationem Concistorialem mittendi authenticum exemplar peractae exsecutionis.

Quibus super rebus eadem Sanctitas Sua praesens edi iussit Consistoriale decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo litterae expedirentur, contrariis quibusvis non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 25 aprilis 1918.

ifc C. CARD. DB LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

DECRETUM

CIRCA. CLERICORUM FREQUENTIAM IN LAICIS UNIVERSITATIBUS

Nemo de sacro clero laicas Universitatum facultates frequentare potest ibique profana quaevis studia peragere, nisi de Episcopi sui voluntate vel beneplacito. Id ex praescriptis Codicis canonici aperte deducitur. Neve haec dispositio nova est aut primum inducta. Etenim tum Leo XIII, tum Pius X, f. ambo r., id aperte sanxerunt; alter per *Instructionem* sub die 21 iulii 1896 a Sacra Congregatione EE. et RR. ad Ipsius mentem impertitam, quaeque incipit *Perspectum est Romanos Pontifices,* alter vero in Encyclica *Pascendi* sub die 7 septembris 1907, necnon *Motu Proprio* diei 1 septembris 1910, qui incipit *Sacrorum Antistitum.*

Hinc patet totam hanc de frequentandis Universitatibus laicis materiam in Episcoporum iure ac potestate esse positam, nec deesse regulas quibus ipsi in re dirigantur.

Quoniam tamen nonnulli locorum Ordinarii pressiores exquisierint normas, quibus ipsi ex iure procedant, ac maxima caveantur discrimina quae ex diuturna tristique experientia tam vitae sanctitati quam catholicae doctrinae puritati sacerdotibus laicas Universitates celebrantibus impendunt; Ssmus D. N. Benedictus PP. XV, causa prius rite discussa penes S. C. Consistorialem, de consulto Emorum eiusdem S. Congregationis Patrum, Decessorum Suorum Leonis XIII et Pii X supra memoratas ordinationes confirmans easque in suo pleno robore permanere declarans, haec insuper edicenda ac statuenda suoque nomine promulganda constituit:

1. Nullus ad laicas Universitatum facultates destinetur nisi sacerdotio iam auctus, quique spem bonam ingerat fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem tam ingenii vi ac perspicacia, quam sanctitate morum adiiciat.

2. Episcopus in destinando sacerdotes suos ad laicas studiorum Universitates frequentandas nihil aliud prae oculis habeat, nisi quod dioecesis suae necessitas vel utilitas exigat, ut nempe in Institutis ad iuventutem erudiendam destinatis idonei comparentur magistri.

3. Qui, pro hac norma, ad Universitates laicas frequentandas destinabuntur sacerdotes, si novensiles sunt, ab examinibus, quae in can. 130 et 590 praescripta sunt, minime eximantur, quin potius eadem subire vel strictius iubeantur, ne, profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant, contra praescriptum can. 129.

4. Expletis demum in laica quavis Universitate praescriptis studiorum cursibus, sciant sacerdotes ac meminerint se Ordinario suo pari omnino ratione ac antea subiectos ac dioecesis servitio manere émancipâtes. Quamobrem nemini fas erit magisteria saecularia aliave officia pro suo lubito, maximeve contra Ordinarii sui voluntatem, suscipere; quod si quis fecerit, congruis poenis, non exclusa suspensione a divinis, plectatur.

5. Haec omnia quae de clero saeculari sunt dicta, religiosos etiam regulares, congrua congruis referendo, sunt applicanda.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 30 aprilis 1918.

£ß C. CARD. DE LAI, Episc. Sabinen., *Secretarius.*

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

III

DECRETUM

DE CURA SPIRITUALI MILITANTIUM IN CLASSI FRANCORUM

Ut spirituali regimini clericorum in classi Francorum aut militantium aut cappellanorum officio fungentium melius provideretur, prouti cum militantibus in terrestri Francorum exercitu per decretum diei 19 novembris 1917 actum iam est, SSmus D. N. Benedictus PP. XV statuit ac decrevit eorum omnium Inspectorem constituere; et hisce S. Congregationis Consistorialis litteris constituit Rmum D. Felicem Guillibert, Episcopum Foroiuliensem et Tolonensem cum potestate ordinaria sacerdotes omnes et Seminariorum alumnos, dum in classi manent, in iis quae ad animarum regimen et curam pertinent, dirigendi et gubernandi, tamquam proprium eorum Ordinarium, ad tramitem sacrorum canonum. Itaque Seminariorum alumni et sacerdotes universi, qui in Francorum classi, qualibet de causa, versantur, memorato Inspectori debitam reverentiam et obedientiam, in iis quae ad regimen et curam animarum pertinent, ex conscientia tamquam Ordinario suo praestabunt.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae— Congregationis Consistorialis, die 30 aprilis 1918.

)$(C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. % S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor,*

IV

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, Ssnlus D. N. Benedictus PP. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

19 aprilis 1918. — Cathedrali ecclesiae Cuschensi praefecit R. P. D. Petrum Paschasium Farfan, hactenus episcopum de Huaraz.

25 aprilis. — Metropolitanae ecclesiae Lancianensi R, P. D. Nicolaum Piccirilli, hactenus archiepiscopum Compsanensem et Campaniensem.

1 maii. — Metropolitanae ecclesiae Philadelphiensi R. P. D. Dionysium Dougherty, hactenus episcopum Buffalensem.

11 maii. — Cathedrali ecclesiae Trentonensi R. D. Thomam Walsh, Cancellarium ecclesiae Buftalensis, et in eadem civitate rectorem ecclesiae Sancti Iosephi.

17 maii. — Cathedrali ecclesiae Sancti Christophori de Laguna R. D. Gabrielem Llompart, presbyterum dioeceseos Maioricensis, ibique canonicum.

18 maii. — Cathedrali ecclesiae Gadicensi R. D. Martialem Lopez Criado, presbyterum dioeceseos Cordubensis, ibique canonicum lectoralem.

SACRI CONGREGATIO CONCILII

MELEVITANA

PRAESTATIONIS

21 aprilis 1917

SPECIES FACTI. - Controversiae huius initium ipse Episcopus Melevitanus litteris ad hanc **S.** Congregationem datis die 15 februarii 1916* paucis referebat. Praemisso, videlicet, quod ab immemorabili, Episcopo visitanti episcopalem civitatem vulgo ***Notabile,*** cum suburbio vulgo

Rabato, in quo exstat ecclesia **S.** Pauli extra moenia, Archipresbyter Cathedralis consuevisset *vitulum* quemdam donare seu tradere (sicut etiam usuvenit vitulum tradi in iisdem circumstantiis, ab Archipresbyteris Collegiatarum locorum *Valletta* et *Vittoriosa),* ac enarrato quod nuper locus ille, *Rabato* nomine, a territorio paroeciae Cathedralis fuerit separatus et cum praedicta S. Pauli extra moenia ecclesia in propriam paroeciam erectus, conquerebatur Episcopus hodiernum Archipresbyterum Cathedralis sese iam censuisse a praestatione vituli liberatum, non obstante quod eius praedecessor, semel et iterum post peractam paroeciae subu?-banae separationem, huiusmodi praestationi plene satisfecisset. - Ne igitur in causam propriam videretur iudicium ferre Episcopus, omnibus deductis quae ad rem facere censebat, subortam quaestionem ad hunc S. Ordinem resolvendam detulit, quaerens nimirum :

1) *An standum sit praedictae immemorabili consuetudini.*

Et quatenus, *affirmative:*

2) *An, attenta separatione Ecclesiae S. Pauli extra moenia a parochiali Ecclesia Cathedrali, onus praestandi vitulum Episcopo visitanti, incumbat Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis, vel parocho S. Pauli extra moenia, vel utrique in solidum?*

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - *Ex parte Archipresbyteri Cathedralis* argumentatio sic conficitur. Vitulus in casu, nonnisi locum tenere potest *procurationis,* seu victualium quae ad normam Tridentinae Synodus Episcopo visitanti debentur, muneribus quibuscumque, quovis titulo, vel gratis oblatis, exclusis (c. 3, sess. XXIV, *de ref.).* At iuxta innumeras h. S. O. resolutiones, victualia non debentur ab ecclesiis visitatis in locis ubi Episcopus suam habet residentiam; hinc vituli praestatio in casu sic interpretanda est, ut victualia sufficiat Episcopo debita pro visitatione ecclesiae S. Pauli in suburbio positae. Verum, cum Archipresbyter Cathedralis, huius ecclesiae parochus iam non exsistat, ab adiecta obligatione liber seu exemptus evasit. Ad singula:

Origo et causa seu titulus illius praestationis ignoratur omnino ; attamen titulus necessario quaerendus est qualis sit; ab eo enim agnito dumtaxat pendet quaestio utrum Archipresbyter pergat teneri: si enim nunc in Archipresbytero deficit titulus unde antea tenebatur, deficiente titulo cessat profecto obligatio.

At vero nullus titulus, attentis omnibus circumstantiis, inveniri seu assignari potest huiuscemodi praestationis, excepto titulo *procurationis,* seu potius victualium Episcopo visitanti debitorum. Id in primis probatur ex hoc, quod, teste Episcopo, vitulus semper solvebatur Episcopo

occasione visitationis civitatis *Notabile* cum suburbio : et si episcopus provocat ad simile exemplum duarum Collegiatarum S. Pauli ' in civitate Valletta et in civitate Vittoriosa, idipsum plane confirmat, quum ultro concedat vitulum in utroque casu praestari, prout in nostro, dumtaxat occasione sacrae visitationis. Iamvero occasione sacrae visitationis nihil, prohibente S. Tridentina Synodo, praestari a visitatis et ab Episcopo acceptari ullo titulo vel nòmine potest nisi dumtaxat victualiä, quae communi vocabulo *procuratio* audiunt. << Caveant - ita legitur « C . 3, sess. XXIV, *de ref.* ***r*** ne ipsi, aut quisquam suorum, quidquam « procurationis causa pro visitatione, aut alio quovis nomine, nec pécu**le** niam, *nec munus quodcumque sit,* etiam qualitercumque offeratur^ accipiant, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemoràbili; *« exceptis tamen victualibus,* etc. ». Si igitur hinc, Episcopo fatente, ignoratur origo illius praestationis, quam tamen certum est fieri dumtaxat occasione visitationis, inde vero apertissimo iure constat hac occasione nonnisi victualia praestari posse, luculenter concluditur originem huius praestationis esse in victualibus : quaecumque enim esset illicita esset : et quaerenda potius est illi praestationi origo licita ac sacris canonibus conformis, quam illicita et reprobata.

Praeterea: alius titulus congruus praestationi assignari non potest. Tituli enim ex quibus Episcopus aliquam praestationem a subditis exigere potest, in fontibus iuris et in communi doctrina, reducuntur ad sequentes : cathedraticum seu synodaticum ; seminaristicum seu alumnaticum; subsidium caritativum ; procuratio canonica et taxae Cancellariae episcopalis, quae solent contineri sub nomine *legis dioecesanae.* Ast *de taxis* Cancellariae in casu non potest esse quaestio: nec quaestio esse valet de *seminaristico,* cum non agatur de largitione ad fundum seminarii, sed in favorem ipsius Episcopi praestanda. *Subsidium caritativum* inde excluditur, quod occasionaliter tantum hoc petitur in necessitate publica Ecclesiae v. gr. pro reparatione ecclesiae cathedralis. Ipse porro Episcopus negat in casu esse quaestionem de *cathedratico,* triplicemque dat rationem: quod secus esset petendum a singulis beneficiis et ecclesiis, ad normam cap. 16, *de offic, iudic, ordin.;* quod esset solvendum in pecunia et quod non posset postulari in visitatione; quae rationes sunt verae omnes et singulae (Cf. Benedictum XIV, De *Synodo dioec,* 1. V, cap. 6). :

Solum ergo superest ut agatur de *procuratione canonica* propter visitationem. Nam quod sit *obsequium* independenter a quovis titulo canonico, hoc ab Episcopo non probatur et parum est verisimile, sine *ullo* titulo canonico coepisse Archipresbyteros Ecclesiae cathedralis

liberaliter Episcopo vitulum offerre, et intendisse insuper se et successores ad illam praestationem semper faciendam *obligare.*

Quo posito, nempe praestationem vituli, in casu, rationem habuisse procurationis, seu potius victualium, superest inquirendum pro qua visitatione illa fuerit persolvenda: haec autem quaestio expeditissima est : enimvero Archipresbytero imminebat in primis onus curae animarum de paroecia Cathedralis, sed insimul eidem commissa fuerat ab antiquo cura paroeciae S. Pauli extra moenia, loci Rabato. Iamvero nihil soh vendum esse Episcopo visitanti ecclesiam cathedralem, sicut alias ecclesias, loca pia, et clerum civitatis in qua Episcopus sedem habet, resolutum saepius fuit ab hac S. Congregatione, teste Pallottini, *Collect. Resol.,* vol. IX, pag. 494 s. : immo per se, nec in visitatione paroeciae suburbanae debentur Episcopo victualia, nisi a civitate ubi moratur Episcopus saltem tertio distet milliario (cf. Pallottini, 1. c, p. 496 s.).

Ergo praestatio vituli rationem habere nequit in casu nisi procurationis/seu victualium, debitae Episcopo pro visitatione ecclesiae S. Pauli, non autem Ecclesiae Cathedralis.

Ostenso autem in casu quaestionem esse de tali procuratione, in praesenti controversia dubium iuris est facilis solutionis. Ab archipresbytero nempe ecclesiae Cathedralis praestabatur vitulus Episcopo accedenti ad visitandam paroeciam S. Pauli extra muros, quamdiu haec erat unita ecclesiae Cathedrali. Facta dissolutione illius unionis, per erectionem ecclesiae S. Pauli in paroeciam independentem, Archipresbyter Ecclesiae Cathedralis iam non tenetur solvere procurationem Episcopo visitanti ecclesiam ad eum nullo titulo pertinentem. Procuratio namque solvenda est *a visitatis,* non ab aliis; iam vero, facta separatione paroeciae S. Pauli, dum haec visitatur, nullo modo potest dici visitatus Archipresbyter,

Quod autem attinet novam suburbanam paroeciam S. Pauli (si Archipresbytero in rem iam non suam interloquendum sit) iam nec potest invocari consuetudo, dandi *vitulum* pro victualibus, quia illa consuetudo cum obiecto cessavit. Sed quoad paroeciam noviter erectam est applicandum ius commune, sub quo nascitur et iuxta quod in primis non debetur procuratio a paroeciis suburbanis, si hae parum distent a civitate episcopali; et, secundo, in potestate illius, qui visitatur, est, vel dare victualia, vel summam pecuniae, quae victualibus aequivalet; nec Episcopus potest cogere visitatum ad determinatum modum praestationis, etiamsi adesset consuetudo (Conc. Trident., 1. c.): unde in casu non potest obligare novum parochum ad praestandum determinate *vitulum nisi* aliter in erectione cautum fuerit, de quo in casu non constat.

Stante igitur quod, in praesenti, nec Archipresbyter Cathedralis nec parochus S. Pauli extra moenia, teneantur singuli vitulum de quo tradere, iam exclusum est quod in postrema parte alterius dubii suggerere videtur Episcopus, nempe obligationem hanc utrumque in solidum gravare.

Ex parte autem et in favorem Episcopi haec animadvertebantur. Agitur in themate de consuetudine immemorabili, ab Episcopo invocata et ab Archipresbytero ultro admissa, vi cuius alteri ius est habere vitulum ab altero, occasione visitationis in civitate *Notabile.* Huius consuetudinis, cum nec origo nec causa cognoscantur, non tenetur Episcopus *titulum* suae possessionis docere, cum ipsa *immemorabilis* possessio per se titulum constituat, et quidem *meliorem de toto mundo,* prout Interpretes passim docent. Unde quamdiu Archipresbyter, argur mentis, non quidem hypotheticis, sed *certis,* non probet illam possessionem inniti titulo illegitimo, vel vitioso, vel cessato, ab obligatione praestandi vitulum non debet absolvi.

Non est dubium, quin prima fronte illa consuetudo videatur odium iuris habere, et hinc canonico titulo destitui, cum vitulus percipiatur *occasione visitationis,* et Concilium districte inhibeat, quominus munera offerantur et a visitatoribus percipiantur. At in primis considerari potest, quod consuetudo, quae hominum excedit memoriam, eo vim suam exserit, ut supponere faciat privilegium apostolicum; unde ad rem docent auctores cum Fagnano: « regula est, consuetudine plusquam centenaria acquiri « posse quidquid potest per privilegium obtineri » (c. *Cum contingat,* de foro compet, 8). Exinde explicatur doctrina illorum auctorum, qui tenent Concilium in cap. 3, sess. 24, consuetudines immemorabiles, *iam existentes* abolevisse, non vero eas, quae, quamvis difficulter, *successive enasci possent;* cum, stante prohibitione, nonnisi per privilegium aliae initium habere potuissent. In casu autem non demonstratur consuetudinem huius praestationis Concilii Tridentini aetatem antecessisse; sed immo certa documenta quae de illa testantur xvni saeculum non excedunt.

insuper, prohibitione Episcopis facta quidquam accipiendi *pro* visitatione vel eius praetextu, salvis expensis, non videtur inhibitum eisdem fuisse aliquid, *ea occasione,* accipiendi, quod ex titulo, visitationem non attingente, sit aliunde debitum. Prohibentur utique Episcopi exigere occasione visitationis, cathedraticum, prout non semel declaravit H. S. C, sed idem extendi nequit ad exactionem aliorum tributorum, sive generali, sive particulari titulo spectantium: immo *exceptio firmat regulam in contrarium.* Quod si difficile sit aliquem titulum iuris praestationi vituli assignare, ex iis qui recensentur in fontibus iuris et in communi

doctrina, inde non sequitur, quod praestatio necessario retineri debeat tamquam *procuratio,* victualium *loco,* vel tamquam munus seu *obsequium* a conciliari decreto prohibitum. Etenim, praeter titulos *generales,* quibus Episcopi, pro rerum necessitate, aliquid a suis subditis iii genere exigere valent, plures alii, *particulares* et individui, adesse possunt, a iure non improbati, quorum intuitu particularis Ecclesia vel persona aliquid' Episcopo tribuat, quod tamen aliae ecclesiae vel personae praestare non tenentur. Et exemplum nobis praebetur ipsa allegatione Archipresbyteri, qua docemur, Archipresbyterum ex consuetudine immemoriali solere Episcopo offerre ramum floribus ornatum in Dominica palmarum, quin huius oneris vestigium reperire datum sit in fontibus iuris vel in communi doctrina, et quin ceteri parochi dioecesis ad tale obsequium Episcopo exhibendum teneantur.

Nec magis solida videtur ratio ab Archipresbytero adducta ad retinendum, agi in casu de procuratione ob visitationem *paroeciae suburbanae,* ex "eo desumpta, quod eadem procuratio non sit debita ex parte ecclesiae Cathedralis, non sitae in loco quo Episcopus suam retinet sedem. Siquidem, imprimis, eadem ratio retorqueri facile potest ad ostendendum praestationem vituli *ex alia* causa ortum habuisse, quam ex procuratione; nam etiam tunc Episcopo prohibetur procurationem exigere a paroecia suburbana, quando haec ab illius civitate non distat saltem tertio milliario, et in casu minime tanta est distantia paroeciae S. Pauli loci Rabato a civitate episcopali vulgo *Notabile.* Hinc, secundo, etsi luberet insistere in natura *procurationis,* non videtur adesse ratio, cur ad visitationem paroeciae suburbanae, et non etiam Cathedralis, sit illa restringenda. Si enim a procuratione danda exemptae manent non solum Ecclesiae et clerus civitatis episcopalis, sed et ecclesia clerusque suburbii, ab illa tertio milliario non distantes, et in casu de facto praestiti vituli ambigi nequit, concludendum est, si velimus in ratione *procurationis* insistere, non satis probari utrum pro ecclesia in casu illa praestatio sit debita, et in specie non satis probari eam non fuisse, nec esse debitam pro visitatione ecclesiae ipsius cathedralis; unde sequitur archipresbyterum ex demonstratis ab onere praestationis non satis relevan. Melius tamen concluditur praestationem illam ex alia causa seu titulo particulari, quod non sit procuratio, esse derivandam.

Ceterum animadvertendum est constare ex Actis Capitularibus, vol. IX, fol. 143, die 26 ianuarii 1768 decretum fuisse peculiarem summam solvendam esse Archipresbytero, ex reditibus Capituli, praecise in compensationem oneris quod ad eo ferendum est in praestatione vituli: quam summam, sicut antecessores hodierni Archipresbyteri exinde perce-

perunt, ita ipse, nemine refragante, hodie percipere potest: unde liquet non modo ullum ius, sed nec *interesse* - uti aiunt - ullum, archipresbyteri ex controversa praestatione laedi; si vero ea summa, praesentibus in rerum adiunctis, oneri inadaequata apparet, nec renuet Episcopus, post definitam quaestionem *iuris,* circa meram hanc *facti* circumstantiam de bono et aequo transigere.

Tandem, in hypothesi quod Archipresbyter ex facta paroeciarum dismembratione non amplius teneretur ad vitulum Episcopo offerendum, subditur ab eodem subordinate nec teneri parochum S. Pauli loci Rabato, quia *nova* paroecia iure communi regenda est. At *in facto* animadvertere praestat, quod haec paroecia haud nata est ex *dismembratione* territorii parochiae Cathedralis, ita ut *nova* dici possit, communi iure regenda, sed est paroecia praeexistens, quae fuit successive unita Archipresbyteratui ecclesiae cathedralis et ei, parochialitatis statu firmo manente, sub unico rectore, per duo circiter saecula subiecta mansit. Cum igitur hodie illa unio dissoluta fuerit, utrumque beneficium suam primaevam autonomiam, ut aiunt, est adeptum: unde, salva novitate exclusivi et individui rectoris, in ceteris paroecia regunda est iuribus et consuetudinibus, quibus per saecula est usa.

RESOLUTIO. - Propositis itaque in plenario conventu Emorum ac Revmorum Patrum S. Congregationis Concilii, habito die 21 aprilis 1917, dubiis supra relatis ab Ordinario Melevitano reverenter subiectis, responsum prodiit:

« Ad I et II. Ex hactenus deductis non satis constare de exonerare tione Archipresbyteri parochi Cathedralis ab obligatione praestandi « vitulum Episcopo, occasione sacrae visitationis, in casu ».

Facta autem de praemissis relatione Ssmo Dno Nostro Benedicto Div. Provid. PP. XV per infrascriptum S. Congregationis Secretarium, in Audientia die 23 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbare et confirmare dignata est.

L MORI, *Secretarius,*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

BURDIGALEN, SEU VICTORIEN.

DECRETUM INTRODUCTIONIS CAUSAE BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI GUILELMI IOSEPHI CHAMINADE, SACERDOTIS FUNDATORIS SOCIETATIS MARIAE.

Saeculo decimo octavo exeunte, post acerrimam illam calamitatem quae Gallias omnes perturbaverit, divina Providentia, homines et nationes mirabili dispositione regens et gubernans, plurimos suscitavit in Ecclesia viros et sacerdotes scientia, virtute et religione praeditos ad tot tantasque illatas ruinas reparandas et ad christianam fidem et honestatem cum publica tranquillitate ac pace instaurandam. Ex his Dei servus fidelissimus apparuit Guilelmus Iosephus Chaminade, sacerdos et fundator Societatis Mariae, qui Aquitaniae regiones, maxime Burdigalensem aliasque finítimas dioeceses, perlustrans, opere et sermone, uti stremms missionarius, adlaboravit. Petrocorii, die 8 aprilis an. 1761, a piis honestisque parentibus tertius decimus filius ortus est, eademque die baptizatus Guilelmi nomen accepit. Domi christiana institutione imbutus, una cum genitrice ad templum et ad sacra accedens, devotus orabat. Decennis sacro chrismate confirmatus alterum sibi nomen assumpsit Iosephum, ob peculiarem devotionem et fiduciam erga Deiparam Virginem eiusque purissimum Sponsum. In urbe natali prima litterarum elementa didicit, deinceps in vicino oppido Mussidano, ubi duo eius fratres, ex quibus unus sacerdos, Collegio praefecti erant, humanioribus litteris alacriter incubuit. Interim studio et pietati deditus, sacram synaxim multo cum animi sui gaudio et adstantium aedificatione primum recepit. Sodalitio sancti Caroli, quod ex Collegii magistris constabat, ipse quoque, licet ex alumnis, ob praecipua merita adscriptus virtute adeo praestitit ut facile ab eius conscientiae moderatoribus ad religionis vota, etsi privata, admissus fuerit. Quum gravi vulnere in pede afflictus esset et, per bimensem curatus, nullum salutaris artis remedium sibi prodesse vidisset, patrocinio Deiparae Virginis confisus, ad celebres eius

aedes s *Verdelais* in loco sitas peregrinan promisit. Mox pedis integritate mirifice restituta, sanus et pedester iter satis longum aggressus est et promissam peregrinationem feliciter absolvit. Burdigalae philosophiae curriculo expleto, incoepta ibidem theologica studia in Parisiensi Seminario S. Sulpitii cum peculiari diligentiae et profectus laude complevit, atque rite adeptus lauream theologalem ad sacrum sacerdotii ordinem ascendit, anno aetatis suae vigesimo quarto. Tunc Mussidanum ad fratres suos germanos Ioannem Baptistam et Ludovicum sacerdotes et ipse sacerdos reversus, collegium haud amplius, ut antea, prosperum, fratrum curis suas adiiciens alacriores, etiam praeceptoris et ratiocinatoris officia gerens, ad pristinum florentem statum restitui curavit. Insimul sacerdotale ministerium salutariter obivit tum in nosocomio infirmorum tum in sacris aedibus, praesertim in ecclesia Deiparae Virginis *Nôtre Dame du Roc* nuncupatae, cuius cultum impenso studio fovit et auxit. Exorto autem an. 1789 in Gallia Ecclesiae et reipublicae tempestate, rerumque humanarum ac divinarum subversione, Iosephus ejusque fratres propositum clericis iuramentum, a constitutione civili cleri appellatum, ne iniustis impiisque legibus tuendis et servandis fidem darent, virili ac christiana fortitudine et constantia renuerunt. Inde Dei famulus, Mussidanensi Collegio relicto, Burdigalam, an. 1791 in finem vergente, se contulit, ubi clam vivere coactus fuit. Attamen prudentia simul et zelo pollens, domos et latibula, Deiparae auxilio a quovis vitae periculo incolumis, perlustrans, sanis et aegrotis sacra ministrabat, clericos transfugas in Ecclesiae gremium reducere satagebat, atque in sacello ubi pro Christifidelibus oratorium constituerat, eosdem poeni*i*entes clericos excipiebat ad eorum perseverantiam in fide et religione tutandam. Accidit autem, ut durissima lex omnes sacerdotes, qui vellent obedire potius Deo quam hominibus, e patria exulare iuberet. Quare Iosephus an. 1797 in Iberiam transiit et Caesaraugustana, tamquam locum refugii, concessit; ubi per triennium labore manuum, sacris imaginibus creta fingendis, victitans, reliquum tempus studiis rerum monasticarum ac pietatis, et caritatis operibus in suam proximique utilitatem impendebat. Frequenter et devote orabat in templo Beatissimae Mariae Virgini de Columna sacro, et ante celeberrimum eius altare se primum accepisse lumen et inspirationem condendi Societatem Mariae ipse Iosephus postea patefecit. Vix deinde licuit, Burdigalam ad suos rediit, variasque pias sodalitates pro pueris et puellis, pro matronis et patribus familias, pro opificibus et litteratis, veluti sectiones unius Congregationis ab immaculata Conceptione, solerti studio et industria rexit et amplificavit, constituto insuper horum operum et marianae congre-

gationis centro in Sacello S. Mariae Magdalenae. Quos et quot bonos et uberes ediderit fructus huiusmodi Congregatio eum suis sodalitiis non solum in civitate et archidioecesi Burdigalehsi, sed etiam in aliis dioecesibus, praesertim in finitima dioecesi Bazensi, postea eidem archidioecesi adiuncta, cuius administrationem per aliquod temporis spatium legitime tenuit Dei famulus, testes probati et acta processualia clare demonstrant. Alterum quoque opus, *a Misericordia* nuncupatum, pia foemina *de Laniourous,* ipso semper Iosepho suadente et moderante,. Burdigalae instituit in quo perditae ac dissolutae mulierculae asylum habebant necessariis opportunisque subsidiis communitum, ut, a mundanis conversationibus et voluptatibus remotae et ad bonam frugem conversae, honestam christianamque vitam ducerent. Tandem quod in templo Caesaraugustano, ante altare Deiparae Virginis, superno lumine illustratos, exeogitaverat P. Chaminade, et, adscitis sibi in socios duodecim iuvenibus ad regulam vitae communis et religiosae observandam et ad opera misericordiae in proximos peragenda, Burdigalae inceperat, hoc per duplicem .societatem, opitulante Deo, rite ac feliciter perfecit. Anno enim 1817 Dei famulus, cum pusillo grege lectissimorum iuvenum, ad altare et sub patrocinio Deiparae Virginis se suosque alumnos divina servitio sponte offert ac devovet, atque Societatem Mariae condit, progressu temporis usque in praesens magis auctam et propagatam atque in tres classe distinctam, nempe sacerdotum, laicorum litteris pollentium et opificum. Sodales primi die 5 septembris an. 1818, adprobante Episcopo,, tria religionis vota nuncuparunt, addito duplici voto tum stabilitatis, tum docendi populum ad efformandos et multiplicandos veros Dei et Ecclesiae filios probosque patriae cives. Alteram quoque religiosam familiam fundavit Iosephus a Filiabus Mariae appellatam, cuius primae sodales virgines, praeeunte domina *de TrenquelMon,* in ipsius institutoris manibus religiosa vota emiserunt. Deinde duo tertii Ordines Filiarum Mariae accesserunt, eodem Iosepho auctore, unus saecularis et alter regularis,, qui postremus, etsi non claustralis, tamen regulas claustralium fideliter observans, potissimum in agris opera et officia sua explicabat. Hisce- omnibus sodalitiis constitutis, Dei famulus, meritis dives, iam ad octogesimum aetatis annum pervenerat, cum gravissima in ipsum surrexit tentatio excitat^, qua, Deo permittente, multiplex eius virtus per regiam crucis viam in asperis et adversis solidior et clarior eluxit. Denique Dei famulus, aetate devexa, laboribus et angoribus fractus ac debilitatus,, die 6 ianuarii anno 1850, dum sacris libris legendis intendit, repente apoplético ictu percutitur, qui, licet eius corpus affligit et loquelam adimit, tamen mentis intelligentiam animique vires minime offendit.

S. Congregatio Eituum

A parocho ecclesiae Burdigalensis S. Aloisii sacra synaxi refectus atque extrema unctione roboratus, die 22 eiusdem mensis ianuarii, dum crucifixi imaginem osculatus, eam ad pectus admovet, adstantibus alumnis paterne benedicens, spiritum Deo reddit. Exequiis sacro et solemni ritu persolutis cum cleri et populi concursu, Iosephi exuviae in coemeterium Chartusianorum delatae ibique tumulatae in pace quiescunt, insculpta supra sepulcrum eius effigie atque inscripto memoriae et honoris titulo. Interim fama sanctitatis servi Dei in vita et post obitum magis in dies inclarescens aditum aperuit Inquisitionibus Informativis super ea conficiendis in ecclesiasticis curiis Burdigalensi et Victoriensi. Quibus expletis- et Romam ad sacram Rituum Congregationem transmissis, quum, eiusdem servi Dei scriptis diligenter revisis, nihil obstet quominus ad ulteriora procedi possit atque omnia in promptu sint super quaestione de Causa introducenda, instante Rmo P. Augusto Subiger, Societatis Mariae procuratore generali et causae postulatore, nomine etiam universae Marianistarum sodalitatis, attentisque litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum, necnon capitulorum, sacerdotum, religiosorum aliorumque virorum ecclesiastica. vel civili dignitate praestantium, infrascriptus Cardinalis Antonius Vico, Episcopus Portuen. et S. Rufinae, eiusdem causae Ponens seu Relator,, in Ordinario Sacrorum rituum Congregationis coetu subsignata die ad vaticanas aedes coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi,, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani Fidei Promotore, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuerunt : *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 7 maii 1918.

Facta postmodum de his SSmo Dno nostro Benedicto PP. XV per ipsum infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua, rescriptum eiusdem sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Servi Dei Guilelmi Iosephi Chaminade, sacerdotis fundatoris Societatis Mariae, die 8 eisdem mense et anno.

✠ A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Pro-Praefectus.

L. © S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II
ARMACANA

DECRETUM BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII VEN. SERVI DEI 0LIVER1I PLUNKET, PRIMATIS HIBERNIAE ET EPISCOPI ARMACANI.

SUPER DUBIO

An stante approbatione martyrii et causae martyrii, nec non dispensatione a signis seu miraculis, tuto procedi possit ad solemnem praefati Ven. Servi Dei Beatificationem.

Iure merito laetatur perillustris Hibernorum gens auspicatissimam ' appropinquare diem, qua sibi liceat, Apostolicae Sedis nomine et auctoritate, venerabili Famulo Dei Oliverio Plunket publici et ecclesiastici cultus exhibere significationes.

Equidem causarum Beatificationis et Canonizationis inspecta perpensaque natura, illud exinde compertum statim efficitur atque exploratum, quod scilicet magnam eximiamque id genus Causae coniunctam habeant populorum utilitatem, quemadmodum, quoties occasio tempusque tulit, sive in Canonizationum praesertim Bullis, sive in apostolicis litteris in forma Brevis palam constanterque professi sunt Romani Pontifices.

Inde profecto fit, ut neque dignius neque fructuosius concelebrandis proxime venturis solemnibus parare se possent universi per Hiberniam Christifideles, quam suimet in memoriam revocando sibique ante oculos ponendo exhortationes atque monita, quae sexto decimo ac septimo decimo saeculo strenue invicteque decertantibus ipsis pro catholica fide incolumi tutanda, eaque, thesauro plusquam omnium praetiosissimo, sancte inviolateque custodienda, ad eos identidem mittere usque sollicita fuit Sancta Sedes, quibusque ad pugnam eos et ad victoriam alere perapte sic gravissimeque studuit: *Vos elegit Dominus, ut novissimis et calamitosissimis hisce temporibus exemplum orientis iam ab initio Ecclesiae renovaretis: insistite bonis operibus; vacate orationibus; nihil facientes, quod catholicae religioni et integritati illius fidei, quam maiores vestri ab hac Sancta Sede acceperunt, adversetur : si vos Dominus in vinculis, in plagis, in carceribus, in necessitatibus socios sibi adoptavit tribulationum, profecto faciet consocios gaudiorum : cogitate quales habuistis virtutum magistros; considerate fidei athletas, qui vos praecesserunt: magnum illud expendite vestrae nationis elogium, ut Insula Sanctorum*

communiter appellaretur, et merito, unde tot examina fluebant Sanctarum ad alias nationes instituendas : ne proinde degeneres horum vos probetis: haudpereatis de via iusta, sed quorum terram colitis, apprehendite disciplinam, et quorum virtutes praedicatis, opera sectemini, ne vano honore illos Patres habuisse gloriemini, quos piget imitari (Paulus Papa V, anno. **III**, Clero, Nobilitati et Populo fideli regni Hiberniae; Urbanus Papa VIII, anno xx, universis Fidelibus per regnum Hiberniae constitutis).

Quamvis autem venerabilis Dei Servus Oliverius Plunket felicia sortitus in Hibernia natalitia fuerit, non sine tamen bono quodam iure Romanus civis est ille consalutandus; quippe qui in Urbe magnam aetatis suae transegit partem, Romanis, sive civibus, sive advenis, industriae, doctrinae, prudentiae, omnium denique christianarum et sacerdotalium virtutum egregia praebens exempla. Qua igitur, ob hodierni eventus faustitatem, sancta laetitia catholica exultât Hibernia, eadem fere alma quoque Urbs Roma sancta laetitia gestit, Hibernorum praecipue Ludovisianum Ephebeum, quo altus institutusque venerabilis Dei Famulus fuit, nec non Urbanum de Propaganda Fide Collegium, ubi magna cum laude eximioque cum auditorum fructu duodecim per annos sacras edocuit disciplinas.

Quae sane omnia hanc Beatificationis seu Declarationis martyrii causam magnopere commendant, eiusdemque dignitatem atque praestantiam magis magisque in propatulo ponunt; idque in postrema etiam iudiciali enotuit actione, qua iuridicae causae ipsius cognitionis impositus est finis. In generalibus namque sacri huius Ordinis comitiis, quae, die decima sexta superioris mensis aprilis, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV celebrata sunt, per Reverendissimum Cardinalem Vincentium Vannutelli, causae Relatorem, hoc propositum est Dubium: *An stante approbatione martyrii et causae martyrii, nec non dispensatione a signis, seu miraculis, tuto procedi possit ad solemnem venerabilis Servi Dei Oliverii Plunket Beatificationem?* Etsi vero omnes, qui aderant, tum Reverendissimi Cardinales tum Patres Consultores *tuto procedi posse* unanimi responderet suffragatione, nihilominus Sanctissimus Dominus noster, quum summi momenti res in deliberatione versaretur, mentem Suam aperire distulit, ut diuturnis interea precibus ad divinam opem efflagitandam suppeteret spatium.

Hodierna autem die Dominica infra octavam Ascensionis, religiosissime litato eucharistico sacrificio, ad Vaticanas Aedes Reverendissimos Cardinales arcessivit Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Pro-Praefectum, et Vincentium

Vannutelli, Episcopum Ostiensem et Praenestinum, Sacri Collegii Decanum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani Fidei Promotore, meque insimul infrascripto Secretario, atque iis adstantibus, solemniter edixit: ***Tuto procedi possit ad solemnem venerabilis Servi Dei Oliverii Plunket Beatificationem.***

Hoc Decretum in vulgus edi, in acta sacrae rituum Congregationis inseri litterasque apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis expediri iussit quarto idus maii anno **MCMXVIII.**

£g **ANTONIUS CARD. VICO**, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. G. Pro-Praefectus.

L. © S.

Alexander Verde, ***Secretarius.***

III

PINNEN»

DECRETUM CANONIZATIONIS BEATI GABRIELIS A VIRGINE PERDOLENTE, CLERICI PROFESSI E CONGREGATIONE CLERICORUM REGULARIUM EXCALCEATORUM A SS.MA CRUCE ET PASSIONE D. N. I. C.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet, post indultam eidem Beato venerationem, in casu et ad effectum, de quo agitur?

Immensas inter ruinas, quas importare solent publicae rerum conversiones, vix aliam invenire est, quae cum damnis comparari queat,, quae succrescenti inferuntur iuventuti.

Rem superiorum aetatum monumenta testantur apertissimamque faciunt; novaque si res ipsa confirmatione indigeret, satis superque forent, quae omnium in oculis quotidiana versantur exempla.

Istiusmodi quum sit praesens rerum et hominum cursus, dicto non est opus, quam peropportune incidat apostolici Decreti promulgatio. Quo, tamquam veras atque germanas miraculi prae se ferentes notas, binae agnoscuntur et adprobantur sanationes, quae, precibus et meritis Beati Gabrielis a Virgine Perdolente, patratae a Deo fuerunt; easque pro Beati ipsius solemni impetranda Canonizatione ad cognoscendum proponere strenueque defendere pro viribus connisi sunt sagaces expertique praenobilis acceptissimaeque Causae huius actores.

Sane, quod necessario probandum erat, illud reapse probatu difficile non esse brevi apparuit; plana imo facilique assequi datum fuit •demonstratione; quippe quam ex utriusque morbi ingenio deducere licuit, nec non ex modo, quo utrumque depulsum fugatumque esse morbum acta describunt.

Praeeuntibus namque, lumen admoventibus ac fere digito common•strantibus Viris in arte peritis eisdemque religionis sacramento adactis, planum factum est atque perspicuum, malum, quo ambo laboraverunt aegroti homines Ioannes Baptista Cerro et Aloisius Parisi, in materiali quadam, organica, seu *anatomica et patologica* laesione, ceu thefenico appellant sermone, fuisse situm.

Qua proinde materiali, organica, *anatomica* et *patologica* posita laesione, eaque certo firmiterque constituta, nedum sana philosophia docet, verum et vel ipse communis rectusque hominum sensus confirmat omnino planeque suadet, necesse prorsus esse ad miraculum confugere, quo subita atque perfecta, quae, prout in actis descripta est, post exoratum Beati Gabrielis a Virgine Perdolente patrocinium, prima et altera secuta fuit sanatio sufficientem et adaequatam sui invenire queat explicationem. Natura siquidem, quemadmodum sciunt omnes et ignorare potest nemo, non agit per saltus, eique naturae praestituti a Deo Creatore fines, <quos praetergredi ipsa nequit, consentiunt tantummodo, ut in reparationis opere eadem natura lente, gradatim et pedetentim procedat.

Factum ita est, ut quod super novis miraculis, novensilis Beati intercessioni tributis, tres ante annos fuerat institutum, fauste felicierque absolvi potuerit iudicium tribus de more Congregationibus; antepraeparatoria nempe, praeparatoria atque generali, quae, die decima sexta mensis aprilis huius vertentis anni, coram Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV coacta fuit. In qua a Reverendissimo Cardinali Antonio Vico, causae Relatore, sequens ad discutiendum propositum est Dubium: *An et de quibus miraculis constet, post indultam Beato Gabrieli a Virgine Perdolente venerationem, in casu et ad effectum, de quo agitur?* Cuncti, qui convenerant, Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores sua quisque ex ordine suffragia exposuere; quibus tamen intento laetoque animo exceptis, Sanctissimus Dominus noster sententiam Sibi adhuc differendam duxit, fervidis interea communibusque fusis Deo precibus, praesidium ac lumen a Patre luminum impensius exoraturus.

Hodierna autem die Dominica infra octavam Ascensionis, sacris devotissime operatus, ad Vaticanas Aedes acciri voluit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae

rituum Congregationi Pro-Praefectum causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore, meque insimul infrascripto Secre-* tario, eisque adstantibus, solemniter pronuntiavit: *Constare de utroque proposito miraculo;* de primo nempe *instantaneae perfectaeque sanationis Ioannis Baptistae Cerro ab arthritide deformante et anchylosante columnae vertebralis (spondilite anchylosante);* deque *ollero instantaneae perfectaeque sanationis Aloisii Parisi ab hernia inguinali dextera inveterata.*

Hoc Decretum publici iuris fieri et in acta sacrae rituum Congregationis referri mandavit quarto idus maii anno **MCMXVIII.**

•g **ANTONIUS CARD. VICO**, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Pro-Praefectus.

h. • © S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

IV

SENEN.

DUBIA

Rmus Dnus Prosper Scaccia, Archiepiscopus Senensis, in relatione status suae Archidioeceseos sequentia Dubia Sacrae Congregationi Consistoriali proposuit, ad Sacram Rituum Congregationem, pro opportuna solutione, transmissa; nimirum:

I. An, uti accidit in Metropolitana Ecclesia die Sancto Parasceves iuxta immemorabilem consuetudinem, liceat praebere Sacerdotibus et Fidelibus deosculandam reliquiam S. Crucis D. N. I, C. ?

II. An, ut ibidem fit, in solemni expositione Augustissimi Sacramenti, iuxta vetustissimum ordinarium liturgicum, post hymnum *Tantum ergo,* orationi Ssmi Sacramenti *Deus, qui nobis* adiici possint aliae collectae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re perpensa, respondendum censuit:

Ad I. *Nihil obstare.*

Ad II. *Negative,* iuxta Decretum n. 4194 ad X diei 23 novembris 1906.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 26 aprilis 1918.

£g A. **CARD. VICO**, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Pro-Praefectus.

L. & S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

DECRETUM

FACULTAS CELEBRANDI MISSAM AD MENTEM SUMMI PONTIFICIS DIE XXIX IUNII HUIUS ANNI PRO SACERDOTIBUS QUI INGEPERINT « TRICENARIUM GREGORIANUM » VEL TENEANTUR OBLIGATIONE APPLICANDI MISSAM IUXTA PECULIARES FUNDATIONUM LEGES.

Quum SSmus D. N. Motu Proprio *Quartus iam annus*, attenta circumsidentium maiorum acerbitate, statuerit ut die xxix proximi mensis iunii, natali SS. Apostolorum Petri et Pauli, omnes animarum pastores, quibus officium incumbit missam *pro populo* celebrandi, eam cum Ipso offerant ad divinam maiestatem propitiandam ; et idipsum ceteri ex utroque clero facere si velint gratissimam sibi fore enuntiaverit; supplices preces exhibitae fuerunt pro iis sacerdotibus, qui forte, ob inceptum *tricenarium Gregorianum* vel ob aliud iam susceptum onus, impediantur quominus pientissimis Sanctitatis Suae votis, prout optarent, obsecundent. Ne quis igitur propter eiusmodi impedimenta a tam insigni pietatis officio abstinere debeat invitus, dum tanta premit calamitas, atque adeo singularis urget necessitas supplicandi, haec S. Poenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, indulget ut omnes et singuli sacerdotes, qui obligationem celebrandi *Missas* quas vocant *Gregorianas* susceperint, possint ea die Sacrum facere secundum mentem Summi Pontificis, quin inceptum tricenarium exinde intermissum censeatur, dummodo postea continenter tricesimum missarum numerum expleant. Praeterea eadem S. Poenitentiaria de specialissimo mandato Sanctitatis Suae, supradictis precibus benigne annuentis, indulget ut quotquot tenentur onere applicandi ipsa die missam iuxta peculiares fundationum leges, valeant ad praedictum finem eam respective per se vel per alios intra hebdomadam celebrare. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 26 maii 1918.

O. **CARD. GIORGI,** *Poenit. Maior.*

L. •© S.

F. Borgongini Duca, *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

S. IACOBI DE CILE

IURIS FUNERANDI

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die 15 novembris anni 1916, BR. PP. DD. Fridericus Cattani Amadori, Ponens, *Petrus Rossetti, Raphaël Chimenti Auditores de turno, in causa appellationis* S. Iacobi de Cile - Iuris funerandi, *appellante* R. P. Provinciali provinciae SSmae Trinitatis ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, *repraesentato per legitimum procuratorem Adv. Rev. Liberatum Tosti, contra* Rev. Parochum oppidi vulgo Guricò *repraesentatum per legitimum procuratorem adv. Christophorum Astorri, interveniente et disceptante in causa Promotore Iustitiae ex officio, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

In oppido, nomine *Curicò,* dioecesis S. Iacobi de Cile, die 21 decembris anno 1910, e vivis cessit mulier Celia Matus, cuius coniuncti parocho loci, qui tunc erat Lucianus Vargas, iusta funebria commiserunt, soluta eleemosyna septuaginta pesos, quae, iuxta leges synodales dioecesis, legitima erat. At qui eleemosynam parocho dederant, ab eo, priusquam funebria persoluta essent, illam repetierunt et funebria commiserunt Fratribus Minoribus S. Francisci, qui ibi conventum habent, cuius superior est P. Franciscus Naranjo, qui, contra synodalem legem, tantummodo quadragintaquinque pesos accepit, ut funus in sua ecclesia celebraret. Quo peracto, vigintiquinque pesos parocho Vergas misit, pro iuribus parochialibus. At hic oblatos vigintiquinque pesos recipere noluit, totam pecuniam a P. Naranjo exigens, quam ille acceperat, expensis tantum detractis, quia iura parochialia laeserat. E contra, Pater Naranjo, suo iure se usum esse sustinuit, unde parochus ad Provisorem ecclesiasticum dioecesis recurrit, petens ut eius iura tueretur, eo magis quod non semel ea Pater Naranjo alias usurpaverat. Dioecesis Provisor tunc petitionem parochi notifica vit Patri Naranjo, qui procuratorem et defensorem suum constituit Patrem Antonium Pavez; at, paulo post, causam adducens se consensu sui superioris carere nec forsitan illum esse consecütürum, a negotii gerendi munere procuratorem revocavit et in iudicio

stare renuit. Provisor vero ecclesiasticus, Patris Naranjo praetextibusnihil obstantibus, petitionem parochi excepit et, re bene perpensa auditoque procuratore fiscali, die 16 mensis ianuarii anno 1912, sententiam edidit, qua Patrem Naranjo iura parochialia violasse decrevit et ad restitutionem eleemosynae acceptae pro funere Geliae Matus, deductis tamen expensis, condemnavit. Haec sententia reo eiusque superiori notificata est, sed iste ut legitimam recognoscere noluit ob iudicis incompetentiam, et insuper intrinsece iniustam esse dixit; ideo ad Nostrum Tribunal appellationem interposuit. Lis ergo Nobis resolvenda proponitur sub duplici dubio concordato inter procuratorem Provincialis Fratrum Minorum, qui Patris Naranjo partes suscipit et procuratorem rectoris ecclesiae parochialis oppidi *Curicò*, qui Luciano Vargas, hodie defuncto, in beneficio successit, eiusque iura tuenda assumit, scilicet: I. *An constet de nullitate sententiae in casu.* H. *An parocho Luciano Vargas competant emolumenta funeralia in casu.*

Quod est in facto. - Pater Franciscus Naranjo, ad probandum quod iura parochialia non laeserat, tria documenta in actis profert: primo probare satagit, Geliam Matus, dum in vivis erat, disposuisse, ut sua funera in ecclesia Sancti Francisci celebrari deberent. En documentum : « I sottoscritti, residenti in Cuneo e parenti stretti della signora Celia «Matus, morta nel 1910, certificano che loro consta che la detta signora « espresse che era sua volontà che i suoi funerali si facessero nella « Chiesa di S. Francesco di questa città. - Curicò, 4 settembre 1913. - « Subscripti: Dolores Gonzalez. - Giacinto Briónes. - Firmarono dinanzi <*f* a me (segue la firma del notaio munita di sigillo) ».

At quoniam, ut quisque videt, exhibitum documentum nihil omnino probat, quia notarius fidem facit de subscriptione duorum testium, non de veracitate eorum quae asseruerunt et quia quinam hi sint ignoratur et eorum testimonium iuramento confirmatum non est, actoris procurator ut suppleretur circa hoc caput, instructionem a Nobis quaesivit. Quare Nos rogatorias litteras archiepiscopo S. Iacobi misimus, ut exhibitus ab actore testes interrogaret modo a iure praescripto : 1) Utrum sciant Celiam Matus elegisse sepulturam apud Fratres Tertii Ordinis S. Francisci, vel Patri Naranjo sua funebria persolvenda commisisse. 2) Quomodo, quo tempore et cuinam Celia Matus suam aperuisset voluntatem. 3) Quomodo sciant ea quae coram iudice testantur.

His quaestionibus testis Dolores Gonzalez respondet: « . . . che la « defunta Celia Matus le domandò, poche ore prima di morire, che la « accompagnasse nei suoi funerali alla Chiesa di S. Francesco di Curicò.

« Dichiara inoltre che la defunta Celia Matus volle che il suo sposo e « la sua madre (secondo quanto la dichiarante ha inteso raccontare « da questa) le facessero le onoranze e le Messe di presente cadavere « nella Chiesa di S. Francesco di Curicò. La defunta Celia Matus domandò « alla signora Dolores Gonzalez che la accompagnasse nei suoi funerali, « essendo presente la madre della stessa defunta ».

Alius testis Hyacinthus Q. Briónes Gonzalez deponit: «...che la « defunta Celia Matus, alla sua presenza e alla presenza ancora di due « fratelli, volle da sua madre che le si facessero i funerali nella Chiesa « di S, Francesco di Curicò. Che egli con i suoi fratelli assistessero ai « detti funerali. Che quanto è stato detto nelle due precedenti dichia- « razioni accadde, tre giorni prima della morte della defunta».

Alio documento Pater Franciscus Naranjo probare conatur, Celiam Matus ius funerum in ecclesia conventus habuisse, eo quod ad Tertium Ordinem S. Francisci pertineret: « L'infrascritto, Rettore del Terz'Ordine « del N. P. S. Francesco, istituito in Curicò, attesta che nella lettera *M* del « libro, circa la presa di abito e professione del suddetto Terz'Ordine, « si rinviene quanto segue: "Matus Celia prese l'abito il 2 dee. 1910. « Le si accordò la professione in *articulo mortis.* Morì il 21 del mede- « simo mese. Si celebrarono i suoi funerali con l'assistenza di molte « sorelle,,. In fede, subscriptus: Fr. Francesco Naranjo, rettore. Curicò, « 11 agosto 1913 ».

Demum Pater Naranjo studet demonstrare, se noluisse iura paro-chialia violare; etenim post peractum funus, parocho Vargas *viginti-quinque pesos,* qui ad ipsum pertinebant cum his litteris misit: « Città, « 29 décembre 1910. - Sig. Luciano Vargas. Città. - Le accludo la somma « di venticinque pesos, diritti parrocchiali della defunta sorella Ter- « ziaria di questo convento, signora Celia Matus, i di cui funerali furono « celebrati questa mattina nella nostra Cappella. Dio la protegga. Sub- « scriptus - Fr. P. Francesco Naranjo, rettore del Terz'Ordine. Curicò, « 11 agosto 1913».

Insuper epistolam scripsit ad parochum Vargas, in qua, inter alia, haec habentur: « Sig. Parroco, - È necessario ch'ella sappia che i Ter- « ziarî di S. Francesco sono esenti dal suo tramite, dai suoi permessi e «che in generale nessun parrocchiano ha bisogno del suo permesso per « avere le esequie in una Chiesa di Regolari. Tutto questo è dichiarato- « in ripetute occasioni dalla S. Congregazione. Quanto viene detto dalla « S. Congr. del Concilio nel 1900 circa i primi funerali, non è la prima « méssa esequiale: l'unico obbligo che noi abbiamo con lei, in tali casi, « è di far sì che vengano pagati i diritti parrocchiali, che solamente sono

« 25 pesos In riguardo ai Terziari, signor Parroco, le trascrivo una « risoluzione della S. Congregazione: " An et quomodo confraternitas « S. Francisci Confratres defunctos associare, divinum officium recitare, « et cadaver ad coemeterium afferre debeat, absque clero et quonam « parochi interventu in casu . . . ttesp. die 18, 1887 . . . . censuit *affirmativa in omnibus,,* ..... Il suo ricorso non ha ragione di essere, poiché « ella non mi doveva citare innanzi alla Curia; la sua citazione è com- « pletamente nulla. Ella ha dimenticato che io sono Regolare, e che i « Regolari sono esenti e che per conseguenza la Curia non è giudice « competente », ecc.

Ex alia parte parochus Vargas in libello introductionis huius causae, ad Provisorem ecclesiasticum misso, pro se citat synodum dioecesanam S. Iacobi, quae in § 543 haec praescribit: « . . . . perchè un sacerdote, « all'infuori del parroco proprio, possa fare funzioni esequiali e dar « sepoltura religiosa, si richiedono le seguenti condizioni: 1) Che si noti- « fichi al detto parroco la disposizione od altra causa, in forza della « quale non appartenga a lui la sepoltura ecclesiastica del defunto. « 2) Che gli si diano gli estremi necessari per trascrivere la partita sul « libro dei defunti. 3). Che gli si paghino i diritti parrocchiali dei fune- « rali secondo la tariffa. 4) Che il detto parroco dichiari che il defunto « non è indegno di sepoltura ecclesiastica ».

In articulo vero 743 decernit: « ... che colui, il quale celebra fune- « rali, senza che gli spetti di farlo, secondo le < disposizioni canoniche « o diocesane, non guadagni pei* sè, nè per la sua chiesa o comunità « gli emolumenti o le oblazioni, che gli venissero date a tale effetto ; e « dovrà consegnare quanto avrà percepito, dedotte le spese, al parroco « ed alla chiesa propria ».

Unde parochus Vargas a Provisore ecclesiastico poscebat: «... che « venisse ammonito il P. Francesco Naranjo, superiore del convento di « Curicò, Che si astenesse dal far funerali nella sua cappella, senza che « il dovuto andasse alla parrocchia, secondo quanto era ordinato dal « Sinodo, ... facendo credere che non appartenga al parroco il fare « funerali. Che non demoralizzi i parrocchiani offerendosi di fare ono- « ranze più "a buon mercato, come se si trattasse di cosa commer- « ciabile ».

Quod est in iure. - Quoniam, in priore dubio, dé nullitate sententiae quaeritur, nobis primum inquirendum est, utrum sententia curiae episcopalis S. Iacobi reverá, aliquo ex defectu, nullitate laboret. Sententiarum nullitas (praeter eam quae substantialis est, utpote quae

oritur ex iure naturae, quia deest conditio aliqua a iure ipso naturae requisita) alia in iure canonico non admittitur, nisi habeatur vel defectus iurisdictionis in iudice, vel defectus mandati in patrono, vel defectus citationis partis (Conf. Const. *In throno iustitiae,* 27 dec. 1361, Pii PP. IV; Const. *Universi,* 1 martii 1612, Pauli PP. V; Const. *Ex parte,* 30 sept. 1760, Clem. PP. XIII; Motu proprio, 6 iulii 1816, Pii PP. VII), quibus á Pio PP. X adiunctum est quartum nullitatis caput, nempe: « Si tempus, ut respondere possit, non concedatur parti, cui post con« clusionem in causa, novum repertum documentum fuit notificatum » (Const. *Sapienti consilio,* 29 iunii 1908, can. 31). Nullitas de qua, in casu, sententia Ordinarii accusatur a patrono Fratrum Minorum, ex defectu iurisdictionis esset, eo quod Regulares ab Ordinario dioecesis exemptionis gaudent privilegio.

Notandum primo, episcopi potestati legiferae, iudiciali et coactivae, generatim subesse omnes qui illius incolunt dioecesim, cuiuslibet status sint et conditionis; episcopus enim in suo territorio pastor est omnium iure divino, et habet fundatam intentionem ac iuris assistentiam cum omnibus ecclesiis et clericis, sive saecularibus sive regularibus, suae dioecesis (Cf. De Luca, *Theatrum veritatis et iustitiae,* lib. III, p. I, *Iurisdictionum Summa,* IV, n. 50). Ideo, ut bene notat Berardi: « Etiam « hodie, nec monasteria, nec monachos exemptos dici ab episcoporum << iurisdictione, nisi in quibus ius singulare, scilicet privilegia, consue« tudines, praescriptiones, ac legitimas fundationum tabulas allègent « ac probent, *ita ut eadem singularia iura strictam interpretatio« nem patiantur* ... deinde in iis quae contra privilegia monachorum « aut monasteriorum recentioribus Constitutionibus edita sunt, prae« sertim in Concilio Tridentino, *eam capiendam esse interpretationem « quae facile Episcopis faveat,* ob facilem uniuscuiusque rei ad sua « principia regressum » (Cf. *Commentaria in Ius eccl. universum* vol. T, cap. V, Dissert., IV, § 134). Quamvis autem Regulares privilegiis, quibus apostolica auctoritate gaudent, in multis ab episcopi iurisdictione eximantur, in multis etiam horum iurisdictioni, sive ordinariae sive delegatae, subiiciuntur, ut habet Leo PP. XIII in Const. *Romanos Pontifices:* « Cum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic « huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disci« plina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali « potestati sive ordinariae sive delegatae ». Certum est autem in iure, sive ex communi doctorum sententia, sive ex pontificum constitutionibus, sive ex decisionibus SS. Tribunalium et «SS. Congregationum Romanarum, imo ex ipso Conc. Trid., Regulares subesse episcoporum iurisdi-

ctioni, et ideo synodalibus legibus obstringi, in bis omnibus, quae concernunt curam animarum, in bisque episcopos plena gaudere potestate. « Regulares (ait Ferraris) in iis quae curam animarum et admiriistra« tionem Sacramentorum respiciunt, subsunt iurisdictioni et visitationi « Episcopi, nihilque, hac in re, ipsorum privilegio iuvantur. Bened. XIV, « Const. *Apostolicum Ministerium* » (Cf. Biblioth. can. v. *Regulares,* art. II, n. 141). Quod pariter inculcat Leo PP. XIII in citata Const. *Romanos Pontifices,* ubi haec habet: « ... decretis (synodalibus) pareant oportet « etiam religiosi sodales in iis, quae ad curam animarum et sacramento« rum administrationem referuntur (Conc. Trid., sess. 25, c 11, *De Regul.),* « ceterisque in rebus, in guibus eos episcoporum iurisdictioni subesse « canonica praecipiunt instituta » (Innoc. IV, c. 1, De *privil.,* in 6[p]). Nec huiusmodi Regularium subiectio episcopi decretis, in iis quae curam animarum spectant, est tantum in casu, quo animarum cura monasterio sit annexa. Etenim sive Regulares curam hanc habeant, sive non, si eam quomodocumque de facto exerceant, continuo subesse debent episcopali legi, quae ad actum illum referatur. Hoc clare eruitur ex Constitutione *Firmandis,* Benedicti PP. XIV, d. 6 novembris 1744, in qua Constitutionem confirmat Gregorii PP. XV, quae incipit *Inscrutabili,* d. 5 februarii 1622. Ibi Benedictus, animadvertens in illos, qui opinabantur « *quod Tridentina Synodus...* (sess. 25, c. 11, .De *Regul) dum « facultatem tribuit Episcopis corrigendi et puniendi Sacerdotes ab eorum « iurisdictione exemptos, in his quae ad animarum curam et Sacramen« torum administrationem pertinent, de iis dumtaxat sacerdotibus loqui« tur qui vel parochi Sunt vel animarum curam exercent, dicere pergit :* «futilem hanc, vanamque praesumptionem reprimere statuit f. r. Prae« decessor Noster Gregorius Papa XV, ac de consilio, Congregationis « S. Concilii Trid. interpretis, edita Constitutione, quae incipit: *Inscru« tabili,* data nonis febr. a. Incarnationis Dominicae 1622, decrevit ac « declaravit ut deinceps tam Regulares quam Saeculares, quomodolibet « exempti, sive animarum curam personarum saecularium Monasteriis « seu Domibus regularibus aut quibusvis aliis Ecclesiis vel Beneficiis « sive regularibus sive saecularibus incumbentem exerceant sive alias « ecclesiastica Sacramenta aut unum ex illis ministrent, praevia Episcopi « licentia et approbatione, sive quoquo modo in dictae curae exercitio, « aut in eorumdem Sacramentorum vel alicuius ex illis administratione « de facto, absque ulla auctoritate se ingerant in his quae huiusmodi « curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni et « correctioni Dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, « plene in omnibus subiiciantur ». Cuius rei ratio est quia Regulares, ita

se gerendo, dioecesani episcopi vineam ve] ovile ingrediuntur, apponunt manus in messem alienam et ideo turbare possunt ordinarii vel parochi* iurisdictionem » (Cf. De Luca, *Theatr.* etc., 1. III, p. 1, *lurisd. summa,* n, IV, idem 1. IV, p. 1, *De Regularibus,* disc. 52, n. 12, idem 1. XIV, p. V, *Adnotationes ad S. Concilium Tridentinum,* disc. 36, n. 9). Itaque si cura animarum monasterio sit annexa, Regulares qui eam exercent, ordinariae episcopi iurisdictioni subiiciuntur; si monasterio adnexa non sit, qui eam exerceant, iurisdictioni episcopi subiiciuntur delegatae (Gf. Ferraris, *Biblioth.* v. *Episcopus,* art. VI, n. 125); in utroque tamen casu (ut bene Promotor Iustitiae notat) ius episcopi est perfectum, et Regularium obligatio, leges episcopales observandi, non est mere ethica, sed vere iuridica.

Inter ea vero, quae ad curam animarum pertinent, et ideo ad parochi potestatem, sunt iusta funebria. Unde bene ait D'Annibale: « Tria « sunt quae parochis, prae ceteris sacerdotibus, competunt: administratio « sacramentorum, functiones et iura parochialia... itaque iura heic acci- « pimus praestationes et emolumenta parochis, praeter beneficii reditus, « constituta: praecipua ex his quae eis constituta sunt in iustis funerum « persolvendis, quaeque idcirco funeralia, seu potius funeraria dicuntur » (Cf. *Summ. Th. Mor.,* p. III, n. 175. Quod tenuit Rota in novissimis decis. v. III, decis. XXXIV coram Prior nn. 4-5. Cf. etiam Pichler tit. *De Sepult.,* n. 4). Idcirco Cardinalis De Luca: « Ius funerandi pertinet «ad parochum cuius ac Ordinarii iurisdictio turbari ita dicitur (nempe « si ab aliis usurpetur), et consequenter est unus ex casibus, in quibus, « exemptione non obstante, Regulares efficiuntur subditi Ordinarii, ac « de eius foro » (Cf. *De Regularibus,* disc. I, n. 46 et seqq.). Item responsionem illustrans S. C. EE. RR. a. 1656 in una *Farmen,* seu *Terdonen.* (quae responsio expositam doctrinam plene confirmat) praeclarissimus ille auctor haec habet: « Agebatur de cadavere personae, quae indubi- « tanter erat de populo saeculari, adeo ut illa non esset comprehensa «'sub privilegiis, neque cum ea poterant religiosi se ingerere circa « administrationem sacramentorum aliorumque divinorum, sive circa «exercitium iurium parochialium, in quibus omnibus quando regulares « volunt se ingerere, efficiuntur subditi Ordinarii loci, non obstante «quantumvis ampla exemptione, quoniam ex ista passiva inferri non « potest ad iurisdictionem activam in clero et populo saeculari,.., idep- « que in eo casu regulares se ingerendo in exercitio iurium parochia- « lium, apposuerunt manus in messe aliena, Ordinarium vel parochum « turbando iii sua iurisdictione; et consequenter bene resolutum fuit «ut cognitio spectaret ad Ordinarium, cuius iurisdictio turbata fuerat,

« et ob quod exercitium etiam exempti ita effecti fuerunt eius subditi, « neque aliquae intrabant partes eonservatoris privilegiorum, cum absque « dubio, versarentur extra illorum casum » (Cf. De Luca, 1. XIV, p. 1, *De Regularibus,* disc. III, nn. .2-11-12).

Igitur, quoniam in casu nostro agebatur de, observantia synodi dioecesanae, in iis quae circa fidelium funera constituerat, indubium est, Patrem Naranjo episcopi iurisdictioni fuisse subiectum, et ideo episcopum ad suum tribunal illum pleno iure vocasse, ut exortam quaestionem circa iurium parochialium usurpationem posset inquirere atque decernere. Neque Pater Naranjo poterat detrectare episcopi forum, eo quod non habebat a suo superiore licentiam in iure sistendi; etenim agebatur in casu de Religioso qui respondere deberet de facto proprio iudici vocanti, auctoritate apostolica sibi delegata. Quo posito, Religiosum non egere permissione sui superioris, auctores unanimiter tenent (Cf. Schmalzgrueber, tit. I, *De iudiciis,* 1. 2, *Decret,* n. 88; Reiff., 1. II, tit. 1, § VII, n. 183-184; Bouix, *De iudiciis eccl,* p. I, c. II, n. VII). Si enim Religiosi qui leges spernunt, quas observare tenentur, non • possent, absque sui superioris licentia, ab episcopis, quorum forum sortiuntur, iudicari, facile episcoporum auctoritatem reddere possent inanem; dum in iure statutum est: « concessa... iurisdictione, conceduntur omnia « sine quibus illa non potest exerceri » (1. 2 ff. *De iuris omn. lud.).* Insuper Pater Naranjo, utpote rector monasterii, a superioribus tacitum consensum ad agendum et respondendum super iuribus, sive veris sive praesumptis eiusdem, habebat: « Eo ipso quod quis praeficitur, ait « Reiffenstuel, alicui administrationi, adipiscitur atque obtinet facultatem « agendi (et proinde respondendi) super iuribus eius, etiamsi admini- « stratio illa sit manualis et ad nutum avocabilis » (1. c, n. 169). Ideo iure meritoque Ordinarius S. Iacobi, declarata in sententia rei contumacia, ad iudicium processit.

At, Ordinario potestate iudicandi recognita, quaerendum remanet, utrum eius sententia iusta vel iniusta fuerit.

Vidimus supra, Patrem Naranjo contendere, se ius habuisse funera Celiae Matus in sua ecclesia celebrandi, eo quod illa pertinebat ad Tertium Ordinem S. Francisci (cui nomen dederat *in articulo mortis)* et insuper quia illa monasterii ecclesiam elegerat pro suo funere.

Relate ad primum, observari posset, Patrem Naranjo, testem (et quidem unicum) esse in causa propria. Ipse enim est qui fidem facit, Celiam Matus, cum *in articulo mortis* iam inveniretur, in Tertio Ordine se recensuisse. Sed etiam veritate actus concessa, non sequitur, Celiam Matus ius, eo facto, acquisivisse ad funera in ecclesia S. Francisci ha-

benda. Adscriptio enim Tertio Ordini Saeculari Franciscanum hòe ius confratribus minime tribuit. Audiatur ad rem Cardinalis D'Annibale:* « Horum (seu Tertiariorum) triplex genus est. Unum eorum qui colle- « gialiter vivunt: ex his mares gaudent Ordinum privilegiis, et exempti « sunt a potestate Ordinarii, non item feminae, quippe quas Ecclesia « vix tolerat. Alterum mulierum tantum, quae domi coelibem, aut castam « vidualem, expresso castitatis voto et sub habitu Ordinis, vitam ducunt. « Hae indulgentiis Ordinum (non exemptione) et fori privilegio gau- « dent. Tertium denique eorum est (sive mares sive feminae, sive coniu- « gati) qui nullo suscepto habitu, nec inito voto, perfectioris vitae regu- « Iam profitentur: quae nullo modo eos obligat, nec venialiter quidem: «hi Regulariam indulgentiis, non privilegiis, participant» (cf. *Summ. Theol. Mor.*, pars I, c. III, n. 106, ed. 4°). Tertiarii ergo secundi et postremi generis nedum Ordinariis, sed et parochis subiecti sunt (Cf. Benedict. XIV Const. *Emanavit super,* 17 sept. 1749, et *Instr. Eccl.*, 105, n. 68; Bouix, *De Iur. Regni.*, tom. I, pars. III, sect. I, c. I, § 2), inter quos Celia Matus, quae nec collegialiter vixit, nec castitatis voto se adstrinxit.

Quod attinet ad electionem ecclesiae, quam Celia pro suo funere fecisse dicitur, in primis observandum venit, assertam electionem non iuridice esse probatam. Duo enim adducuntur testes, quorum prior, scilicet mulier Dolores Gonzalez, deponit « ... che la defunta Celia Matus « volle che il suo sposo e la sua madre (secondo quanto la dichiarante « ha inteso raccontare da questa) le facessero le onoranze e la messa « *di presente cadavere* nella chiesa di S. Francesco di Curicò. La de- « finita Celia Matus domandò alla signora Dolores Gonzalez che la « accompagnasse nei suoi funerali, essendo presente la madre della « stessa defunta ». Haec ergo non est testis de scientia propria, sed tantum de scientia aliena; et ideo probare non potest, eo magis quod et coniux et mater, a quibus testis audivisse refert, de facili interrogari poterant.

Sed etiamsi demus, quod Celia Matus pro suis funeribus (in casu de sepultura non agitur) ecclesiam S. Francisci elegisset, tamen Patrem Naranjo iura parochi usurpavisse triplici ex capite demonstratur, scilicet *ex iure communi, ex iure synodali et ex conventione, quae in synodo dioecesana inter cesser at.*

1. Ex iure communi. S. Congregatio EE. et RR., in instructione data in causa *Gompostellana,* d. 1 augusti 1902, cum ageretur de defuncto qui apud Regulares sibi sepulturam elegerat, cuius cadaver ad publicum coemeterium erat directe ducendum, haec edixit: « 1) Parochi est stolam

« deferre, cadaver e domo levare, et funus ducere usque ad ianuam « publici **Coemeterii.** 2) Regularibus ecclesiae tumulantis ius competit in « propria ecclesia iusta funebria peragendi; una cum parocho ab ecclesia «parochiali ad domum defuncti accedendo, et, cadavere per parochum « levato, ad publicum coemeterium associando ; si tamen velint, possunt « ad coemeterii ianuas expectare, quin ad funeris associationem acce- « dere teneantur. 3) Pariter Regularibus spectat recipere cadaver ad « ianuas **Coemeterii,** ceteraque omnia peragere, quae in cadaveris tumu- « latione fieri solent Et sic observari mandavit, non obstantibus con- « trariis quibuscumque ». Quibus plene consonat responsio quam eadem S. Congregatio dederat in *Nepesina-Sepulturae* diei 11 m. decembris, anno 1815, relata in ***Collectanea*** Card. Bizzarri, pag. 244: « Solius « parochi est aspergere cadavera (antequam e domo efferantur) aqua « benedicta, praecinere antiphonam *Exultabunt Domino,* et cum stola « incedere » (S. C, 20 dec. 1828; Bouix, p. IV, cap. 10, § 2. Cf. D'Anni- bale, *Summ. T. M.,* v. III, n. 176 et nota (80), ed. IV). Iamvero Pater Naranjo non tantum iusta funebria in ecclesia monasterii persolvit sed etiam Celiae Matus cadaver e domo levavit et funus duxit, parocho inaudito, imo contrario.

2. Legem pariter dioecesanam Pater Naranjo transgressus est, cui, ut supra demonstravimus, parere debuisset. Synodus enim S. Iacobi, in art. 533 supra relato, praecipit: « Perchè un sacerdote, all'infuori del « parroco proprio, possa fare funzioni esequiali e dar sepoltura religiosa, «si richiedono le seguenti condizioni: I° che sì notifichi al detto parroco « la disposizione od altra causa, in forza della quale non appartenga « a lui la sepoltura del defunto; 2° che gli si diano gli estremi neces- « sari per trascrivere la partita sul libro dei defunti ; 3° che gli si pa- « ghino i diritti parrocchiali dei funerali secondo la tariffa ; 4° che il « detto parroco dichiari che il defunto non è indegno di sepoltura eccle- « siastica », etc. Quae omnia P. Naranjo facere neglexit, imo renuit. Merito igitur ei applicata ab Ordinario dioecesano fuerat poena, quae in art. 743 eiusdem synodi comminatur, scilicet: «... che colui che celebra fune- « rali, senza che gli spetti di farlo, *secondo **le** disposizioni canoniche o « diocesane^* non guadagni per sè, ne per la sua chiesa o comunità gli « emolumenti o le oblazioni che gli venissero date. A tale effetto dovrà « consegnare quanto avrà percepito, *dedotte le spese, al parroco od alla « chiesa propria* (intellige *del defunto)».* Etiamsi enim Celia Matus ecclesiam Franciscanum pro suo funere eligere potuisset, non tamen poterat neque legi derogare, neque parochi iuribus officere, neque Pa- trem Naranjo a Synodi obedientia solvere.

3. Demum non parvi facienda sunt, quae sententia dioecesana habet sub n. 5: «... che il sinodo diocesano, tenuto in questa città nell'anno 1895, « è legge ecclesiastica, che obbliga i Regolari esistenti in questo Arei« vescovado, poiché i loro provinciali e superiori furono invitati e con« corsero alla sua discussione ed approvazione, come apparisce dagli «atti delle sue sessioni». Hoc enim posito quod asseritur, Regulares tenentur in casu ad observanda praescripta a synodo dioecesana, etiam ex titulo conventionis (quae intercesserat inter Regulares et dioecesim), cui standum est ab utraque parte, usque dum, ex utriusque contrahentis consensu, non solvatur; iuxta regulam iuris (n. 21): « quod semel pla« cuit, amplius displicere non potest ». Etenim Leo PP. X in Constit. *Dum intra,* diei 19 decembris 1516, § 8, haec habet: « Pacta autem et conven« tiones inter eosdem fratres (mendicantes) et Praelatos atque curatos « pro tempore, inita valeant, nisi per subsecutum Capitulum proximum « generale vel provinciale refutata, ac per eos refutatio huiusmodi inti« mata, debito tempore, fuerit » (Cf. Wermaersch, 1. 2, p. 377; cf. etiam Pihring, 1. 1, tit. 32, n. 13). «Omni iure, ait Ursaja *(Discept.,* t. 8, p. II, « disc. 3, n. 4), permissum est, posse Regulares cum parochis concordare « super controversiis funerum, ut resolvit S. Congr. EE. et RR. in altera *« Firmana,* quam refert et sequitur Pignatelli *(Consult. 50, per tot. et « signanter,* n. 1, tomi tertii, ibi) : An Regulares possint concordare cum « Praelatis», etc.: « *Affirmative* censuit S. C. EE. et RR. in *Firmana* « anno 1606 », quae huiusmodi concordiam confirmavit. Quin immo pluries resolvit: « Regulares teneri servare huiusmodi concordiam », ut prosequitur idem Pignatelli (1. c, ibi), et anno 1642 declaravit: « Regulares « teneri ad observantiam dictae concordiae ». In casu enim nostro ad synodi constitutiones conficiendas operam impenderuht Provinciales, aliique Franciscalis Ordinis superiores, easque, quod intererat, approbarunt.

Neque favore Patris Naranjo potest allegari consuetudo legi contraria, quam asserit patronus *(Restrict. facti et iuris,* p. 17), hanc enim expresse et solemniter damnavit S. C. EE. et RR. suo generali decreto diei 12 ianuarii 1604 (Cf. Bizzarri, *Collectanea).*

Hisce igitur omnibus, in iure et in facto, sedulo consideratis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, dicimus, declaramus et definitive sententiamus, propositis dubiis respondentes: Ad I, *negative, seu non constare de nullitate sententiae in casu.* Ad II, *affirmative, seu parocho Luciano Vargas competere emolumenta funeraria de quibus in casu, expensis deductis.* Ita pronunciamus, appellantem in expensas omnes iudiciales condemnantes.

Mandamus autem Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim cap. 3, sess. XXI, *De reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna, pro rerum adiunctis, esse iudicaverint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 15 novembris anno 1916.

Fridericus Cattani-Amadori, *Ponens.*
Petrus Rossetti.
Raphael Chimenti.

L. * S.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 30 aprile 1918, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Antonio Vico, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Ven. Servo di Dio Pietro Giuliano Eymard, Fondatore della Congregazione dei Sacerdoti del SSmo Sagramento, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti Antipreparatoria, nella quale dai Rmi Prelati e dai Consultori Teologi si è discusso il dubbio sopra l'eroismo della virtù esercitate dal medesimo Ven. Servo di Dio.

Martedì, 7 maggio 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti Ordinaria, nella quale al giudizio degli Emi e Revmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie:

1) Introduzione della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Servo di Dio Guglielmo Giuseppe Chaminade, Sacerdote, Fondatore della Società di Maria.

2) Approvazione e concessione dell'Officio e Messa in onore di Maria SSma sotto il titolo « del Pilerio », Patrona principale della città di Cosenza.

3) Intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Gemma Galgani ;

4) E degli scritti del Servo di Dio Giovanni Pelingotto, del Terz'Ordine di S. Francesco, chiamato Beato;

5) E degli scritti della Serva di Dio Maria Aikenhead, Fondatrice delle Suore di Carità degli Irlandesi;

6) E degli scritti del Servo di Dio Ugolino da Gualdo Cattaneo, degli Eremiti di S. Agostino, chiamato Beato.

Martedì 14 maggio 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati Officiali e Consultori teologi, componenti la Congregazione dei Riti, si è tenuta una Congregazione *Nuova-Preparatoria* per discutere quattro miracoli, che si asseriscono da Dio operati per intercessione della Venerabile Lodovica de Manilae vedova Le Gras, Confondatrice delle Figlie della Carità; i quali miracoli vengono proposti per la Beatificazione della stessa Venerabile Serva di Dio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

28 febbraio 1918. **L'Emo signor cardinale Ludovico Dubois,** *accademico emerito dell'Accademia Romana di San Tommaso d'Aquino.*

26 marzo » **Il Rmo prof. Andrea M. Micheletti,** *Consultore della S. Congregazione dei Seminarii e delle Università degli Studi.*

30 aprile » **Il Rmo Sac. D. Francesco Tomasetti, ispettore generale delle scuole della Pia Società Salesiana,** *Consultore della S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.*

17 maggio » **L'Emo signor cardinale Gaetano De Lai,** *Protettore della Compagnia del Patrocinio della B. V. « del Pilastrello » in Lendinara, diocesi di Rovigo.*

19 » » **Il Rev. P. D. Isidoro Donzella, Ö. S. B.,** *Consultore della Suprema S. Congregazione del S. Offizio.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio :

26 maggio 1918. **Mons. Disma Marchese, vescovo di Acqui.**

Protonotario Apostolico **ad instar participantium :**

1 maggio 1917. **Mons. Giuseppe Lesar, della diocesi di Laibach.**

Prelati Domestici di S. S.:

2 giugno 1917. **Mons. Gabriele Csekò, dell'archidiocesi di Agria.**
21 luglio » **Mons. Luigi Eberhart, della diocesi di Bressanone.**
25 agosto » **Mons. Alessandro Ernszt, dell'archidiocesi di Strigonia.**
18 dicembre » **Mons. Lorenzo Kennedy, della diocesi di Sacramento.**
20 » » **Mons. Paolo Am on, dell'archidiocesi di Colocza. ***

23 gennaio 1918. Mons. Celestino Kompanyik, della diocesi di Scepusio.
25 *»* » Mons. Ferdinando Pawlikowski, direttore del Concistoro Castrense in Austria.
» » » Mons. Andrea Vagas, superiore Castrense di Cassovia.
30 aprile » Mons. Enrico Felici, canonico coadiutore Liberiano.
17 maggio *»* Mons. Pietro Bonfiglietti, della diocesi di Tivoli.
» » » Mons. Girolamo Mauri, della diocesi di Rimini.
» » » Mons. Omero Cloutier, dell'archidiocesi di Québec.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Placca dell'Ordine Piano:

27 aprile 1918. Al sig. comm. Attilio Ambrosini di Roma.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

25 maggio 1918. Al raja Francesco Saverio Rikh, di Tajpur.
» » » Al kumar Silvestro Norberto Rikh, di Tajpur.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

2 giugno 1917. Al sig. Stanislao Piékarski, dell'archidiocesi di Leopoli di rito latino.
15 luglio » Al sig. Stefano Jékey de Buly e Jéke, della diocesi di Szathmár.
9 novembre » Al sig. Giuseppe de Salomon, della diocesi di Leitmeritz.
26 aprile 1918. Al sig. Alessandro Bosman, di Roma.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

13 dicembre 1917. Al sig. Giuseppe Angster, della diocesi di Cinque Chiese.
» » » Al sig. Lorenzo Grill, della diocesi di Spira.
30 aprile 1918. Al sig. Camillo Boccolari, dell'archidiocesi di Modena.
23 maggio » Al sig. Giuseppe Dufour, dell'archidiocesi di Genova.
» » » Al sig. Maurizio Bruzzo, della medesima archidiocesi.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

22 maggio 1918. Al sig. comm. avv. Virginio Iacoucci, di Roma.

La Commenda con Placca délV Ordine di S. Silvestro Papa:

1 dicembre 1917: **Al sig. Carlo dei conti di Arco, dell'archidiocesi di Olmütz.**

La Commenda dell' Ordine di S. Silvestro Papa:

3 maggio 1918. **Al sig. maestro Furio Franceschini, residente a S. Paolo del Brasile.**
» » » **Al sig. maestro Giovanni Battista dArce, residente nella medesima città.**
22 » ». **Al sig. cav. Gustavo Dufour, dell'archidiocesi di Genova.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

15 dicembre 1917. **Al sig. Ludovico Schneider, della diocesi di Spira.**
» » » **Al sig. Giovanni Fernekess, della medesima diocesi.**
» » » **Al sig. Ludovico Husse, della medesima diocesi.**
» » » **Al sig. Matteo Bauer, della medesima diocesi.**
10 maggio 1918. **Al sig. Leopoldo Werz, residente a Berna.**

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Móns. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti ëoprannumerari di S. S.:

16 aprile 1918. **Mons. Giovanni Ermanno Selten, della diocesi di Bois-le-Duc.**
25 » » **Mons. Fiorenzo Canuti, della diocesi di Città della Pieve.**
4 maggio » **Mons. Francesco Saverio da Silva, della diocesi di Goyaz.**
» » » **Mons. Pietro Soracco, della diocesi di Chiavari.**
14 .» » **Mons. Enrico Sarcano, della diocesi di Novara.**
16 » » **Mons. Edoardo Brust, della diocesi di Münster.**
17 » » **Mons. Ferdinando Trinchieri, dell'archidiocesi di Torino.**
» » » **Mons. Donato Pagano, della diocesi di Bovino.**
» » » **Mons. Stefano Corbini, dell'archidiocesi di Siena.**
» » » **Mons. Alberto Marelli, della medesima archidiocesi.**
25 » » **Mons. Carlo Chiarlo, segretario della Nunziatura del Perù.**

Cameriere d'onore in abito paonazzo di S. S. :

23 aprile 1918. **Mons. Pietro Andrucci, della diocesi di Borgo San Sepolcro.**
27 » » **Mons. Michele Gurrera, della diocesi di Galtanissetta.**
» » » **Mons. Canio Polestra, della diocesi di Conza.**
2 maggio » **Mons. Pier Felice Biglia, della diocesi di Cuneo.**
4 » » **Mons. Brunone Alberdi Zugadi, della diocesi di Goyaz.**
» » » **Mons. Gioacchino Confucio de Amorim, della medesima diocesi.**
Ï0 » » **Mons. Luigi Braccetti, di Roma.**
14 » » **Mons. Carlo Morra, della diocesi di Asti.**

Camerieri d'onore di Spada e Cappa soprannumerari di S. S.:

18 febbraio 1918. **Il sig. conte Paolo D'Artet, della diocesi di Liegi.**
24 aprile » **Il sig. dott. prof. Domenico Severi, dell'archidiocesi di Modena.**
» » » **Il sig. dott. Gian Battista Rossi Veratti, della medesima archidiocesi.**

Cappellano Segreto d'onore di S. S.:

17 maggio 1918. **Mons. Antonio Camilli, della diocesi di Aquino.**

NECROLOGIO

aprile 1918. **Mons. Armengaudio Coli, vescovo titolare di Tignica, vicario apostolico di Fernando Poo.**
17 maggio » **Mons. Francesco Egger, vescovo di Bressanone.**
» » **Mons. Adolfo Medlycott, vescovo titolare di Tricornia.**

Annus X - Vol. X **1 Iulii 1918** **Num. 7**

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

EPISTOLAE

I

AD ANDREAM S. R. E. CARD. FERRARI, ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM, ET CETEROS EPISCOPOS INSUBRIS REGIONIS, DE COMMUNI OFFICIOSISSIMA EPISTOLA GRATIAS PERSOLVENS.

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Maximas inter horum temporum amaritudines haud exiguum solatium litterae Nobis attulerunt quas die 25 aprilis nuper elapsi ad Nos communiter dedistis. Etenim una congregati quotquot Insubris provinciae Ecclesiis estis praepositi, illud facile sensistis *a conventu fratrum non posse Patrem abesse;* quam ob rem praesentiam Nostram ardenti animo in medium vestrum revocastis, nobilissimis verbis vestram Nobiscum coniunctionem et necessitudinem confirmantes, eo arctiorem «quo magis in diuturna rerum publicarum subversione christiani « nominis hostes illius supremam auctoritatem a Christo Iesu con- « creditam adversantur, quem posuit Deus Magistrum et Adsertorem iustitiae ».

Enim vero praeter infandos huius belli horrores, cuius quidem in universa hominum historia nullum par exemplum, quodque miseram Europam ad extremum exitium pellere videtur, vehementissime angimur propter vaferrimam calumniarum odiique insectationem, qua, intra Italiae potissimum fines, et Nostra Persona et opera Nostra lacessuntur.

In humanum genus, suo ipsius sanguine madidum, Nobis illa licet sincero animo sacrorum librorum usurpare verba: « Quid est quod debui « ultra facere vineae meae et non feci ei? » (Isaias, V, 4). Bello exorto,, quod vitatum pro communi bono maluissemus, Nos nihil prorsus quod potuimus praetermisimus, nihil intentatum reliquimus quod ad tristissimos belli effectus leniendos mitigandosque valeret; saepius, ac praesertim in allocutione consistoriali, quam primam habuimus ineunte anno 1915 atque expressius etiam in altera diei 4 decembris anni proxime insequentis, quaslibet iuris violationes, ubicumque demum factae sint, magnopere reprobavimus, prout nunc etiam iterum reprobamus; demum exhortationibus, supplicationibus, piacularibus, propositionibus iustae ac maturae pacis finem immanis huius cladis properare studuimus. Nihilominus vos bene nostis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, ineptas absurdasque calumnias, quae varia multiplicique ratione,' palam, occulte, verbis, scriptis longe lateque diffunduntur. Per agros et per vicos, ubi acrior ideoque humanitate ac reverentia dignior tristitia reperitur, bellum Nos voluisse dictitant; in urbibus autem pacem Nos concupiscere, sed iniquam et uni tantum bellantium parti accommodatam. Verba Nostra detorquentur; de cogitationibus ac propositis Nostris suspicio iniicitur; ipsum silentium Nostrum de singulis facinoribus in malam partem accipitur, velut si in tanta ambiguitate rerum ac passionum aestu plane liceat singula singulis damnationibus persequi quae, emissa per commune principium damnatione, iam pridem fuerint omnia aequiore iudicio reprobata.

Neque vero in Nos solum in operamque Nostram huiusmodi odii explicatio ac diffusio circumscribitur; namque et sacerdotum optime-meritorum et illustrium episcoporum erga patriam fidelitas summa cum iniuria in dubium vocatur; quin adeo iniquissimis vexationis et delationis artibus eos circumvenire, infamare, in iusrapere contenditur. Ex quo fit ut, dum Italia, in praesens, pace et concordia inter universos cives suos quam maxime indiget, christiani nominis hostes, ipsa hac tempestate abutentes, contra hanc veritatis iustitiaeque Cathedram,, contra clericos, contra catholicos imperitae simplicisque multitudinis animos concitare conentur, discordiarum semina inter varios civium ordines serentes.

Tanta vero perversitas si Nos maxima aegritudine afficit, neque inopinata Nobis accidit, neque animum Nostrum deprimere aut infringere potest; sed, cum arcano divinae Providentiae consilio ad Ecclesiam regendam vocati simus, gravissimi Nostri muneris est eiusdem Ecclesiae sanctitatem et honorem defendere.

Quam ob'rem contra hanc talem obtrectationum odiique disseminationem Nos iterum ministerii Nostri vocem vobiscum, dilecte fili Noster ac venerabiles fratres, attollimus, eamque conscientiae non solum fidelium, sed etiam, quotquot sunt honestorum hominum denuntiamus. Vestrum est non secus ac ceterorum episcoporum et cleri universi, in primisque sacerdotum animarum curam habentium, christianum populum ab inimico homine tueri, rerumque veritatem fideles edocere, ut a sinu benignae Matris Ecclesiae nunquam abseedant, sed eidem et supremo eius Pastori usque adhaereant, qui ab ipso Deo constitutus est custos veritatis, iustitiae et caritatis administer, anchora spei, pacis tranquillitatisque portus. Laboribus autem vestris ut caelestia adsint auxilia enixe deprecamur, quorum auspex itemque benevolentiae Nostrae testimonium apostolica sit benedictio quam vobis et uniuscuiusque vestrum gregi amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxii mensis maii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

AD R. P. D. FRANCISCUM IOSEPHUM BONNEFOY, ARCHIEPISCOPUM AQUENSEM, QUEM ANNOS LX SACERDOTII ET XXV EPISCOPATUS COMPLENTEM, GRATULATANE LAUDIBUSQUE PROSEQUITUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Diem vertentis mensis tricesimam duplici nomine laetabilem tibi fore comperimus, quod simul et sacerdotii ante annos **LX** a te suscepti et episcopatus abhinc annis xxv initi memoriam celebrabis. Libenter Nos quidem, una cum tuo clero ac populo, utrumque gratulamur. Cum enim semper, qua virtute et diligentia nites, boni pastoris partes impleveris, non solum tuos tecum praeclaris meritis devinxisti, sed etiam Nostram tibi non mediocrem benevolentiam conciliasti. Dum igitur te paterno amplectimur studio, magnas tecum gratias de tua incolumitate agimus Deo; quem ut prospera tibi cuncta et salutaria in posterum quoque largiatur, rogamus vehementer. Quo autem copiosior ex fausto eventu animarum fructus efflorescat, facultatem Plenariae Indulgentiae semel, usitatis conditionibus, cum visum fuerit, impertiendae tibi concedimus. Atque auspex

munerum caelestium praecipuaeque caritatis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis frater, tuoque omni clero et populo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxv mensis maii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD ALBXIUM S. R. E. CARD. ASGALBSI, ARCHIEPISCOPUM BENE VENT ANTJM, CETEROSQUE EPISCOPOS EIUSDEM PROVINCIAE ECCLESIASTICAE, QUI COMMUNITER EPISTOLAM MISERANT.

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Praeclarum studium, quo vos et Nostra explere optata et vestris consulere dioecesibus nitimini, ex communibus quoque litteris elucet, quas nuper ad Nos misistis: unde cognovimus quos grati animi observantiaeque sensus promulgatio Codicis Iuris Canonici in vobis excitaverit. Qui, cum compertum haberetis ea geri felicius quae sint collatis consiliis constituta, recte quidem in annuo conventu illud egistis ut nonnulla legum capita, quorum maior adesset necessitas, quam primum in usum adducerentur. Id Nobis, ut facile intelligitis, accidit perquam iucundum. In divina vero clementia laboranti christianae rei concilianda, numquam sane dubitavimus vestram diligentiam desideratum iri. Ceterum multum de votis amamus vos quae Nostra causa fecistis: precamurque vicissim ut operam ministerii vestri quam uberrime Deus suae gratiae rore fecundet. Ac caelestium auspicem munerum praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, cunctoque clero et populo vestris concredito curis, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxx maii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

IV

AD DOCTORES DEGURIALES PONTIFICII ATHENAEI BENEVENTANI, QUI SIGNIFICATIONEM ,GRATI ANIMI ET OBSEQUII, PROMULGATO CODTCE IURIS CANONICI, DEDERANT.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Nos vero ex litterarum vestrarum officio non parum voluptatis cepimus. In iis enim summum obsequium perspeximus quo promulgationem Codicis Iuris Canonici complecti maturavistis : idque cum exspectationi Nostrae respondet, tum pietate vestra dignum est. Certe sacram iuventutem ad obtemperandum huic Apostolicae Sedi accurata institutione instruere laus debet esse cuiusvis Pontificiae Accademiae praecipua quaedam et eminens; qua quidem laude istud Athenaeum florere gratulamur. De Petro autem beneventano, cuius in prooemio Codicis fit mentio, quod decessori Nostro Innocentio III in Decretalibus colligendis operam navarit, merito sane gloriamini: in quo habetis domesticum doctrinae exemplum propositum vobis ad imitandum. Adsit Deus « scientiarum Dominus » suo lumine studiis vestris; sitque optimorum auspex fructuum apostolica benedictio, quam vobis singulis, dilecti filii, alumnisque vestrae disciplinae benevolenti animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die **III** mensis iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

V

AD R. P. INNOCENTIUM LOPEZ, ORDINIS MERCEDARII VICARIUM GENERALEM, OB PROXIMA SOLLEMNIA ANNI DCC AB ORDINE INSTITUTO.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Dum tanta populorum inter ipsos odia cladium ruinarumque immensitate terrent oculos animosque afnigunt, opportune accidit ea quam apparatis celebratio saecularium sollemnium quibus ad mirificum caritatis spectaculum revocamur. Profecto quae anno **MCCXVIII** sextili mense ineunte divinitus Barcinone acta esse feruntur, ea in primis recordatione sunt digna, non

solum quia tunc Ordinis vestri initia consecrata sunt, sed etiam quia JD. N. Mariae benignitas, paratae semper in gravissimo quoque discrimine ad opitulandum populo christiano, praeclare eluxit. Etenim cum magna Dei Mater duos sanctos Patres Petrum et Raymundum itemque Iacobum Aragoniae Regem praesentia sui et alloquio beans, auctor illis fuit, ut Ordinem Mercedarium instituèrent, ingenti sane christianam rem aftecit beneficio, cuius quidem metiri licet magnitudinem ex miserrima christianorum condicione qui quoquo pacto in Saracenorum manus incidissent. Non solum enim usu veniebat ut his, tamquam rebus, abuterentur inhumanissimi hostes, sed etiam ut nullum non genus crudelitatis in eos, utpote religioni invisissimae addictos, exercerent. Vix igitur dici potest quam magnam sui exspectationem concitarint vestri sodales, qui ad eos in libertatem vindicandos illud proprium nuncuparent votum, pignori semetipsos, si necesse foret, infidelibus eorum loco daturos atque adeo mortem Iesu Domini exemplo pro fratribus obituros, ut iure de instituto vestro praedicari posset: « Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis ».

Ab hoc proposito numquam vos defecisse quamdiu huius servitutis dedecus permansit, luculenter "historia testatur, quae complurium ex hominibus vestris memoriam tradidit immortalitati. In primisque Petrus ille Nolascus occurrit, qui, positis vestri Instituti fundamentis, cum omnem in id rem familiarem sane magnam insumpsisset, praeterea stipis corrogandae causa pluries Hispaniam totam pedibus peragravit, nec semel evenit ut ea « etiam quae ad sustentandos fratres erant necessaria, ven- « deret et sic libertatem captivorum procuraret ». Raymundum quidem Nonnatum accepimus apud infideles obsidem, cum eius labia transverso pessulo constringerentur, fortiter tamen Christi fidem profiteri non destitisse. Quantus autem in Serapione et in Petro Pascasio caritatis ardor: quorum alter, actus in crucem, membratim discerptus est, alter vero divinam rem faciens obtruncatus. Quamquam in hoc genere quid singula commemoremus, cum ad mille et quingentos e sodalibus vestris numerentur qui pro fide simul et captivorum redemptione martyrium fecerint? Nec praetereundum est, religiosas virgines a S. Maria de Cervellione institutas una vobiscum in nobilissimo proposito persequendo certavisse.

Vos autem nullum caritatis opus vestro instituto duxistis alienum ; de quibus ita decessor Noster Alexander IV: « hi totis viribus elaborant ut undique confluentium egenorum pariter et aegrorum necessitatibus se exponunt ». Ut ceteros omittamus, nominandus omnino est Ioannes Gilabertus, insigni valetudinario « pro pueris expositis, pro phraeneticis aliisque derelictis » Valentiae condito. Longum est autem apostolicos in

regno Christi amplificando labores vestri Ordinis persequi, cum inter hostes ipsos christiani nominis acérrimos, quorum in potestate fideles captivi tenerentur, et, America detecta, per illas quoque regionum immen- , sitates Evangelii lucem diffundere studueritis. Quorum quidem beneficiorum iii Americae latinae civitatibus passim extant monumenta, ob eamque causam factum videmus, ut Beatissimam Virginem de Mercede Peruviani et Aequatoriani reipublicae patronam elegerint, Argentini autem suarum copiarum summam ducem renuntiarint. Ordinem tam bene de Ecclesia ac de civili societate meritum decessores Nostros saepenumero dilaudasse et magnis privilegiis auxisse, haud mirum est; eo magis quod huiusmodi promerita singulari quadam in Apostolicam hanc Sedem observantia cumulavit. - Haec omnia Nos libenter putavimus recolenda, appropinquante natali Ordinis septingentésimo; ac vehementer gaudemus populos, quibus is profuit, faustum eventum una vobiscum celebraturos; in primisque, ut par est, nobilissimam Barcinonensium civitatem, quae insignem B. Mariae Mercedoniae imaginem religiosissime servat, ipso praeeunte honoris causa Hispaniarum Rege Catholico Alfonso XIII cum augusta Coniuge. Hisce in sollemnibus magnopere cupimus christianam rem universam divinae Matri commendari, ut quae mirandum in modum fidelium captivitati opitulata est, ita crudelissimi huius belli finem nobis impetret. Quod omnes B. Mariae de Mercede cultores ut suis precibus petant, Nos, qui sanctum ipsius scapulare iam inde, ab adolescentia gerimus, hortamur; et cuilibet, quoties pie hanc formulam usurpaverit « Redemptrix captivorum, ora pro nobis » vel « Piissima Mater de Mercede, ora pro nobis » toties ccc dierum indulgentiam largimur.

Vos vero, dilecti filii, quibus divino munere contigit, ut ipsam Dei Matrem vestrae familiae auctorem haberetis, quo affecti sitis honore, quibus devincti officiis perpendite, memores illius constitutionum vestrarum loci: « etsi totos ad pedes Beatissimae Virginis Mariae, Matris ac Fundatricis nostrae, nos devotio provolvat, nihil tamen aequum aut dignum eius erga nostrum Ordinem beneficiis reputamus ». Hunc igitur caelestis originis dignitate inclytum Ordinem congruis semper ornate virtutibus et, maiorum vestigia secuti, pro Ecclesia contendite. Mutatis temporibus, iam non est christianis probrosa captivitas corporum extimescenda: alia nunc, et ea longe deterior plurimos tenet, servitus animorum, cum usquequaque serpit letalium errorum lues et sectarum improbitas invadit omnia. Itaque multo latius patet campus caritatis; in quo quidem vos utiliter laborare scimus, vel puerorum mores fingendo, vel catecheses ad populum habendo, vel ea quae spiritus sunt,

in custodiis publicis administrando et in nosocomiis, ubi vestrarum quoque Sororum opera dilaudatur.

Sed tamen ad istam virtutis alacritatem in vobis refovendam haec saecularia sollemnia, itemque proxima Ordinis generalia comitia, favente Deipara Virgine, non parum collatura esse confidimus. Atque auspicem caelestium munerum praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et universis qui de ista religiosa familia sunt, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die iv mensis iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

VI

AD RR. PP. DD. IOANNEM BEDAM CARDINALE, ARCHIEPISCOPUM PERUSINÜM, PETRUM PACIFICI, ARCHIEPISCOPUM SPOLETANUM, CETEROSQUE UMBRAE REGIONIS EPISCOPOS, QUORUM OFFICIOSISSIMAE EPISTOLAE ASSISIO DATAE RESPONDET.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Singularis .vestra in Nos pietas atque observantia ex iis litteris se ostendit quas proxima e conventu Assisiensi missas accepimus; non illa vero Nobis ignota, sed tamen gratissima. Sensimus enim quam studiose vos, in tanta acerbitate rerum, in partem veniretis Nostrarum sollicitudinum : eo magis quia officium Nos consolandi sollerti opera impensisque ad Deum precibus cumulare contenditis. Nam, promulgato Codice, nihil fuit vobis antiquius quam ut, collatis consiliis, quae opportuniora essent praescripta ad effectum adduceretis: quam quidem laudantes alacritatem, eamdem ne in posterum quidem defuturam certo scimus. De Sacro autem propediem, in natali Apostolorum Principum, faciendo, laetamur sane, omnes, ut scribitis, quotquot sunt in Umbria sacerdotes voluntati Nostrae obsecuturos. Utinam fiat, ut quemadmodum, quod ipsi affirmatio, Seraphicus ille vir, popularis vester, tempore huic non dissimili, cives cum civibus diu crudeliterque digladiantes, christianam caritatem praedicando, composuit, ita Nobis liceat haec tanta populorum inter se odia Sanguinis Iesu Christi virtute restinguere. Ac caelestium auspicem munerum peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres,

clero et populo vestris concredito curis apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x mensis iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

VII

AD RR. PP. DD. NATALEM BRUNI, ARCHIEPISCOPUM MUTINENSEM, CETEROSQUE AEMILIAE EPISCOPOS, LITERIS RESCRIBENS QUAS EX MUTINENSI CONVENTU OFFICII CAUSA DEDERANT.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Grata Nobis fuit vestra epistola, quam Mutinae in unum coacti ad Nos proxime officii causa scripsistis: iucundam non dicimus, cum id tristissima tempora non sinant. Eam praesertim partem litterarum dileximus, ubi, quam ponimus operam iam dudum vel maturandae paci vel belli levandis doloribus, eis verbis prosequi voluistis, ut appareret non modo vos Nostras partiri sollicitudines, sed etiam ad eam ipsam operam, quantum esset in vobis, adiuvandam sanctis ad Deum precibus insistere, utrumque est pietate vestra dignum: sed alterum vel gratius Nobis, utpote magis necessarium, studium istud comprecandi. Itaque quod pollicemini sacerdotes vestrarum dioecesium universos in proximo festo Apostolorum Principum una vobiscum ad mentem Nostram litaturos, vehementer id Nos delectat. Nec minus observantiae significationem amamus, qua promulgationem Codicis Iuris Canonici accepistis. Huc igitur pro vestra diligentia iricumbite, ut in vestris ecclesiis hae leges eum, qui est in votis, fructum plene afferant confirmandae disciplinae. Divinorum vero munerum auspicem et peculiaris benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, venerabiles fratres, et universo cui praeestis clero ac populo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x mensis iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACKA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

CIRCA QUASDAM PROPOSITIONES DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI '

Feria IV, die 5 iunii 1918.

Proposito a Sacra Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus dubio: Utrum tuto doceri possint sequentes• propositiones:

I. Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam, quam habent beati seu comprehensores.

II. Nec certo dici potest sententia, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis.

III. Placitum quorumdam recentiorum de scientia animae Christi limitata, non est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia universali;

Eñii ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum decreverunt : *Negative.*

Insequenti vero feria V eiusdem mensis et anni, in solita audientia, R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de his Ssmo D. N. Benedicto Papae XV relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum PP. approbavit, confirmavit et publicari mandavit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 7 iunii 1918.

Aloisius Castellano, *S. B. et U. I. Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I
DECRETUM

CANONICIS CATHEDRALIS BIELLENSIS PRIVILEGIA CONCEDUNTUR

Ut Cathedralis ßiellensis Capitulo apostolicam benevolentiam testaretur et Rmis Canonicis patefaceret quam pro merito aestimaverit ipsorum observantiam in excipiendis pontificiis decretis et innovationibus, quibus cultum B. Mariae Virginis in celebri sanctuario Oropensi melius ordinandum et augendum curavit, SSmus **D.** N. Benedictus **PP.** XV voluit et constituit ut memorati Canonici Cathedralis Biellensis titulo etiam Canonicorum Basilicae B. M. V. de Oropa amodo condecorentur. Statuit insuper Sanctitas Sua ut iidem Canonici, tam in Cathedrali Biellensi quam in praedicta Basilica B. M. V. de Oropa et quandocumque collegialiter procèdent, aureum numisma, effigiem referens sacrae leonis B. M. V. de Oropa, e collo pendens gestare queant.

Super quibus eadem Sanctitas Sua edi iussit praesens consistoriale decretum: contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus huius Sacrae Congregationis Consistorialis, die 12 iunii 1918.

)J| C. **CARD. DE LAI**, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

It. % S.

f V. **SARDI**, Archiep. Caesarien, *Adsessor.*

II

DESIGNATIO QUORUNDAM ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE A METROPOLITIS IUXTA CAN. 1594, § 2.

Cum ex praescripto can. 1594, § 2, statutum sit ut « a causis in « prima instantia pertractatis coram Metropolita appellatio fiat ad loci « Ordinarium, quem ipse Metropolita, probante Sede Apostolica, semel « pro semper designaverit »,

Emus Patriarcha Venetiarum designavit Ordinarium Patavinum.

Rmus Archiepiscopus Ianuensis, Ordinarium Savonensem.

Rmus Archiepiscopus Golocënsis et **BaGsiensis,** Ordinarium Gsanadiensem.

SSñlus D. N. Benedictus PP. XV, audita relatione Emi Secretarii Sacrae Congregationis Consistorialis, designationes ut supra factas approbare dignatus est.

III

NOTIFICATIO

Notum fit quorum interest, iam ab anno 1908 vagari in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis quemdam qui se appellat Albertum Biondi, quique, habitu clericali indutus, modo sacerdotem e dioecesi Boianensi in Italia, modo religiosum Ordinis S. Benedicti se dictitans, Missarum stipendia colligit ac saepe, falsa documenta exhibendo, facultatem Missam celebrandi ac sacrum ministerium exercendi obtinuit.

Cum vero factis investigationibus constiterit eumdem ignotum esse tam in dioecesi Boianensi quam penes moderatores Ordinis S. Benedicti,. Ordinarii monentur ut ab eo caveant.

IV

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, Ssmus D. N. Benedictus PP. XV has* quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

11 iunii 1918. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Iconiensi praefecit R. P. D. Petrum Di Maria, hactenus episcopum Catacensem, renuntiatum Delegatum Apostolicum in dictione Canadensi et Terrae Novae..

18 iunii. — Cathedrali ecclesiae Fulginatensi R. D. Stephanum Corbini, Metropolitanae ecclesiae Senensis canonicum poenitentiarium.

— Cathedrali ecclesiae Sancti Aloisii de Maragnano R. P. D. Helvetium Gomes.de Oliveira, iam episcopum Corumbensem.

— Cathedrali ecclesiae Aberdonensi R. D. Georgium Bennet, parochum loci « Hawick » in archidioecesi S. Andreae et Edimburgensi.

20 iunii. — Cathedrali ecclesiae Thelesinae seu Cerretanae R. D. Iosephum Signore, canonicum cathedr. Liciensis et seminarii rectorem.

SA CEA CONGREGATIO CONCILII

CONSENTINA

MISSAE PRO POPULO

12 iunii 1917 et 9 februarii 1918

SPECIES FACTI. - Tribus parochis ecclesiae paroecialis **S.** M. Gratiarum in oppido *S. Giovanni in Fiore* Gonsentinae archidioecesis iniunxit Archiepiscopus ut singuli Missam pro populo, singulis dominicis et diebus festis applicarent, non obstante contraria immemorabili consuetudine, qua tantummodo unus eorum *per turnum* Missam pro populo hucusque celebraverat. Contra mandatum Archiepiscopi ad Hanc **S.** Congregationem parochi recurrunt, et quaestio disceptanda proponitur sub dubio :

An consuetudo applicandi per turnum Missam pro populo sustineatur in casu.

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - *In parochorum favorem* haec deducuntur. Exsistentia consuetudinis immemorabilis in casu est extra controversiam: eius igitur vis et efficacia summopere est attendenda, usquedum non constet in casu immemorabilem quoque consuetudinem esse reprobatane At in themate applicationis Missarum non alia consuetudo reprobata invenitur, iuxta Const. Benedicti XIV *Cum semper oblatas*, diei 19 augusti 1744, § V, nisi cuius vi diebus festis a nullo prorsus curato Missa pro populo in determinata paroecia applicatur. Porro huiuscemodi inconveniens in casu nostro minime contingit. Licet enim singuli parochi oppidi **S.** Iohannis *in Fiore* habeant proprios parochianos designatos et distinctos per territorium, una tamen seu unica est in oppido paroecia: id ostenditur non modo ex eo quod unus est titulus, una ecclesia paroecialis, unus fons baptismalis, ac per turnum singuli curati functiones stricte paroeciales obeunt; sed potissimum ex historicis documentis, quibus arguitur antiquitus eam paroeciam fuisse Praelaturaiù nullius, ubi cura animarum ad unum Abbatem pertinebat, qui alios quidem assumebat ut vicarios curatos tamquam suos cooperatores et adiutores, sed ipse unus applicabat Missam pro populo: unde et in praesenti tres

parochi congruam seu pensionem a Gubernio percipiunt, tamquam « curati ecclesiae Gommendae S. Iohannis *in Fiore* ».

Posito igitur quod una sit in casu paroecia, manifesto nonnisi una* Missa pro populo singulis festis est applicanda, quod nullo iure reprobatur fieri per turnum ab unoquoque parocho iuxta consuetudinem. Ad rem faciunt complures huius S. Ordinis resolutiones, ubi pluries istud principium receptum et confirmatum est, nimirum ubi una tantum est paroecia, licet plures sint qui in ea curam animarum habent, non ab omnibus curatis Missam pro populo esse applicandam, sed ab uno determinato, sive per turnum sive per aliam rationem. Ita in *Romana^* 29 aug. 1744; in *Ripana,* 15 dec. 1762; in *Galaguritana,* 8 maii 1773; in *Patavina,* 14 aprii. 1804; in *Gamerinen.,* 16 dec. 1820, etc. Signanter attendenda est laudata resolutio in *Galaguritana,* cuius species ex Pallottini, v. *Parochus,* § VI, n. 22, ita contrahi potest: Duae paroeciales erant in loco Enciso, quae insuper numerabant sex filiales in oppidulis vicinis: cura verum animarum a quatuordecim parochis exercebatur communi ratione, quia unus censebatur esse populus, una paroecia. Olim parochi tenebantur applicare pro populo 814 Missas annuas, quae inter omnes parochos quadam ratione distribuebantur. Cum illud onus grave videretur, parochi supplicarunt pro reductione Missarum applicandarum; et S. G. responsum dedit: « Pro gratia redu- « ctionis ad unam Missam singulis diebus festis pro qualibet ex eccle- « siis parochialibus oppidi Encisi, nec non pro reductione ad unam « Missam pariter diebus festis in aliis filialibus ecclesiis, *per turnum « celebrandam,* collatis tamen suffragiis in unum pro toto populo ». At in casu nostro favorabilior prorsus est rerum status: non enim agitur de abroganda ex gratia contraria onerosa consuetudine, sed de ea confirmanda quae in favorem parochorum ab immemorabili viget.

Ex adverso plane conceditur adesse in casu immemorabilem consuetudinem applicandi ab unoquoque tantummodo parocho per turnum Missam pro populo. Reprobata vero est in Constitutione Benedicti XIV, *Ounu semper oblatas,* § V, consuetudo, etiamsi hominum memoriam antecedat, quotiescumque aliquam paroeciam applicatione privat unicae illius Missae in diebus festis, ad quam unaquaeque paroecia, ex communi lege, ius habet. Unde haec S. Congregatio in quaestione de Missa pro populo- nullum momentum consuetudinis agnoscit, nisi agatur de obligatione ex alio fonte quam ex communi iure provenienti, v. g. ex fundatione speciali, vel e bulla erectionis paroeciae, aut quaestio fiat de persona cui incumbat obligatio: in casu autem nostro nonnisi de obligatione:

ex iure communi agitur, neque dubium superest a quonam obligatio- sit sustinenda, si de obligationis exsistentia constet. Quapropter factum consuetudinis immemorabilis in casu nostro nullam per se solum vim exserit.

Etiam plane conceditur ex iurisprudentia S. Congregationis non haberi obligationem plures Missas, sed unam dumtaxat, pro populo applicandi, ubi paroecia non est nisi una, etsi plures sint sacerdotes, qui in eadem, sive promiscue, sive in regionibus distinctis, curam animarum exercean. Attamen animadvertitur in resolutionibus ex adverso allegatis, ubi S. Congregatio unam solummodo Missam per turnum aliterve celebrandam decrevit, paroeciam citra omne dubium fuisse *unam* ratione nempe curae habitualis quae penes unam personam physicam vel moralem, uti Capitulum residebat. Ita in *Romana* 29 aug. 1744, quoad Capitulum S. M. in Transtyberim; in *Ripana,* 15 dec. 1762, quoad collegiatam S. Nicolai terrae Aquaevivae; in *Patavina,* 14 aprii. 1804, et in *Camerinen.,* 16 dec. 1820, quae ambae sunt de Capitulo Cathedrali; quibus addi potest et *Volaterran.,* 27 febr. 1858, ubi, similiter ac in praecedentibus, relata consuetudine in ecclesia cathedrali Missam pro populo diebus festis non a solo parocho, seu Vicario perpetuo, sed ab omnibus canonicis per turnum celebrari, S. C. respondit esse servandam (cfr. Lingen et Reuss, *Causae selectae p. s. p.,* n. 467). Denique nec factispecies causae Calaguritanae, 8 maii 1773, cum casu nostro similitudinem aliquam dicit, ut patet ex aliis verbis a Pallottini subiectis: « *Nulla,* « ait, *inter parochos erat ecclesiarum distinctio,* sed anno quolibet, die- « 14 septembris, unusquisque iuxta ordinem antianitatis, illius paroe- « ciae curam assumebat, quam sibi praeeligere placebat ».

Resolutiones itaque illae parum ad dubii solutionem conferunt,, quum cardo totius quaestionis hic sit, an tres regiones sub unico titulo ecclesiae S. Mariae Gratiarum tribus parochis respective commissis, unam reapse paroeciam vel potius tres paroecias distinctas, licet quodammodo sub uno tecto, constituant.

Hoc postremum ex actis scatere videtur. Constat enim in primis unumquemque parochum habere exclusivam curam distinctae plebis, intra certos et distinctos territorii fines, qui vulgo denominantur, pro una paroecia *delia Cona,* pro altera *del Monastero,* pro tertia dei *Cappuccini;* hanc curam esse exclusivam vel ex eo patet, quod, ut ex actis docemur, matrimonio fidelium ex unaquaque paroecia assistit parochus proprius contrahentis, ad normam communis iuris: *solent tdmen ad invicem parochi delegationes commutare;* ergo, alii duo, sine delegatione tertii parochi, matrimoniis fidelium in huius territorio domicilium haben-

tium, assistere nequeunt: quod qui fieri potest, si cura cuique parocho commissa ad totum territorium communis ecclesiae extenditur? Nec denique intelligitur cur in bullis nominationis novi parochi, aliis duobus exstantibus, paroecia S. Mariae Gratiarum *vacare* dicatur ob decessum praedecessoris.

Equidem tres diversae regiones unam solummodo ecclesiam paroecialem habent, quod profecto incongruum est, si paroeciae distinctae sunt; inde etiam prono alveo fluunt alia insueta quae in actis commonstrantur: communis nempe paroeciarum titulus, idem sigillum quamvis illius exemplar unicuique parocho suum sit, fons baptismalis communis, promiscua baptismi administratio licet nomina baptizatorum in distinctos tres libros referantur, celebratio divinorum officiorum, praedicatio, etc., per turnum et generatim tacita Conventio inter parochos ut sibi mutuo opem ferant in cura animarum exercenda. At enim communis haec participatio unius eiusdemque ecclesiae paroecialis non obstat quominus curae paroecialis participantes distinctas paroecias constituant: paroecia enim in suo esse iuridico - ut dici solet - cum iuribus et officiis plene constituta esse potest, quin propriam ecclesiam habeat; ad tradita per Monacell., *Formul.;* p. I, tit. 2, form. 3, n. 3; Piton., *Discept.,* 160, n. 10; Reclus., *De reparoch.,* part. I, tit. 12, n. 82; Zipaeum, *Bespons.,* n. 2, de eccl. aedif. Cf. quoque resolutionem per S. Congr. de Propaganda Fide Ordinario Quebecensi significatam, d. 26 febr. 1875 ad 3: « Quando una paroecia ßaret ecclesia, et populus eius ad alteram - « ecclesiam venit ut obligationi satisfaciat audiendi Missam, teneturne « idem parochus (qui duabus praeest paroeciis) ad applicationem dua- « rum Missarum, si habeat Vicarium vel alium sacerdotem aut etiam « bis celebret ipse? R. Affirmative » *{Coll. Prop. Fide,* ed. 1907, n. 1436).

Neque ad adstruendum curam habitualem S. Mariae Gratiarum esse penes unam personam physicam vel moralem, satis est quod parochi recurrentes asserunt, curam habitualem revera olim exstitisse apud Abbatem seu Commendatarium, qui curatos tamquam vicarios suos assumeret. Refert enim Archiepiscopus, auctoritate historiographi P. Giovanni Fiore in opere *Calabria illustrata,* oppidum et ecclesiam tantummodo quoad temporalia sub iurisdictione Abbatis Commendatarii vel ab initio fuisse, quo vero ad curam animarum Archiepiscopo Consentino semper subiacuisse. Huiusce vero historiographi assertio veridica comperta est ex collatione cum Actis Visitationis Apostolicae dioecesis Consentinae a. 1628 peractae, quorum autographum in Archivo H. S. C. asservatur, in cuius fol. 69 haec leguntur: « Die 16 eiusdem mensis septembris « R. D. Visitator itinere huius diei *(a Ripafitta)* pervenit in oppidum

« S. Iohannis in Flore in temporalibus sub iurisdictione et potestate « Abbatis qui de praesenti est Illmus et Rmus D. Cardinalis Ubaldinus, « quo vero ad curam animarum et sacramentorum administrationem « subiectum Illmo Archiepiscopo Consentino ». Unde liquet non posse actuales parochos successores et vicarios censeri Abbatis Commendatarii in onere Missae pro populo; quamobrem argumentum ex adverso prolatum ex fundamento corruere necesse est.

RESOLUTIO. - Proposito itaque in plenariis S. C. Concilii comitiis, die 12 iunii 1917 primum et iterum die 9 februarii 1918, suprascripto dubio, Emi Patres respondendum censuerunt:

« Negative, seu consuetudinem non sustineri: ideoque unumquemque « parochum non per turnum sed per se teneri singulis diebus dominicis « et festivis ad applicationem Missae pro populo sibi commisso; *et ad « mentem.* Mens est: curet Archiepiscopus in praxi servandum canonem « 1096 C. I. C. quoad delegationes in matrimoniorum celebratione ».

Factaque de praemissis SSmo Dno Nostro Benedicto Div. Prov. PP. XV relatione per infrascriptum S. Congregationis Secretarium, in subsequenti Audientia diei 11 februarii 1918, Sanctitas Sua datam resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. **MOBI,** *Secretarius.*

SÁCEA CONGREGATIO DE EELIGIOSIS

DE REGULIS ET CONSTITUTIONIBUS RELIGIOSORUM AD NORMAM CANONIS 489 CODICIS IURIS CANONICI REFORMANDIS.

Ad normam Canonis 489 Codicis Iuris Canonici « Regulae et parti« culares Constitutiones singularum religionum, canonibus Codicis non « contrariae, vim suam servant; quae vero eisdem opponuntur, abro« gatae sunt », ac proinde earum textus emendandus erit. Ne autem'in re tanti momenti aliquod inconveniens oriatur, Sacra Congregatio Sodalium Religiosorum negotiis praeposita praescribit emendationes textus Regularum et Constitutionum suo esse subiiciendas examini. Hoc omnes et singulae iuris pontificii Religiones, itemque quaevis Societates sine\ votis publicis, sive virorum sive mulierum, in communi viventium,/ opportune peragent cum relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem transmittent iuxta praescriptum canonis 510. Quapropter interest ut omnes Religiones una cum praedicta relatione quaedam suarum Regularum Constitutionumve exemplaria ad Hanc Sacram Congregationem mittant.

Sacra insuper Congregatio hortatur enixeque rogat Revmos Ordinarios locorum in quibus alicuius Religionis Moderatores supremi et Congregationum mulierum supremae Antistitae commorantur, ut quamprimum de his omnibus illos certiores faciant.

Romae, ex Secretaria S. Congregationis, die 26 iunii 1918.

I. CARD. TONTI, *Praefectus.*

f Adulphus, Ep. Canopitan., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA ROMANA ROTA

GALLIPOLITANA

NULLITATIS MATRIMONII (DE DONATIS-SORRENTINO)

Benedicto XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die 16 augusti 1917, RR. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Aloisius Sincero et Fridericus Cattani Amadori, Auditores de Turno, in causa* Gallipolitana - Nullitatis matrimonii, *inter* Mariam De Donatis *actricem, repraesentatam per procuratorem legitimum Augustum Milani, advocatum, et* Ioannem Sorrentino, *repraesentatum per legitimum procuratorem Ioannem Guasco, advocatum, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Teresa De Donatis, vidua relicta cum unica filia Maria, quam summopere diligebat, cum ad felicitatem comparandam magnam conferre opem putaret divitiarum copiam, ut filiae, duodeviginti annorum aetatem agenti, stabili modo prospiceret, ipsi proposuit ut nuptias iniret cum iuvene quodam, Ioanne Sorrentino nomine, et ipso filio unico matris viduae, quem ditissimum fuisse fama ferebat. Quamvis puella haud nimis allecta fuerit nuptiis propositis, perpendens defectibus quibusdam animae et corporis in viro sibi proposito vix supplere potuisse opes decantatas, tamen, consilio matris obsequens, cui fidenter sortem suam committebat, matrimonio consensit, et sacro foedere coniugali cum Ioanne unita est die 30 iunii 1894. Divitiarum affluentia, vero, animorum concordiam in domum coniugalem non attulit, ubi iurgia frequentia sponsorum, obiectis sibi mutuo criminibus violatae fidei, eo tandem devenerunt ut separatio bonorum et corporum sex circiter annos post initum matrimonium a magistratu civili de consensu partium decreta fuerit. Duodecim deinde annos Maria cum matre convixit, qua defuncta anno 1912 statuit ut a ligamine civili, quo adhuc cum viro devincta erat, se liberaret. Quod cum non sinerent patriae leges, viro persuasit,

proemio pecuniario ad hunc finem ipsi collato, ut, iura status civilis in Regno Hungarico nactus, divortium ibidem peteret, quod iuxta vota mulieris concessum est. Maria tunc Curiae Gallipolitanae libellum porrexit, in quo matrimonium suum cum Ioanne nullitatis accusavi! ex capite vis et metus: sententia vero Curiae, post rem diligenter inquisitam iudiciali ordine servato, die **10** iulii an. **1915** prodiit actrici adversa. Interposita appellatione ad N. S. Ordinem, et aliis testibus, instante actrice et mandante D. Ponente, rite excussis, causa nobis hodie proponitur sub consueta dubii formula : *An constet de nullitate matrimonii **in** casu.*

Notissima sunt iuris principia de impedimento vis et metus, in recentibus S. R. Rotae decisionibus pluries exposita: satis erit, igitur, pauca quaedam recolere, quae magis ad rem nostram faciunt, ex recentissima causa *Lugdunen,* coram Prior die **5** iunii **1917** definita. **Metus** matrimonium irritans, ad normam iuris in cap. **14, 15** et **27** *De sponsalibus,* saltem respective gravis esse debet: metum patiens, videlicet, malum grave a causa libera, iniuste agente ad extorquendum consensum matrimonialem, sibi imminere apprehendi!, quod aliter, sine magna sak tem difficultate, evitari nequit nisi matrimonium contrahendo. Metus autem reverentialis ex sese levis est, et gravis evadit tantummodo si per minas qualificatur, aut verbera, aut preces instantes et importunas aut denique per indignationem paternam diu duraturam.

Unde sequentes conclusiones eruuntur: *a)* qui solam oftensam patris vel superioris veretur, valide contrahit (D'Annibale, tom. 1, num. 138, not. 16, ed. 3) quia malum, quatenus saltem grave videri possit, non sibi, ut ratio metus matrimonium dirimentis postulat, sed alteri imminens apprehendi! *b)* Item qui matrimonio consentit, quia mqrem Vult gerere patris aut superioris, valide contrahit, quia invitus non agit (D'Annibale, **1.** c.) neque consensum praestat ut malum sibi imminens evitetur, c) Genitores licite consilia praebent filiis, imo et saepe praestare debent, praesertim si minores sunt, respectu matrimonii contrahendi quibus consiliis filii adhaerentes etiam ex timore reverentiali, valide contrahunt, *d)* Genitores suasionibus uti possunt, dummodo non ita importunae sint ut minas graves virtualiter contineant, *e)* Modicam pressionem vel increpationem ipsis adhibere licet ad matrimonium urgendum (Sánchez, lib. **4,** disp. **22,** n. **5,** cum aliis, *f)* Licet ipsis etiam causas matrimonium urgentes filiis exponere, quae in circumstantiis rerum obiectivis continentur, et a libera voluntate eorum non dependent: ad rem ait D. Thomas Suppl. part. 3, qu. **47,** art. 6: «Pater non « potest cogere filium ad matrimonium per praeceptum cum sit liberae

« conditionis; sed potest eum inducere ex rationabili causa: et tunc « sicut se habet filius ad causam, ita se habet ad praeceptum patris: « ut scilicet si causa illa cogat de necessitate, vel de honestate, et « praeceptum patris similiter cogat: alias non ». Idem obtinet, ut patet, si pater malum aliquod exponat, quod filio ant filiae imminet ex obiectivis rerum circumstantiis, si matrimonium recusatur: nam metus, si quivis adsit, malo illo imminenti respondens, non esset a causa libera incussus, prout metus matrimonium irritans requirit.

Ad factum quod attinet. - Mulier declarat se minis fuisse coactam : « Altra volta mi diceva (i. e. mater eius) : " Se non ti sposi Giovannino « devi rinunziare alla mia compagnia,,; giacche mi aveva promesso, sa« pendo l'attaccamento mio con lei, di vivere con me anche dopo il matri**ce** monio. Altra volta mi diceva, che se non l'avesse ubbidita, mi avrebbe « fatta fare monaca ». Verum, quod ad minas spectat primo loco indicatas, dicendum est eas omnino carere m inarum indole, quae metum gravem in sensu canonico generare possunt. Malum enim imminens debet esse privatio boni debiti, ut Auctores explicant ubi docent timorem amissionis lucri quod non est alicui debitum, non irritare matrimonium, sicut nec quemlibet contractum (cfr. Sánchez, *De matr.,* lib. 4, disp. 5, n. 27-29; Pontius, *De matr.,* lib. 4, n. 10; et alii communiter; Rota, *Nicien.,* coram Many 31 iulii 1915, *Act. Apost. Sed.,* anno 1916\ p. 110).

Nemo vero dicet esse bonum uxori debitum ut matrem suam secum habeat Conviventem in domo viri sui. Normaliter enim et fere universaliter matrimonium filiam distrahit a genitoribus ; quod non obscure innuit Dominus ubi dixit : « Propter hoc dimittet homo patrem et ma« trem et adhaerebit uxori suae » (Matth., XIX, 5). Quod a fortiori obtinet respectu mulieris, quae patriam potestatem in domo coniugali non habet.

De minis autem detrusionis in monasterium non constat. Nullus enim testis, praeter actricem, id refert de scientia propria, tanquam factum quod propriis sensibus percepit. Aliqui locutionem genericam adhibent: « Mi consta », etc., sicut Rosa et Stephanus Vetroniille, quin fundamentum huius persuasionis indicent. Minae autem non probantur per testes qui de circumstantiis minarum non deponunt, ut docet Goscius, *De sep. thori,* lib. I, cap. 8, n. 77 seqq.; Rota, dec. 301, n. 17, par. U, rec. Coscius ait (1. c.): « Testes generice deponentes iussu patris « per filium nuptias fuisse contractas, metum minime probant ». Et ibidem (n. 61): « Metus tamen pro annullando matrimonio non probatur

« per testes non concludentes de circumstantiis minarum ». Cf. Rota, dec. 334, n. 9, par. 11; dec. 172, num. 7, par. 15; dec. 490, n. 2 et seq., par. 18, tom. 2 rec.

Ex quatuordecim testibus ab actrice inductis in processu suppletorio nemo deponit de minis ex scientia propria; tres tantummodo affirmant se aliquid audisse de minis. Antonius Vitelli ait: « Ho inteso « dire che furono queste minaccie ». Salvatore Avitabile: « Ne ho inteso « parlare in famiglia ». D'Amora Catelli: « Per il tramite di mia moglie « ho saputo che per confidenza ricevuta dalla sposa di Sorrentino (ideo« que post matrimonium) questa precedentemente al matrimonio era « minacciata ». Testis est nempe de auditu remoto et tempore suspecto. Hi tres testes, cum de auditu tantum deponant, quin circumstantias declarent, minas non probant. Alii omnes testes in secundo interrogatorio excussi, undecim nimirum, responderunt se de minis nihil scire.

Ex alia parte, testis Agatha Savarese, quae ex familiari consuetudine qua utebatur cum familia actricis specialem auctoritatem habet, contra exsistentiam minarum concludit: « Ignoro se veramente la madre l'avesse « minacciata di farla suora, se non avesse sposato Giovannino. TengO\ « a dichiarare però, che ritengo che se la madre le avesse fatta questa^ « minaccia, lei me lo avrebbe confidato per l'intimità in cui stavamo: « debbo aggiungere che sfoghi, confidenze non me ne faceva, perchè io « vedeva e sentiva tutto, stando là come persona di famiglia ». Et Dominicus De Donatis: « Io escludo che la madre abbia esorbitato nell'eser« cizio della sua autorità materna verso la Maria ». Sebastianus Vetromille: « Non mi risulta, nè credo capace la madre della Donatis di avere « usato minaccie verso la figlia per costringerla al matrimonio col Sor« rentino ». Ceteroquin, inverisimilitudo huiusmodi minarum ex ipsa actricis confessione elucet, quae ait se nunquam matri explicite retulisse aversionem suam erga virum sibi propositum: « La mia sventura « fu, che io non ebbi mai il coraggio di dire a mia madre ciò (la ripu« gnanza verso di lui invincibile) in forma recisa, pel timore che essa « mi incuteva ». Curnam igitur, mater minas adhiberet versus filiam, quam videbat votis suis obsequentem?

De verberibus vel precibus matris importunis testes non loquuntur, sed neque diuturna matris indignatio causa metus fuit, ut ex mox dicendis patebit.

De repugnantia Mariae a sponso futuro et de frigida ipsius conversatione cum illo testes deponunt. Ita Iosephus Vetromille: « Lo sposo « futuro destò in lei un senso d'avversione, e diceva, nel confidarsi « a me, che non lo sapeva digerire il Sorrentino. La madre si era

« accorta dell'avversione della figlia verso il Sorrentino e cercava per-
« suaderla ».

Item Rosa Massa, D'Amora Catelli, Capua Catelli. Eadem puellae repugnantia elucet ex epistola mense februarii 1894 ad amitam, Iosepham Vetromille, missa quinque circiter menses ante matrimonium. Carentia amoris vero validitati matrimonii non nocet, cum consensus, non amor, coniugium faciat (cap. 14, *De sponsal.*, X, lib. 4). Indicium quidem esse potest coacti consensus, qui tamen aliunde probandus est.

Probatio autem coactionis ex parte matris actricis deest in testium depositionibus, quae potius confirmant matrem consiliis et suasionibus, futuri coniugii luxum, et otium, et divitiarum copiam extollendo, filiae repugnantiam vicisse. Narrat ipsa actrix: « Credo, anzi sono certa, che « questo matrimonio, combinato a mia insaputa, fu voluto da mia ma- « dre, perchè affascinata dalle ricchezze della famiglia Sorrentino, descrit- **te** tele come favolose dal suddetto mio zio, Luigi Starace, ottimo uomo, « ma fantastico come mai.... Mia madre su le generali mi faceva gli « elogi delle ricchezze di lui e della sua famiglia, descrivendomele a vivi « colori, parlandomi di saloni, di carrozze e di cavalli.... Mia madre mi « rispondeva : " L'avessi la fortuna di averlo sposo Giovannino „. Cer- « cava di persuadermi, descrivendo le ricchezze del Sorrentino.... Mi « diceva che io non poteva capire la fortuna, che mi era capitata, e che « se me l'avessi fatta sfuggire mi sarei trovata pentita dopo ». Similiter testantur Dominicus De Donatis, Francisca Vetromille, Agatha Savarese, Archipresbyter D'Elia, Camillus De Tornasi et Agnes De Tornasi.

Aliqui testes affirmant puellam matrimonio consensisse quia morem matris gerere voluit, cum noluerit eam contristare. Id vero validitati consensus non officit (D'Annibale, t. 1, n. 138, not. 16, ed. 3) cum malum quod metum patiens evitare vult, tanquam sibi non alteri imminens apprehendere debeat. Ita testatur Agatha Savarese : « Sono con- « vinta che Maria cedette alla volontà della madre, perchè per non « dispiacerle faceva tutto quello che la madre voleva, anche nelle cose «più insignificanti». Eugenius Vetromille: « Per tema di non dare il « minimo dolore alla madre, convinta che quest'ultima agiva sempre « pel bene di lei, si piegava ciecamente alla sua volontà ». Similiter testantur Augusta Consiglio-Franza, Rosa Massa et Maria Ingrosso.

Porro, ex actis probabiliter saltem constat Mariam non solum morem matris gerere voluisse, sed etiam persuasam fuisse, omnibus perpensis, sibi convenire matrimonium propositum, eique deliberate consensisse. Ait testis Vincentia Marzo : « Durante il fidanzamento, parlandone « con me, si mostrava entusiasta delle ricchezze che questo matrimonio

« le avrebbe apportato ». Christina Piccolo testatur: «Debbo però ajggiun- « gere che quando la vidi la prima volta dopo il matrimonio, si mostrava « molto contenta, senza fare menzione del marito. Quando mi mostrò « il corredo, era contentissima di vedere tutta quella roba „ ». Sed praecipue elucet ex epistola, quam vix unum mensem ante nuptias celebratas viro futuro misit. Scribit: « Caro Giovannino. L'ultima tua lettera « dimostrava una freddezza ed una indifferenza tale che, a dirtela schietta* « invece di invogliarmi, mi sorprende grandemente. Non parlo dell'effetto « disgustosissimo che mi hanno prodotto le tue parole : " Sposerò quando « voi credete vi faccia comodo; fissatemi il giorno e sarò costà „ ». Optima occasio hic puellae oblata erat, qua uti poterat ad nuptias efficaciter recusandas, si animum habuisset matrimonio adversum, e contra queritur de frigido viri modo et amoris carentia, tanquam de re quae improviso eam opprimit, cui videlicet ex sua parte ansam non dederat. Prosequitur: « Dal tuo modo di scrivere mi accorgo chiaramente che «il matrimonio non ti entusiasma menomamente, dovrà sembrarti di « grandissimo peso. Se è così, allora sarei infelicissima compiendolo, « perchè non si tratta di un legame di un anno, o due, ma dell'intera \ « vita nostra, e sài deve essere un bel crepacuore l'unirsi indissolubile « mente con una persona a cui si è poco affezionati. Se questo matri- « monio tu lo fai per pura convenienza o per altre ragioni, fai molto «male ed un grande errore, così saremo tutti e due infelici per tutta < la vita. Rifletteci bene, altrimenti andiamo incontro ad un guaio che « non si può riparare. In quanto a me mi rimetto a quello che mamma « dice ».

Virum nempe monet de gravi onere matrimoniali in perpetuum assumendo, ad quod proinde non leviter sed serio ac deliberato animo accedendum est, ne exitus infelices sequantur. Dubia innuit de serio ac deliberato animo et amore sincero ex parte viri: ex parte sua vero nihil habet contra matrimonium propositum nisi timorem quem exprimit circa animum viri. Denique, quod ad propriam intentionem attinet, respectu matrimonii contrahendi, rem remittit iudicio matris suae, quam et ipsa et Ioannes Sorrentino, cui scribebat, apprime norunt matrimonio omnimode favere. Haec omnia, ut patet, mentem exhibent puellae gravitatem contractus matrimonialis rite et serio perpendentis et matrimonio favorabilis, dummodo non desit affectus ex parte viri.

Quibus omnibus in iure et in facto sedulo perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus, et definitive

sententiamus, proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu* respondentes: *Negative,* seu *non constare de nullitate matrimonii in casu.* Decernimus, praeterea, omnes expensas iudiciales ab actrice solvendas esse.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De ref,,* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 16 augusti 1917.

Ioannes Prior, *Ponens.*
Aloisius Sincero.
Fridericus Cattani AmadorL

L. © S..

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae

Sac. T. Tani, *Notarius.*

ACTA OFFICIORUM

SECRETARIA STATUS

EPISTOLA

AD RR. ITALIAE ORDINARIOS DE PRAXI CONSACRANOAE FAMILIAE SACRATISSIMO CORDI IESU.

Illmo e Revmo Signore,

Mi è grato portare a conoscenza della S. V. Illma e Revma, che l'Augusto Pontefice, amando dare più vasto impulso ed accrescere spleni dore all'Opera da Lui già tanto raccomandata della consacrazione ***detti*** famiglie al Sacro Cuore di Gesù, si è benignamente degnato assegnarle Egli stesso una organizzazione definitiva, che comprovi F importanza'ad essa attribuita dalla Santa Sede e ne faciliti il progressivo incremento.

È noto alla S. V. come, per desiderio del benemerito promotore dell'Opera P. Matteo Crawley, un sì fecondo apostolato sia stato fino ad oggi caldeggiato in Italia dall'unione fra le donne cattoliche, la quale, inalzando lo stendardo dell'amore divino, si è resa degna di riconoscenza e di encomio, come in tante altre utilissime iniziative, anche in questa che tutte le sopravanza.

Sorto peraltro il dubbio, se la diffusione di una così eletta devozione in mezzo alle popolazioni d'Italia debba anche nell'avvenire continuare ad essere affidata al menzionato sodalizio, o non piuttosto debba, come specie al genere e come parte al tutto, secondo le logiche esigenze, appartenere all'apostolato della preghiera, Sua Santità, ben considerata l'indole e gli scopi della consacrazione delle famiglie al Sacro Cuore di Gesù, si è degnata di manifestare il Suo venerato parere, che all'apostolato medesimo debba spettare d'ora innanzi il diffondere in Italia la salutarissima Opera, pur continuando la pietà delle donne cattoliche a procurarsi ulteriori benemerenze nel coadiuvare santamente lo zelo dei direttori dell'apostolato, col propagare la conoscenza di questa pia pratica e con l'inculcarne l'opportunità ed i vantaggi.

All'uopo la S. V. riceverà una lettera con particolareggiate istruzioni del direttore diocesano dell'apostolato della preghiera in Roma; ma io ho intanto il Sovrano incarico di prevenirla delle seguenti principali disposizioni: vale a dire che, cessando la presidenza centrale dell'unione fra le donne cattoliche d'Italia da fungere come segretariato nazionale dell'Opera, la direzione nazionale della medesima passa in sua vece all'apostolato della preghiera in Roma, il cui direttore diocesano viene stabilito direttore generale in Italia dell'Opera della consacrazione delle famiglie al Sacro Cuore di Gesù; che inoltre i varí direttori diocesani dell'apostolato della preghiera divengono senz'altro direttori dei segretariati diocesani per l'Opera della consacrazione delle famiglie; i quali segretariati, di conseguenza, cessano di far parte, là ove lo siano, dei comitati dell'unione; che nella costituzione dei nuovi segretariati diocesani in seno all'apostolato della preghiera, si tenga conto di quanto hanno già fatto i benemeriti comitati dell'unione fra le donne cattoliche, ammettendovi, qualora ciò sia possibile, alcune di esse; e che infine tutti i segretariati si costituiscano altresì in centri dell'apostolato della preghiera.

L'Augusto Pontefice confida che, convergendo opportunamente al santo scopo l'operosità dei direttori diocesani dell'apostolato e la incessante e sempre valida collaborazione della parola e dell'esempio delle donne cattoliche, l'opera organizzata su queste nuove basi sarà foriera di sempre più largo sviluppo e di sempre più elette benedizioni per tutte le diocesi d'Italia ed in particolar modo per quella che è affidata alle solerti cure di V. S.

Con sensi di distinta e sincera stima mi pregio raffermarmi

Vaticano, 10 maggio 1918.

della S. V. Dima e Revma

servitore

P. **CARD. GASPARRI.**

VICARIATUS URBIS

DECRETUM

SPECTACULIS, IN PUBLICIS VULGO « CINEMATOGRAFI », INTERESSE UTERQUE CLERUS DENUO PROHIBETUR.

Essendoci noto come non sempre nè da tutti gli ecclesiastici dell'uno e dell'altro clero siano osservate le savie disposizioni che in materia di pubblici spettacoli furono date da questo Vicariato con decreto del 15 luglio 1909, ricordiamo e rinnoviamo ora, per ordine ed autorità del Santo Padre, la proibizione assoluta al clero, così secolare come regolare, di assistere alle produzioni che si svolgono nei pubblici cinematografi di Roma, anche se fossero di soggetto sacro, senza alcuna eccezione. Contro i trasgressori procederemo con le pene canoniche, compresa la sospensione *a divinis.*

Ordiniamo ai Rettori delle chiese ed oratori pubblici di Roma di tenere costantemente affisso nelle sagrestie il presente nostro Decreto, aftinché non solo dai sacerdoti dimoranti in Roma, ma anche dai forestieri di passaggio per questa città possa essere conosciuto ed osservato.

Dato dalla nostra Residenza, li 25 maggio 1918.

£g B. **CARD. POMPILJ**, Vesc. di Velletri, **VICARIO GENERALE DI** S. S.

L. % S.

F. Can. Pascucci, *Segretario»*

MARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 28 maggio 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Ordinaria Particolare,* nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali e i Rmi Prelati Officiali componenti la medesima, Manno dato il loro voto sopra le seguenti materie:

1) Intorno alla validità ed al rilievo del Processo Apostolico costruito nella Curia di Napoli sopra la fama di santità, virtù e miracoli in genere del Ven. Servo di Dio Pasquale Attardi, sacerdote secolare;

2) intorno al culto in ossequio ai Decreti di Urbano VIII non mai prestato alla Serva di Dio Suor Anna De Angelis Monteagudo, monaca professa dell'Ordine di S. Domenico;

3) e parimenti intorno al culto, come sopra, non mai prestato alla Serva di Dio Anna Maria Lapini, fondatrice dell'Istituto delle Povere Figlie delle Sacre Stimmate.

Martedì 11 giugno 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati Officiali •e Consultori teologi, si è tenuta la Congregazione dei Riti *Preparatoria,* per discutere il dubbio sopra l'eroismo delle virtù del Venerabile Servo di Dio Francesco de Montmorency-Laval, vescovo di Québec.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

•*31 maggio 1918.* L'Emo signor cardinale Aidano Gasquet, *Membro della Commissione cardinalizia per Vopera « Praeservationis fidei ».*

31 maggio 1918. Il Rev. sac. D. Ermanno Bonazzi, *Maestro soprannumerario delle Cerimonie Pontificie.*

9 giugno » L'Emo signor cardinale Giulio Tonti, *Protettore dell'Istituto delle Suore Terziarie Francescane Elisabettine, di Padova.*

12 » » Il Rev. sac. D. Giovanni Battista Nicola, *Segretario di 2ª classe di Delegazione Apostolica, destinandolo a prestare servizio presso la Delegazione Apostolica degli Stati Uniti d'America.*

15 » » L'Erao signor cardinale Raffaele Merry del Val, *Protettore delle Suore Benedettine dell'Adorazione perpetua del Santissimo Sacramento in Ronco di Ghiffa (Novara).*

17 » » Il Rev. P. Enrico Le Floch, della Congregazione dello Spirito Santo, *Consultore della Suprema S. Congregazione del S. Offizio.*

22 » » Mons. Francesco Solieri, *Consultore della S. Congregazione Concistoriale.*

24 » » Mons. Giacomo Sole, *Consultore della Commissione per V interpretazione del Codice di Diritto Canonico.*

26 » » Mons. Tommaso Esser, Vescovo titolare di Sinide e Mons. Francesco Solieri, *Consultori della S. Congregazione del Concilio.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

16 agosto 1917. Mons. Belisario Santistevan, vescovo di Santa Croce della Sierra.

Protonotari Apostolici ad instar participantium :

4 giugno 1918. Mons. Ildefonso Hervin, della diocesi di Arras.

6 » » Mons. Giorgio Prudente Maria Bruley des Varannes, dell'archidiocesi di Tours.

Prelati Domestici di S. S.:

7 maggio 1918. Mons. Ludovico Simon, della diocesi di Vannes.

31 » » Mons. Giuseppe Bellino, dell'archidiocesi di Conza.

7 giugno » Mons. Costantino Budkiewicz, dell'archidiocesi di Mohilew.

ONORIFICENZE

Con. Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

27 maggio 1918. Al sig. Eleodoro Romero, già ministro del Culto in Perù.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

1 giugno 1918. Al sig. cav. Augusto Grossi-Gondi, di Roma.
13 » » Al sig. Emilio Maria Francesco Stinglhamber, dell'archidiocesi di Malines.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

28 maggio 1918. Al sig. Guglielmo Basambrio, dell'archidiocesi di Lima.
» » » Al sig. Augusto Stanislao M. Giuseppe Meeus, della diocesi di Breda.
4 giugno » Al sig. Valerio Amabile Giuseppe Tabary, della diocesi di Arras.
5 » » Al sig. Antonio Vullinghs, dell'archidiocesi di Utrecht.
11 » » Al sig. principe Francesco Saverio Giuseppe Labre Bronislao Maria Ianusz Radziwill, dell'archidiocesi di Varsavia.

La Commenda delV Ordine di S. Silvestro Papa:

5 giugno 1918. Al sig. ing. Ettore Martini, della diocesi di Piacenza.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S.:

15 gennaio 1915. Mons. Vincenzo Miossevich, dell'archidiocesi di Zara.
» » » Mons. Angelo Piasevoli, della medesima archidiocesi.
10 novembre 1917. Mons. Pietro Espejo, della diocesi di Santa Marta.

11 marzo 1918. **Mons. Paolo Kaiser, del Vicariato Apostolico di Sassonia.**
3 giugno » **Mons. Giuseppe Falciola, della diocesi di Novara.**
» » » **Mons. Luigi Galli, della diocesi di Imola.**
5 » » **Mons. Milone Meloni, della diocesi di Treia.**
8 » » **Mons. Antonio Negro dell'archidiocesi di Torino.**
17 » » **Mons. Angelo Gaeta Caselli, di Roma.**

Camerieri segreti di Spada e Cappa soprannumerari di S. S. :

1 giugno 1918. **Il sig. comm. Giuseppe Mutsaers, dell'archid. di Bruxelles.**
11 » » **Il sig. Paolo Malafosse, della diocesi di Montpellier.**

Cameriere d'onore in abito paonazzo di S. S. :

25 maggio 1918. **Mons. Michele Veroli, della diocesi di Faenza.**
» * » **Mons. Giuseppe Bolzoni, della diocesi di Borgo S. Donnino.**
» » **Mons. Giuseppe Savio, della diocesi di Saluzzo.**
» » » **Mons. Andrea Vigo, dell'archidiocesi di Torino.**
11 giugno » **Mons. Giovanni Gori, della diocesi di Cesena.**
» » » **Mons. Giuseppe Alvisi, della medesima diocesi.**
15 >• » **Mons. Tommaso Frioni, di Roma.**
17 » » **Mons. Cesare Rossi, di Roma.**

Cameriere d'onore **extra Urbem** *di S. S.:*

31 gennaio 1918. **Mons. Gioacchino Pereira Secco, della diocesi di Guarda.**

Cappellano d'onore **extra Urbem** *di S. S.:*

31 gennaio 1918. **Mons. Emanuele Gioacchino De Pai va, della diocesi di Funchal.**

NECROLOGIO

4 giugno 1918. **Mons. Francesco De Paola e Silva, vescovo di S. Luigi del Maragnano (Brasile).**
8 » » **Mons. Giovanni Ignazio Gonzalez Eyzaguirre, arcivescovo di Santiago del Chili.**
» » » **Mons. Giuseppe Cadena y Eleta, arcivescovo di Burgos.**

Annus X - Yol. X 1 Augusti 1918 Num. 8

ACTA APOSTOLICAE~SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

MOTU PROPRIO

SODALIUM SS. CRUCIFIXI AD S. MARCELLI NOVAS CONSTITUTIONES RATAS HABET

BENEDICTUS PP. XV

Tribus abhinc annis, cum sanctissima Iesu Crucifixi Imago, quae Romae ad S. Marcelli asservatur, in Basilicam Vaticanam, supplicationis causa, translata esset, eam Nosmet ipsi venerati sumus: ot considerantes quam salutare esset atque adeo oporteret alere in animis hominum pietatem et amorem erga Passionem Domini, peroptatum Nobis fore declaravimus si Sodalicium, cuius est illius Imaginis tueri cultum, ad spem pristinae prosperitatis reviresoeret. Constat enim mirandum in modum caluisse studia maiorum in colenda sanctissima Effigie; sed quum processu temporis, ut fieri solet, ille pietatis fervor paullatim remisisset, ad eum excitandum decessor Noster Clemens XII die XXIV ian. MDCCXXXI Sodalicii constitutiones renovavit. Quae autem deinde his duobus saeculis rerum conversiones factae sunt, hanc ipsam consociationem sic affecerunt, ut opportunum videretur eamdem novis temporum rationibus accommodare. Huius quidem constitutiones nuper S. Congregatio Concilii, retractatas apte emendatasque, rite recognovit et probavit. Nos vero, plane confisi plurimos futuros qui tam pium et frugife-

rum institutum amplectantur, easdem Motu Proprio confirmamus et ratas habemus, contrariis non obstantibus quibuscumque. ;

Datum Romae apud S. Petrum die i mensis iulii, in festo Pretiosissimi Sanguinis D, N. I. C. MDCCCCXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

I

CONCEDUNTUR INDULGENTIAE ET PRIVILEGIA OPERI PIACULARI VULGO « DE MONTLTGEON » IN DIOECESI SAGIENSI.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Compertum est Nobis, opus piaculare in proprio templo intra fines paroeciae vulgo *La Chapelle-**Montr**ligeon,* dioeceseos Sagiensis, iamdiu erectum fuisse, cuius finis est relictas fidelium animas a purgatorio igne liberare. Atque ut huiusmodi caritatis pietatisque exercitatio uberius in Domino incrementum suscipiat, preces ipsius operis conditoris êt moderatoris generalis benigne excepimus, atque, audito etiam dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, frugiferam hanc institutionem petitis spiritualibus gratiis libenti quidem animo locupletamus. Quare praesentium tenore, apostolica auctoritate Nostra, omnibus ac singulis utriusque sexus christifidelibus, qui diebus D. N. Iesu Christi et Deiparae Virginis festis primae et secundae classis ex liturgico universo kalendario, et festis quoque B, Mariae Virginis a Monte Carmelo, celebritatis Sanctorum Omnium, S. Michaelis archangeli, S. Iosephi castissimi Deiparae Virginis Sponsi, Ss. Petri et Pauli apostolorum, S. Gregorii Magni, S. Bernardi, S. Francisci Assisinatis ac S. Latuini memoratae Sagiensis dioeceseos Patroni, tum admissa, vel ipsis diebus supradictis, vel uno ex octiduis eadem festa praecedentibus sive subsequentibus, rite expiaverint, tum coelesti pabulo, sive iisdem festis diebus, sive eorum pervigilio, sive denique quovis die ex octiduis respective subsequentibus, se refecerint ac, praedicto templo visitato, ibi pro christianorum principum concordia,

haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die haec omnia expleverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus ac largimur. Pari autem auctoritate Nostra facultatem facimus, cuius vi fideles, singulis Quadragesimae aliisque intra annum diebus, ad lucrandas indulgentias, Stationum nuncupatas, in Missali Romano descriptis, supradictum templum devote quotannis visitaverint ibique, ut praefertur, oraverint, quo die praedictorum id egerint, omnes ac singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequi possint, quas consequerentur si quamlibet ex ecclesiis huius almae Urbis Nostrae pro dictis Stationibus designatis, personaliter iisdem diebus ac devote visitarent, dummodo tamen quae pro consequendis indulgentiis iniuncta sunt pietatis opera rite praestiterint. Quas omnes, tum plenarias, tum partiales indulgentias animabus in purgatorii igne detentis applicari posse concedimus. Veniam denique impertimus ut sacrosanctum Missae Sacrificium quod quivis sacerdos, saecularis vel regularis, qualibet feria secunda, ad quodvis praedicti templi altare pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, per annum celebrabit, animae ipsi pro qua celebratum fuerit perinde suffragetur ac si ad privilegiatum altare fuisset celebratum. Non obstantibus Nostra et Cancellaria Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque omnibus in contrarium facientibus quibuslibet. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x maii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI**, *a Secretis Status.*

II

FOEDERI MISSAE QUOTIDIANAE ERECTO IN ARCHIDIOECESI BIRMINGAMIENSI CONCEDUNTUR INDULGENTIAE ET PRIVILEGIA IAM EIDEM OPERI ALIBI CONCESSA.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum grata Nobis ac sane periucunda sint hominum studia, quibus sacrosanctum Missae sacrificium, quanto saepius fieri potest, celebrandum curant, ita minime dubitavimus,

Hiberniae Primatis excipere preces, ut Sodalitatem, cui titulus « Foedus Missae quotidianae » ibi erectam, caelestibus Ecclesiae thesauris loeupletaremus. Itaque cum etiam in Birmingamiensi archidioecesi huiusmodi opus sub eodem nomine conditum fuerit, et cum huiusmodi archidioeceseos Antistes Nos enixe rogaverit, ut easdem ei indulgentias impertire dignaremur; Nos, audito quoque dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, piis hisce votis eo magis obsecundamus, quod plurima atque insignia ex renovato super altari Iesu Christi Redemptoris Nostri sacrificio percipiuntur beneficia. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus ac singulis utriusque sexus christifidelibus, qui Sodalitatem sub titulo « Foedus Missae quotidianae » in templo oratorii S. Philippi Nerii civitatis Birmingamiensis canonice erectam, aliasque cognomines consociationes, intra fines eiusdem archidioeceseos Birmingamiensis in posterum erigendas, posthac ingredientur, die primo eorum ingressus, si, vere poenitentes et confessi, Ssmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac sodalibus tum descriptis, tum in iisdem consociationibus pro tempore describendis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si, vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam*; nec non praedictis nunc et pro tempore earundem consociationum exsistentibus sodalibus, qui, quovis anni mense, saltem novem diebus continuis Sacro interfuerint atque, uno quo cuique libeat ex novem hisce diebus, vere poenitentes et confessi sacra se Communione refecerint, ac, durante Missa, pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus ac largimur. Praeterea iisdem sodalibus, qui, corde saltem contriti, quolibet profesto die Missam audierint ibique, ut praefertur, oraverint, septem annos totidemque quadragenas; iis autem sociis, qui quodvis pietatis caritatisve opus ex dictarum sodalitatum praescripto peregerint, centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, excepta plenaria indulgentia in mortis articulo lucranda, etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Denique apostolica auctoritate Nostra concedimus, ut Missae ad quodlibet altare pro anima cuiusvis sodalis celebrandae,

animae ipsi perinde suffragentur ac si ad privilegiatum altare fuissent celebratae. Non obstantibus contrariis quibuslibet. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscripti et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die **XIII** maii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

III

FOEDUS INTERNATIONALE « PRO PONTIFICE ET ECCLESIA » CAMBERII INSTITUTUM INDULGENTIIS AUGETUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum, sicuti Nobis exponendum curavit dilectus filius Iacobus Ogier, moderator generalis foederis internationalis « Pro Pontifice et Ecclesia » Camberii instituti, tum sibi, tum sacerdotibus et laicis ipsum in Foedus adlectis, in votis admodum sit, ut nonnullis spiritualibus gratiis enunciatam sodalitatem augere, de thesauro Ecclesiae Nobis divinitus commisso, dignemur; Nos, cum res in tam frugiferi sodalitii bonum atque incrementum sit maxime cessura, optatis his annuendum, quantum in Domino possumus, existimavimus. Quae cum ita sint, audito dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis sacerdotibus, nunc et in posterum memoratum in pium Foedus rite adlectis, qui die aggregationis et quotannis Paschatis Resurrectionis Domini, B. Mariae Virginis in coelum assumptae et Bb. apostolorum Petri et Pauli festivitatibus, a medietate diei praecedentis ad mediam usque noctem respectivi festi diei, admissorum sacramentali confessione expiati atque angelorum pane refecti, ecclesiam quamvis sive publicum sacellum visitent ibique ad Romani Pontificis mentem preces fundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iisdem autem sacerdotibus sodalibus, quoties, contrito sal-

tem corde, orationem sodalitatis quae incipit: «'Tu es PetFUS » devote recitent, aut menstruo recessui collective habito intererint, centum dies de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta expungimus. Praeterea laicis, nunc et in posterum pariter in dicto Foedere inscriptis, qui die pariter aggregationis quodvis publicum templum sive sacellum, vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti^ visitent ibique effundant, uti supra diximus, ad mentem Pontificis preces, atque uno cuiusque per annum mensis die, iuxta Foederis tabulas, Sacram Communionem ad Summi Pontificis intentionem applicaverint, etiam^ plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Porro largimur sodalibus ipsis, si malint, liceat plenariis his ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

PIA UNIO « CULTUS PERPETUUS ERGA VIRGINEM PERDOLENTEM » NUNCUPATA ET IN BASILICA MONTIS BERICI INSTITUTA INDULGENTIIS DITATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Caelestes Ecclesiae thesauros, quorum largitionem Nobis Dominus, licet immerentibus, commisit, pro iis consociationibus libenti quidem animo reseramus, quae sibi Deiparae Virginis gloriam et honorem augere Eiusque dolores recolere proponunt. Cum igitur Supremus Moderator Ordinis Servorum B. M. V. enixas Nobis adhibuerit preces, ut nonnullas spirituales gratias pro pia Unione, cui nomen « Cultus perpetuus erga Virginem Perdolentem » et in basilica Montis Berici apud Vicentiam canonice instituta, largiri dignaremur: Nos huiusmodi votis quantum cum Domino possumus obsecundandum censemus. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli

apostolorum Eius auctoritate confisi atque audito dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, dummodo tamen praedictae consociationi aliae indulgentiae ab hac S. Sede concessae non fuerint, praesentium tenore omnibus ac singulis christifidelibus, qui piam praefatam Unionem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si, vere poenitentes et confessi, SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam descriptis quam pro tempore describendis in eadem Unione sodalibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si, vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint, etiam plenariam; nec non iisdem sodalibus, qui quamlibet ecclesiam vel publicum oratorium, principe eiusdem consociationis festo, devote quotannis visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exsaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die iniuncta opera expleverint, item plenariam; denique, utriusque classis sodalibus, ad quam ex Unionis praescripto pertineant, qui vel semel in hebdomada, vel semel in mense, vere item poenitentes et confessi ad sacram Synaxim accesserint; et in quavis ecclesia vel publico oratorio, ut supra, oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus ac largimur. Eiusdem praeterea Unionis sodalibus, corde saltem contritis, qui quatuor anni festis diebus ab Ordinario semel tantum designandis, quamlibet ecclesiam vel publicum oratorium visitent, et ibi, ut praefertur, orent, septem annos totidemque quadragenas; iis vero qui preces ad Virginem Perdolentem, memoratae Unionis proprias atque ab Ordinario probatas, devote recitaverint, vel quodvis pietatis caritatisve opus, ex Unionis legibus, peregerint, centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, excepta plenaria indulgentia in mortis articulo lucranda, etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse consentimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die ix iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

V

INDULGENTIAE ET PRIVILEGIA ARCHISODALITATI VULGO « DE MONTLIGEON » IAM COLLATA CONFIRMANTUR ALIAQUE NOVA CONCEDUNTUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Nobis curavit exponendum dilectus filius Paulus Buguet, protonotarius apostolicus et moderator generalis piacularis « Operis pro liberandis animabus in purgatorio igne derelictis », associationem ipsam ab Episcopo Sagiensi fuisse primum die v mensis octobris MDCCCLXXXIV canonice erectam in templo curiali loci *Chapelle-Montligeon,* dioecesis enunciatae; postea, per similes Literas apostolicas, die u octobris anno MDCCCLXXXXIII et die xix mensis iunii anno MDCCGLXXXXV, Piscatoris annulo obsignatas, fuisse et in archisodalitatem et in Primam-Primariam evectam; tandem annuente et auspice Sagiensi Antistite, in novum templum Virgini dicatum, intra ipsius paroeciae fines erectum anno MCMXIII primariam eandem archisodalitatem fuisse translatant Addit idem Moderator Generalis pium enunciatum Opus fuisse quidem a Decessoribus Nostris pluribus indulgentiis ac privilegiis decoratum atque auctum; nunc autem, tum sibi, tum universis archisodalitatis sociis in votis admodum esse, ut indulgentias et privilegia iam concessa in perpetuum confirmare, iisque alias spirituales gratias adiungere, de Nostra benignitate, dignemur. Nos autem animo repetentes quam « sancta et salutaris sit cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur », his piis optatis, quae in tam frugiferae consociationis bonum atque incrementum cedunt, quantum in Domino possumus, benigne annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, audito dilecto filio S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus qui primariam archisodalitatem ipsam pro liberandis animabus in purgatorio igne derelictis in posterum ingredientur, si, die primo eorum ingressus, vel uno ex septem diebus continuis immediate sequentibus, vere poenitentes et confessi Eucharistico se Pane refecerint, plenariam; ac tam inscriptis quam in posterum ipsa in archisodalitate inscribendis sodalibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si, vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti,

nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini demisse animo susceperint, item plenariam ; tandem iisdem nunc et in posterum similiter enunciatam in sodalitatem adlectis sodalibus, qui singulis annis Nativitatis, Paschatis Resurrectionis D. N. Iesu Christi, Corporis Christi Domini et SSmi Iesu Cordis, item Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. Mariae Virg. Deiparae, Perdolentis Virginis et a Monte Carmelo festivitatibus; die festo associationis praecipuo, nempe feria quarta diem mensis maii vicesimam quartam praecedente, denique S. Michaelis Archangeli, S. Iosephi, Ss. Apostolorum Petri et Pauli ac S. Gregorii Magni Pontificis et Doctoris festis diebus, vel uno e septem diebus continuis immediate respective sequentibus ad cuiusque lubitum eligendo, nec non feria secunda quae quovis mense primo loco recurrat, a medietate diei praecedentis ad mediam usque noctem ipsius feriae admissorum pariter confessione expiati ac coelestibus epulis refecti, propriam archisodalitii ecclesiam, si adsit, secus quodvis publicum templum sive sacellum visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo ex praedictis die id agant, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis fidelibus in consociationem memoratam adlectis, sive adlegendis in posterum, quoties publicum quodcumque coemeterium visitent contrito corde, ibique pro animabus defunctorum expiandis orent, septem annos totidemque quadragenas ; quo die iuxta sodalitii tabulas orationem dominicam, salutationem angelicam et « Requiem aeternam » recitent, quingentos dies; quo pariter die precem recitent « O gloriosa Virgo Maria », prouti inserta manet in apostolicis Litteris die x februarii mensis, anno **MCMV**, Piscatoris annulo obsignatis, trecentos dies ; tandem quoties contrito corde recitent invocationem : « O nostra Domina de Montligeon, ora pro animabus in purgatorio igne detentis », toties iis de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta centum expungimus. Ad haec indulgemus, ut Missae omnes a quovis sacerdote ad quodcumque altare cuiuslibet templi sive sacelli rite litandae pro sodali defuncto ex enunciata associatione, ei animae pro qua celebratae fuerint perinde suffragentur ac si fuissent ad privilegiatum altare peractae. Altare autem B. Mariae Virgini *de Montligeon* dicatum, quod exstat in ecclesiis ubi piaculare Opus canonice institutum sit, quotidiano Missarum privilegio ita ornatum volumus, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel regularis Missam pro anima

cuiuscumque fidelis quae Deo in charitate coniuncta ab hac luee migraverit, ad dictum altare celebraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut D. N. Iesu Christi, B. Mariae Virg. Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis, si ita Deo placuerit, liberetur. Praeterea concedimus, ut sacerdotes, annuente ac probante Ordinario, Moderatores Parochiales Operis electi, eodem durante munere, servatis servandis, ter in hebdomada altari privilegiato gaudeant. Tandem veniam facimus, ut die festo associationis praecipuo, quotannis, inscriptis sodalibus, Nostro et Romani Pontificis pro tempore exsistentis nomine et auctoritate, cum plenaria adnexa indulgentia benedictio impertiatur, in locis ubi associatio erecta sit, ab Episcopo ritu episcopali, aut a Moderatoribus cum Crucifixo et sub unico Crucis signo; vel tantum nuntietur a sacerdotibus zelatoribus in locis, quae careant Moderatore. Porro largimur Sodalibus ipsis, si malint, liceat, excepta iugiter plenaria indulgentia in mortis articulo lucranda, singulis aliis tam plenariis, quam partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Non obstantibus Nostra et Cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, ceterisque omnibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. *

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xi iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** ***a Secretis Status.***

VI

FRATRIBUS A SCHOLIS CHRISTIANIS QUASDAM PRECES RECITANTIBUS INDULGENTIA CCC DIERUM CONCEDITUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Benigne annuentes piis precibus oblatis Nobis a dilecto filio Himerio a Iesu, Superiore Generali Fratrum Scholarum Christianarum, audito dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri

•et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis ex eodem Instituto Scholarum Christianarum Fratribus, ubique terrarum nunc et in posterum exsistentibus, qui, quovis per annum die, quocumque idiomate, dummodo versio fidelis sit, pie recitent in honorem S. Ioannis Baptistae de la Salle, contrito saltem corde, orationem hanc: « O Dieu, qui, pour donner l'éducation chrétienne aux pauvres et pour « affermir la jeunesse dans la voie du salut, avez suscité saint Jean-« Baptiste, votre confesseur, et formé par lui, dans l'Église, une nouvelle famille religieuse; daignez nous accorder, par l'efficacité de son « intercession et de ses exemples, qu'embrasés de zèle pour votre gloire « et le salut des âmes, nous puissions, comme lui, être un jour cou-« ronnés dans le ciel. Ainsi soit-il », de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae consueta trecentos expungimus. Porro largimur Fratribus enunciatis, si malint, liceat, hac poenitentiarum partiali relaxatione, semel tantum in die lucranda, functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die **XVII** iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

VII

DE TERTIO ORDINE SERVORUM B. M. V. IN HISPANIA REGIONIBUSQUE EI OLIM SUBIECTIS NONNULLA STATUUNTUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad futuram rei memoriam. — Relatum est Nobis, nonnullos errores atque abnormes usus in christifidelibus Tertio Servorum B. M. V. Ordini adiungendis paulatim irrepsisse. Quod praesertim in Hispania, sive ob formam scapularis fidelibus traditi, sive ob adhibitum ritum, ab eo dissimilem, quem haec Sancta Sedes praecepit, sive ob alia id genus, non parum frequenter evenit. Ut igitur omnia ad pristinas leges revocentur atque animi fidelium, quod ad indulgentias lucrandas, huic religioni

adnexas, nulla aestuent dubitatione, preces dilecti filii hodierni Prioris Generalis Ordinis Servorum B. M. V. libenter excepimus atque apostolica auctoritate, audito etiam dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Praefecto S. Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae,, haec, quae sequuntur, vi praesentium edicimus ac sancimus, ut sodalitates Septem Dolorum Deiparae Virginis in hispanicae linguae regionibus erectae, quae nunc vera Tertii Ordinis consortia existimantur, quamvis utpote simplices confraternitates Septem Dolorum eiusdem B. M. V. initia erectae sint, perinde ac vera Tertii Ordinis consortia, et sanato,, quatenus oporteat, omni erectionis defectu, licite habendae sint: secundum autem praecipimus, ut in posterum, ad omne dubium expellendum, illud tantummodo Tertii Ordinis Servorum B. M. V. consortium in Hispania ac regionibus ei olim subiectis verum legitimumque censeatur, quod supremus Moderator totius Ordinis pro tempore per suum diploma erexerit. Quibus positis, certa nitimur spe, tam frugiferum institutum, cuius omni laude dignus finis est Dei Matrem Perdolentem praecipuo cultu cohonestare, magis magisque in dies suscepturum incrementa. In contrarium facientibus non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die **XXV** iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status*

VIII

IACULATORIAM QUANDAM PRECULAM IN HONOREM SACRATISSIMI CORDIS IESU RECITANTIBUS INDULGENTIAE CONCEDUNTUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Religionem erga SSmum Cor -Iesu omni studio fovendam censemus, utpote quae divino Christi Redemptoris nostri desiderio respondeat atque universis Eius devotis, familiis praesertim ei consecratis, omnigena illius aeternae salutis fontis subsidia procuret. Laeti igitur dilecti filii hodierni Praepositi Belgicae Congregationis Missionariorum Oblatorum Mariae Immaculatae excepimus vota, quibus caelestes Ecclesiae thesauri pro iaculatoria prece flagitantur. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi atque audito dilecto filio Nostra

S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore*, vi praesentium, apostolica auctoritate Nostra, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui, corde saltem contriti, singulis cuiuslibet mensis diebus invocationem : « Sacratissimum Cor Iesu, protege familias nostras » quovis idiomate recitaverint ac, vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, quamlibet ecclesiam vel publicum oratorium, semel in mense, quo die quisque voluerit, ubique gentium visitaverint ibique, precibus ad Nostram mentem absolutis, eandem iaculatoriam precem dixerint, quo die iniuncta opera expleverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et largimur. Praeterea fidelibus, quocumque die ipsam precem recitaverint, trecentos dies de iniunctis eis seu alios quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuslibet. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI**, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD R. P. CAESAREM PEDRINI, E CONGREGATIONE SERVORUM CHARITATIS, SODALITII « A TRANSITU S. IOSEPH » MODERATOREM : SODALITIUM COMMENDANS, CUI IPSE B. P. PIISSIME ADHAERET, SACERDOTES SODALES MISSAM PRO MORIENTIBUS CELEBRATURUS SPIRITUALIBUS DITAT PRIVILEGIIS.

Diletto figlio, salute ed apostolica benedizione. — Mentre amare lagrime grondano dal Nostro ciglio sulle miserie sempre crescenti della travagliata umanità, non vi è per Noi conforto maggiore che di alleviare, quanto è possibile, le pene e le sofferenze che questa atroce ed interminabile guerra va moltiplicando in ogni ora del giorno su tanta parte del mondo. Ma la Nostra carità apostolica non può arrestarsi a quei desolati figli che stanno peregrinando in questa valle di pianto; giacché altre migliaia di figli diletti, che sono per varcare la soglia del-

l'eternità, fanno giungere al Nostro cuore l'eco della loro languida voce invocante il soccorso di una prece per il felice passaggio alla vita senv piterna. E ben Ci consoliamo al riflettere che in aiuto spirituale dei poveri agonizzanti fa istituita la Pia Unione del Transito di S. Giuseppe, la quale ha avuto, in breve lasso di tempo, uno sviluppo ed una diffusione quali appunto si convenivano al raddoppiato bisogno di sacri olocausti e di preci propiziatorie per i morenti. Nè possiamo astenerci dal manifestare la soddisfazione che abbiamo provata nel venire a conoscenza del pio pensiero di rendere più efficaci le buone opere collettive di questo santo Sodalizio, invitando i reverendi sacerdoti ad applicare per turno qualche santa Messa per i moribondi della giornata. E poiché il Romano Pontefice è il primo fra i ministri dell'altare, così a Noi piace , incoraggiare la lodevole iniziativa e favorire il pio divisamento andando innanzi con l'esempio ed accettando di celebrare Noi stessi, a questo caritatevole scopo, il santo Sacrificio della Messa; e ciò faremo il primo giorno di ciascun mese, ovvero il secondo, quando il primo sia giorno festivo. A titolo, poi, di maggiore incoraggiamento accordiamo a quei pii sacerdoti che annualmente applicheranno qualche S. Messa per i poveri morenti, la facoltà di benedire *extra Urbem,* e con la forma dei Rituale, corone, crocefissi, medaglie, piccole statue e oggetti di devozione, applicandovi le indulgenze apostoliche; la facoltà di applicare alle corone le indulgenze dei Domenicani e Crocigeri; la facoltà di benedire e imporre ai fedeli gli scapolari della Ssma Trinità, della Passione, dell'Addolorata, dell'Immacolata, del Carmine e del S. Cingolo di S. Giuseppe con una sola formóla, e la facoltà dell'altare personale privilegiato ogni volta che applicheranno la Messa per gli agonizzanti. Inoltre accordiamo ai medesimi ecclesiastici l'indulgenza plenaria in punto di morte e nelle feste principali di Nostro Signore, della Beata Vergine, ^dello Sposalizio, Transito e Patrocinio di S. Giuseppe, nella festa di S. Michele e nell'anniversario della loro sacra Ordinazione. Ed invocando sulla pia Società, per l'intercessione del suo celeste Patrono, l'abbondanza dei divini favori, impartiamo di cuore a Lei, diletto figlio, ed a tutti gli ascritti alla pia crociata l'apostolica benedizione.

Dal Vaticano, li 15 giugno 1917.

BENEDICTUS PP. XV

(Versio latina).

Dum acerbae lacrimae super miserias afflictae humanitatis, magis magisque in dies ingravescentes, profluunt ex oculis Nostris, nullum Nobis maius sollacium esse potest, quam si studuerimus dolores cruciatusque pro viribus lenire, qui propter dirum hoc perpetuumque bellum, tam magna in orbis terrarum parte singulis fere horis multiplicantur.

Apostolica vero caritas Nostra eos tantummodo filios amplecti nequit, qui in hac lacrimarum valle peregrinantur; alii sunt enim, eique plurimi filii Nobis dilecti, aeternitatis limen iam proxime ingressuri, quorum flebilis vox aures contingit animumque Nostrum, precum opem exorans ut feliciter ipsi transeant ad vitam sempiternam. Nos autem magna consolatione afficimur quotiescumque consideramus piam Sodalitatem « a S. iosephi Transitu » ad spintale auxilium morientibus ferendum fuisse institutam, quae brevi tempore adolevit et diffusa est non secus atque sacrorum holocaustorum piarum que precum pro iis, qui animam agunt, aucta necessitas expostulabat.

Neque tamen abstinere possumus quin id etiam manifestemus, magnam nempe laetitiam Nobis esse partam ex allato pio proposito ea omnia reddendi validiora, quae in Sodalitate communiter fiunt, rogatis sacerdotibus ut aliquot Missas in orbem, suam cuiusque vicem, celebrare velint pro illis qui intra diem in articulo mortis fuerint constituti. Iam vero cum Romanus Pontifex sit omnium sacerdotum princeps, ita cupimus inceptum hoc merita exornare laude piumque propositum fovere, omnibus exemplo praeeuntes et promittentes Nos Ipsos in hunc caritatis finem primo quoque die uniuscuiusque mensis, vel, si primus festus fuerit, altero die, Sacrum esse facturos. Quo vero magis ad praeclaram hanc rem presbiteri incitentur, sacerdotibus illis qui nonnullas Missas quotannis pro morientibus celebraturi sunt, facultatem facimus benedicendi extra Urbem, et ad formam Ritualis, coronas, crucifixos, numismata, parva simulacra et alia eiusdem generis ad religionem pertinentia, eisdemque applicandi Indulgentias Apostolicas; facultatem applicandi coronis indulgentias Dominicanorum et Crucigerorum ; facultatem benedicendi et imponendi, per unam formulam, Scapularia SS. Trinitatis, Passionis, Mariae Perdolentis, Mariae Immaculatae, **M.** de Carmelo, Cingulum S. Iosephi, et facultatem Altaris privilegiati quoties Missam pro ,morientibus celebrabunt. Praeterea iisdem sacerdotibus plenariam indulgentiam in articulo mortis concedimus, nec non in solemnioribus festis Domini Nostri, B. Virginis, Desponsationis, Transitus et

Patrocinii S. Iosephi, in festo S. Michaelis et diebus quibus sacerdotio aucti fuerunt. Demum Piae Sodalitati, per intercessionem caelestis eiusdem Patroni, divinorum munerum copiam enixe deprecantes, tibi, dilecte fili, et omnibus qui sanctae huic Unioni nomen dederunt, apostolicam benedictionem propenso animo impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die xv mensis iunii MCMXVII.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD R. D. NORBERTUM SCHACHINGER, ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS ABBATEM GENERALEM EUMDEMQUE ABBATEM SCHLAGLENSEM, SEPTIMO EXEUNTE SAECULO CUM SCHLAGLENSIS ABBATIA CONDITA EST.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Proximo mense quintili, cum anni erunt septingenti ab ista, cui tu praees diligenter, Abbatia condita, sacra sollemnia per quatriduum actum iri libenter cognovimus. Quem faustum rei eventum non dumtaxat a vobis, quasi privatum et domesticum, celebrari decet. Cum enim in Schlaglensi coenobio religiosae disciplinae decus fulgere consueverit, tum ex eo, tamquam e virtutum domicilio, praeclara semper ad sempiternam salutem subsidia in vicinia defluxerunt. Par est igitur et consentaneum ut, vestram laetitiam participantes, aliquo etiam apostolicae auctoritatis munere augeamus. Quapropter qui abbatialem aedem inviserint, eis indulgentiam vu annorum totidemque quadragenarum concedimus; eisdem, si praeterea rite confessi Sanctissima Eucharistia se refecerint, indulgentiam plenariam semel lucrandam tribuimus. Tibi vero, dilecte fili, hoc damus ut populo, vel per te vel per alium, nomine Nostro semel benedicas plenariamque indulgentiam, usitatis conditionibus, praesentibus largiaris. Ac divinorum auspicem munerum benevolentiaeque Nostrae testem, tibi, dilecte fili, sodalibus et populo tuae concreditis curae, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvin mensis iunii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD R. P. D. WILLIBALDUS HAUTHALER, O. S. B., ABBATEM S. PETRI SALISBURGENSIS; CUI L SACERDOTII ANNOS COMPLENTI GRATULATUR.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Delectat Nos quidem optimo cuique, si divinae bonitatis munere faustum eveniat, gratulari. Itaque cum certiores facti simus te x sacerdotii lustra proxime completurum, nihil est Nobis optatius quam ut benevolentiam tibi Nostram, opinioni parem quam de te habemus eximiam, significemus. Pro tuo enim pietatis ac religionis studio, non modo istam Abbatiam, a S. Ruperto conditore nobilitatam, diligentissime semper moderatus es, sed etiam ad cetera, quae in Austria sunt, ordinis tui coenobia in pristinam disciplinae sanctitudinem restituenda non parum contulisti. Ad haec promerita eam quoque laudem tibi comparasti sane honestissimam, quae in illustrandis vetustorum temporum monumentis continetur. Nos vero, caritatis in te Nostrae testandae causa, cum felicia omnia ac salutaria tibi a Deo precamur, tum etiam tribuimus ut in faustitate eius diei, sollemniter sacris operatus, benedictionem nomine Nostro plenariamque indulgentiam semel adstantibus, usitatis conditionibus, impertías. Ac caelestium auspex donorum voluntatisque Nostrae testis apostolica sit benedictio quam tibi, dilecte fili, tuisque omnibus amantissime in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xix mensis iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

J

IV

AD R. D. IACOBUM OGIER, DE SODALITATE PRO PONTIFICE ET ECCLESIA, QUAE ORNATUR LAUDIBUS ET COMMENDATUR.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Utrumque Nobis perplacuit, et tua plena pietatis observantiaeque epistola, et scriptio qua sodalitatis istius cui praesides, rationes retuiisti superioris anni. Equidem tam salutare et peropportunum opus his rerum difficultatibus perstitisse atque etiam aliquid cepisse incrementi, laetamur, optamusque ut magis atque magis florere pergat. Etenim cum com-

positae res fuerint, diligens optimo cuique danda erit opera ut christianae gentes, quas, saeviente bello, contrariae rationes causaeque dissociarunt, arctiore quodam caritatis vinculo inter se copulentur; et, ad nova belli pericula praecavenda, legis aeternae statuta colant, Vicario Iesu Christi duce ac magistro. Patriam tueri magnum quidem est officii munus: sed meminerit semper christianus homo ita sibi terrenam curandam esse patriam ut caelestem non amittat; « non enim habemus « hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus ». Ad eam ut perveniatur, omnino illum audire, illi obtemperare, necesse est cui .claves in beato Petro datae sunt regni caelorum. Quod autem ab omnibus praestandum est, id ipsum recte vos quam maximo studio exsequi, idemque propositum animis aliorum inculcare e vestro proprio instituto contenditis. Alacriter igitur id persequi ne cessetis, Nobis valde probantibus. Nos vero fidei ac pietatis vestrae documentum habemus etiam petrianam stipem; de qua tibi et omnibus qui eam contulerunt, gratias agimus. Ac caelestium auspex munerum paternaeque benevolentiae Nostrae testis apostolica sit benedictio quam tibi, dilecte fili, sodalitatis in una quaque natione ac dioecesi moderatoribus, sodalibusque omnibus, tum clericis tum laicis, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxv mensis iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

V

AD R. P. D. HENRICUM JOULAIN, EPISCOPUM IAFFNENSEM, QUEM, APPETENTE VICESIMO QUINTO EPISCOPALIS CONSECRATIONIS NATALI, GRATULATONE PROSEQUITUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Vicesimam quintam episcopalis consecrationis tuae anniversariam diem publica istic laetitia illustrem audimus fore, et perlibenter quidem. Nam quae clerum populumque tuum ad gratulandum tibi adducunt causae, eaedem Nosmet ipsos permovent. Scimus enim hoc a te emensum in ista regenda dioecesi spatium aetatis clarorum fuisse plenum meritorum: in quibus, praeter utilissime instituta ad regnum Iesu Christi propagandum, ad pueros ex utroque sexu rite educendos, ad iuventutem contra desidiae inertiaeque pericula servandam, illud Nobis praesertim

probatur quod indígenas sacris initiandos studiose curavisti. Quapropter eam diei faustitatem Nos participando non solum splendore quodam augere volumus, sed etiam fructu; ob eamque rem potestatem tibi facimus semel populo benedicendi Nostro nomine et indulgentiae plenariae, usitatis conditionibus, impertiendae. Atque auspicem caelestium munerum benevolentiaeque Nostrae testem tibi, venerabilis frater, omnique clero ac populo tuis concredito curis apostolicam benedictionem amantissime in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvn mensis iunii **MCMXVIII,** Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

VI

AD R. P. D. ADOLFUM FRITZEN, EPISCOPUM ARGENTORATENSEM, OB ANNUM AETATIS OCTOGESIMUM FELICITER PLENUM, FAUSTA OMINA MITTIT.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Qua flores apud omnes existimatione virtutis, merito quidem argentoratenses tui natalem tuum octogesimum iis omnibus prosequentur significationibus laetitiae, quas in his rerum acerbitatibus grati filiorum animi excogitare queunt. Nobis quoque libet tibi gratulari, qui impensam pastoralis tuis muneris diligentiam summa in hanc Petri Cathedram pietate cumulari iam pridem perspeximus. Itaque Deo tecum persolvimus grates, quod te in hunc diem conserva vit; petimusque ut cum diu alacriter isti ecclesiae consulere pergas, tum Nobis te cotidie magis probare, in spem caelestium praemiorum. Eum vero diem honestandi causa et animarum fructu ditandi, tibi damus ut papalem benedictionem cum indulgentia plenaria, usitatis conditionibus, semel vel per te vel per alium impertías. Ac divinorum auspicem munerum praecipueque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et clero populoque tuis concredito curis, apostolicam benedictionem amantissime in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxx mensis iunii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

VII

AD R. P. D. MICHAELEM FELICEM KORUM, EPISCOPUM TREVIRENSEM, QUI PRAECLARUM PIETATIS TESTIMONIUM ET PIGNUS DEDERAT, GRATIAS AGENS RESCRIBIT.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Litterarum tuarum officium, quo egregiam tuam tuorumque pietatem pari observantia coniunctam profitebaris, gratissimum Nobis fuit, ideo praesertim quia ad Nostras his miseris temporibus curas et sollicitudines leniendas pertinebat. Profecto consolatur Nos comprobatio bonorum de iis rebus quas ad bellum vel mitigandum vel finiendum, sine intermissione gessimus. Praestitimus equidem in commune bonum non minus certe quam debuimus, plus fortasse, auxiliante Deo, quam nonnulli praeiudicatarum opinionum homines autumant. At vero quod Nostri est muneris, id pro viribus persequi non desistemus; cumque nihil tam oporteat quam divinam exorare clementiam, in hoc, bonis omnibus adiuvantibus, perseverabimus. Restat ut tibi agamus gratias, venerabilis frater, quod necessitatibus Apostolicae huius Sedis, cui es addictissimus, petriana stipe subvenire studes: qua in re id vehementer tetigit animum Nostrum quod scribis de captivis ex Gallia militum ductoribus qui cum tuis stipem pientissime contulerunt. Remuneretur vos ubertim Deus suae gratiae muneribus: quorum auspicem peculiarisaue benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et clero populoque tuis concrédito curis apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III mensis quintilis MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DE FACULTATE APPLICANDI MISSAS IN FAVOREM SEMINARIORUM.

Quaesitum est a nonnullis Episcopis utrum decretum **S.** Congregationis Consistorialis diei 25 aprilis huius anni, quo statuebatur facultates a **S.** Sede Ordinariis per communia indulta concessas finem esse habituras, die quo Codex Canonici Iuris vigere coepisset, comprehenderet etiam indulta quaedam circa missas in favorem Seminarii applicandas nonnullis dioecesibus concessa.

Huic dubio, de mandato SSñii D. N,, S. Congregatio respondit: memorata indulta non fuisse comprehensa, ideoque in suo robore manere.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 1 iulii 1918.

C. **CARD. DB LAI**, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. **SARDI**, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, Ssmus D. N. Benedictus PP. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

2 iulii 1918. — Cathedralibus Ecclesiis Melphictensi-Iuvenacensi et Terlitiensi praefecit R. D. Ioannem Iacono, canonicum poenitentiarium metropolitanae ecclesiae Catanensis et rectorem seminarii.

10 iulii. — Metropolitanae ecclesiae Tuamensi R. P. D. Thomam Gilmartin, hactenus episcopum Clonfertensem.

17 iulii. — Archiepiscopali ecclesiae Aquilanae R. P. D. Adulphum Turchi, hactenus episcopum Canopitanum et secretarium S. C. de Religiosis.

18 iulii. — Cathedrali ecclesiae Detroitensi R. P. D. Michaelem Gallagher, hactenus episcopum Grandormensem.

— Cathedrali ecclesiae Bakeriensi R. D. Terentium Georgium Brady, parochum ecclesiae cathedralis Dubuquensis.

— Cathedrali ecclesiae Galvestoniensi R. D. Christophorum Byrne, parochum ecclesiae Ssmi Nominis Iesu in dioecesi Sancti Ludovici.

— Cathedrali ecclesiae Sancti Antonii (Texas) R. D. Arthurum Drossaerts, parochum ecclesiae Sancti Iosephi de « Baton Rouge » in dioecesi Novae Aureliae.

— Cathedrali ecclesiae Duluthensi R. P. Ioannem Mac Nicholas, socium magistri generalis Ordinis Praedicatorum.

— Cathedrali ecclesiae Lafayettensi nuper erectae (11 ianuarii 19J8) R. D. lulium Jeanmard, iam cancellarium et administratorem apostolicum ecclesiae Novae Aureliae.

19 iulii. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Stauropolitanae R. P. D. Richardum Ysasa, hactenus episcopum tit. Anemuriensem.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

MELE VITAN A

IURIS FUNERANDI

2 iunii 1917

SPECIES FACTI. - Exeunte anno 1913 ex dismembratione territorii potissimum paroeciae archipresbyteralis loci *Gasai Zurrico* dioecesis Melevitanae erecta fuit paroecia oppidi *Birzebbugia;* sed archipresbyter haud raro iura novi parochi intercipere arbitratus est, praetextu quod parochianorum aliqui, licet quasi-domicilium in novo districtu foverent, praecipuam vel aequalem sedem adhuc in vetere retinerent. Defunctis itaque in territorio filialis duobus christifidelibus qui pariter in paroecia matrice domicilium habebant et in filiali quasi-domicilium, archipresbyter, alienum territorium ingressus, eorum corpora levare, associare, deducere ad .suam ecclesiam ibique eos funerare non dubitavit. Controversia inde exorta ad Administratorem Apostolicum (vacScite tunc Sede

Episcopali) delata est, qui, utrimque informatus, in Archipresbyteri favorem decretum tulit die 19 septembris 1914, statuens nimirum « cadaverum associationem peragendam esse a parocho domicilii, quocumque « demum loco obitus contingat: in casu autem extra controversiam « positum esse quod defuncti domicilium fovebant in loco *Casale Zur-«rico».* Ab hoc decreto parochus recursum interposuit ad H. **S.** C, quae, expectato de more adventu novi Episcopi, hunc de sententia rogavit. Docuit quidem novus Episcopus de consuetudine inolita *post* resolutionem H. **S.** Ordinis in *Melëvitana,* diei 30 aprilis 1904 (cfr. *Thesaurus resolutionum S. Congr. Concilii,* t. GLXIII, an. 1904, pag. 505, ss.), vi cuius consuetudinis unus parochus domicilii ius haberet in Melevitani dioecesi associandi proprium filianum, ubicumque demum contingeret obitus; eam tamen utpote a praepostera praefatae resolutionis interpretatione profectam, atque legitimo adhuc temporis spatio minime suffultam, non esse sustinendam facile recognovit. Verum, attento quod ius commune hac in re in dioecesim non sine difficultate introduci posset, quamvis id iussisset supradicta H. **S.** O. resolutio, die 30 apr. 1904 data, ad futuras fortasse lites praecavendas proponebat ac enixe efflagitabat idem Episcopus ut haec regula quoad funera pro tota Melevitana dioecesi sanciretur, nimirum: « Illi parocho exclusive pertinet funera absolvere, « exceptis casibus sepulturae electivae aut gentilitiae, in cuius paroecia « christifidelis vita functus est, etsi ibi nec domicilium nec quasi-domi-« cilium habeat »; pro qua norma statuenda adducebat tum analogiam cum decreto *Ne temere,* quoad matrimoniorum validam celebrationem, tum aequitatis rationem, quum generatim unus parochus loci sacramenta morituris ministret, tum peculiares loci circumstantias, ut infra dicetur.

E re itaque visum est universam causam Emorum Patrum iudicio subiicere propositis dubiis:

I. *An decretum Administratoris Apostolici d. d. 19 septembris 1914 sit confirmandum vel infirmandum in casu;*

II. *An et quomodo excipienda sit petitio Episcopi in casu.*

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - *Votum Consultoris* summatim ita referri potest. - I. Quoad primum dubium praemittit utrimque supponi defunctos in casu in paroecia archipresbyterali domicilium, in nova vero quasi-domicilium tantum obtinuisse. Hoc *ut minimum* tamquam plene firmatum suscipi potest; non desunt enim adiuncta rerum unde merito suspicari quis possit assertum quasi-domicilium in nova paroecia esse verum et germanum domicilium, qua in hypothesi quaevis controversia cessaret. Admissa vero contraria, id tantum superest inquirendum, quid nimirum iuris, circa

defunctum qui in paroecia quasi-domicilii obiit, quin sepulturam electivam aut gentilitiam haberet: an scilicet debeat ac possit cadaver deferri ad paroeciam domicilii ut ibi funera absolvantur, an potius parochus quasi-domicilii ius privativum sepulturae habeat. Ast haec quaestio expeditissima est: in praesenti enim communissima est doctrina quod is « qui « habet quasi-domicilium in parochia et in alia parochia domicilium « (verum aut legale), et moritur in loco quasi-domicilii, ibi etiam sèpeliendus est, licet facile possit ad domicilium deferri. Ratio est quia parochus « quasi-domicilii est vere et proprie parochus et proinde idem hic recur« rit dicendum ac de eo qui duplex domicilium habet » (Many, *De loc. sacris,* p. 279, 2°, De quasi-domiciliatis, *b).* « Parochus in cuius parochia « fideles defuncti verum domicilium vel etiam quasi-domicilium habue« runt, est ad sepulturam ibidem peragendam per se vel per suum dele« gatum *privative* competens » (Wernz, *Ius decret.,* III, n. 776). Idem legitur in *Synopsi rerum moralium et canonicarum* (n. 2143, vol. II, v. *Exequiae): «* Qui moritur in loco domicilii vel quasi-domicilii, et alibi « habeat domicilium, vel quasi-domicilium, debet sepeliri ubi mortuus « est (Ferraris, v. *Sepultura,* n. 25), nisi alibi elegerit sepulturam vel « habeat sepulcrum gentilitium; sed quacumque in hypothesi parochus « domicilii, si defunctus mortuus est in loco quasi-domicilii et vicissim, *« nullum* haberet ius, *nec ad quartam* quidem funerariam », quia videlicet, etiam per quasi-domicilium parochia acquiritur, adeoque quum quis in loco quasi-domicilii decedit, eius proprius parochus, *tunc,* alius non est nisi parochus quasi-domicilii. Id confirmatur ex innumeris resolutionibus H. S. G. etiam recentioribus, e. g. Reatina, *Iuris associandi cadaver,* 22 dec. 1866; Cremen., *Emolumentorum funeris,* 12 mart. 1881;. Ariminen., *Sacramentorum et funerum,* 24 mart. 1888; Novarien., *Funerum,* 27 maii 1893, etc.

Ad consuetudinem vero quod attinet: *in facto* novimus, ut refert Episcopus, olim ab immemorabili inolevisse consuetudinem, in universa insula, vi cuius filiani cadaver extra fines propriae paroeciae defuncti, levabat quidem parochus loci, sed ad fines suae paroeciae dumtaxat, ubi a parocho proprio defuncti suscipiebatur. Ast post varias contrarias S. H. G. decisiones ab a. 1881 ab hoc more paulatim recessum est, cui postremum vulnus intulit resolutio data die «30 aprilis 19CM^statuens « in casu servandum esse ius commune ». Deinceps vero, sensim sine sensu, alius usus, fortasse ex praepostera dictae resolutionis intellectione subortus est, vi cuius parocho domicilii ius esset levandi, associandi ac funerandi cadavera filianorum etsi in loco decessus quasi-domicilium illi haberent. Ceterum animadvertit Episcopus nonnisi pauci casus citari

ad rem possunt, quum rara admodum sese obtulerit hucusque decessus in hisce circumstantiis occasio.

Quod *ius* spectat, certum quidem est consuetudinem legitime praescriptam posse statuere favore parochi domicilii ius exclusivum funerandi fideles in sua paroecia domiciliatos, etsi in loco quasi-domicilii obierint. Hinc ci. Many (1. c.) post transcripta verba subdit: « Nisi tamen aliter ferat consuetudo ». Videndum tamen quaenam consuetudo requiratur; et quum ea ratione parocho quasi-domicilii competant funera fidelis in sua paroecia vita functi, quia est verus parochus proprius, quaestio ad id recidit, quo nempe temporis spatio opus sit ad praescribendum contra iura parochorum propria. Notissimum vero, ex DD. alios ad rem requirere consuetudinem immemorabilem, alios centenariam, alios quadragenariam cum titulo (Cf. Petra, *Comm. in Constitutionem IX, Innoc. III,* vol. II, n. 55; cf. Barbosa, *De Parocho,* p. III, cap. XXV, n. 16, etc.), neminem decennali tantum contentum esse.

Ast etsi concederemus decennalem consuetudinem posse in casu sufficere ad praescribendum contra iura parochi quasi-domicilii tamen in facto nec decennalis consuetudo exsistit. Et sane: 1) talis consuetudo non exsistit contra paroeciam de *Birzebbugia* quae anno 1913 erecta fuit (cfr. caus. *Melevitana - Praestationis,* d. 21 apr. 1917, supra, pag. 245); nec 2) generalis in dioecesi dici potest, quia nec usus apud omnes demonstratur, nec iam ab anno 1914 recognoscebatur ab Episcopo Melevitano, qui ad H. S. G. eam veluti ex erronea interpretatione resolutionis H. S. G. subortam denuntiabat.

Itaque nec ex doctrina in iure, nec ex asserta consuetudine suffultum aliqua ratione apparet Decretum Administratoris Apostolici in casu.

II. Alterum dubium respicit petitionem Episcopi pro nova statuenda norma, vi cuius semper *ad loci* parochum, exceptis dumtaxat casibus sepulturae gentilitiae aut electi vae, spectaret defuncti funera absolvere, etsi ibi nec domicilium nec quasi-domicilium habeat.

Rationes quas Episcopus affert sunt:

I[a] Analogia cum iure ex decreto *Ne temere,* pro matrimoniis statuto. Scilicet ex decreto *Ne temere* iurisdictio pro matrimoniorum celebratione evasit mere territorialis, ita ut parochus vel Ordinarius loci ubi matrimonium celebratur *valide* semper matrimonio adsistat. Id pariter optandum foret pro funeribus, relate ad suam dioecesim saltem.

2[a] Et sane hic modus aequitati magis respondere videtur: « Infatti « non è il parroco del luogo dove muore l'individuo che viene chiamato « ad amministrargli gli ultimi sacramenti, ad assisterlo nella sua agonia,

« esponendosi, quando la malattia è infettiva e contagiosa, al pericolo « di contrarla? ecc. ».

3ª Tandem censet Episcopus quod, si haec regula pro sua dioecesi firmaretur, controversiae et usus iuri contrarii quae quive suscitantur et vigent,.etiam post resolutionem H. S. G. a. 1904, radicitus possent evelli.

Non tamen haec rationum momenta urgere videntur. Prima et altera ratio, ut patet, ordinis generalis sunt proindeque, si quid probarent, pro universa Ecclesia suaderent ius funérarium immutandum esse. Huc autem venit tritum illud: *quod nimis probat nihil probat,* nihil scilicet ad rem specialiter probat; et cum non sit praesens quaestio de iure generali condendo, sed de iure particulari sanciendo, haec argumenta generalia quod intendunt profecto non evincunt. Ceterum ea etiam in seipsis considerata nutare penitus videntur. In primis enim deficit analogia cum decreto *Ne temere,* quia verum est quod parochus loci semper *valide* adsistit matrimoniis, at vero *licite* nonnisi parochus domicilii vel menstruae commorationis, quae loco quasi-domicilii ponitur, adsistere valet. Ast analogia ut probaret, *ad liceitatem* respicere deberet, ex qua unice'fructus facit suos parochus qui matrimonio adsistit; nam praecise sub hoc aspectu percipiendi proventus comparatio aliqua institui valet inter legislationem pro matrimonio et eam quae pro funeribus viget. In re funeraria non quaeritur, nimirum, an exequiae validae sint vel invaiidae ; sed tantum de iure eas faciendi, quod iusta proventuum perceptio sequitur.

Nec altera ratio magis rem urget, quia, de facto, quando distantia tanta est ut moriturus a proprio parocho adsisti non possit, nec etiam cadaver asportari ad propriam paroeciam commode poterit ; ac proinde parocho loci qui infirmi curam habuit etiam funeralia, ex praescripto quoque communis iuris, competunt, salvo iure portionis favore parochi proprii. Ceterum si illam considerationem aequitatis nimis quis extendat, iniustum dicet v. g. eligere sepulturam extra propriam paroeciam in damnum proprii parochi qui per totam vitam fideli adstitit, etc. *T&* dem cum lex haec generalis sit, omnia compensantur, et qui hodie sine labore fructus percipit, cras versa vice sine fructu laborare tenebitur. Nec videretur ob tam parvas difficultates, quae post dicta vix admittendae in praxi sunt, illud generale principium iuris in re funeraria subvertere, scilicet quod ibi quis sepeliendus est, ubi *consuevit officia audire divina et ecclesiastica recipere sacramenta,* id est in propria paroecia.

Quoad tertiam rationem, illae loci circumstantiae nonnisi respiciunt assertam consuetudinem post resolutionem H. S. C. a. 1904 introductam; ast, quia haec consuetudo recens est nec adeo generalis, facilius videtur

eradicari posse ac illa antiquior et immemorabilis quae olim viguit, et post dictam resolutionem omnino cessavit. *Consuetudo* enim *vincitur consuetudine.*

Hisce ex voto Consultoris depromptis, *ex officio* nonnisi pauca adnotabantur quoad alterum dubium dumtaxat: videbatur enim propositio Episcopi, utpote ad concordiam inter parochos fovendam concepta, non esse ideo a limine reiicienda, quod generalioribus tantum motivis fulciretur. Enimvero non de generali mutatione iuris funerarii agebatur, sed de unico casu, et quidem raro, quo advena extra paroeciam proprii domicilii decederet: et quamvis hic etiam casus communi iure sit praevisus et contentus, attamen id non obstare videtur quominus peculiari moderatione data de causa possit praecaveri, attento praesertim quod, hac moderatione communiter a parochis acceptata, nulli praeiudicium causaretur, compensato videlicet detrimento ex fortuito decessu sui filiam ex emolumento in simili casu de alieno paroeciano aliquando percipiendo. Ceterum haud deerant in petitione Episcopi.peculiaria motiva, ut ecce, paupertas quarumdam paroeciarum, praesertim *noviter erectarum,* in quas propterea facilius alienos paroecianos transmigrare et aliquoties obire extra sedem domicilii contingit; itemque ratio consulendi funeribus *pauperum* praesertim, de quibus parochi, sive domicilii sive quasi-domicilii causa proprii, non semper solent esse solliciti. Quamobrem expedire videbatur, ut parochi totius dioecesis in proxima synodo vel alias coadunati audiantur supra iuris moderatione ab Episcopo proposita; cui, si saltem maior pars accessisset, per *mutuam* veluti *conventionem* sicut alias fieri contigit, ab H. S. O. quatenus oporteret probandam, res finiri posset, quo remedio nullum consultius ac efficacius ad futuras praevidendas et praecidendas lites.

RESOLUTIO. - Propositis autem in plenario Emorum ac Rmorum Patrum S. Congregationis Concilii conventu die 2 iunii 1917 in Palatio Apostolico Vaticano habito, supra enunciatis dubiis, responsum est:

Ad I. « Decretum Administratoris Apostolici diei 19 septembris 1914 « non sustineri, sed standum iuri communi ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Quam Emorum Patrum resolutionem SSmus Dnus Noster Benedictus Div. Prov. Pp. XV ad relationem infrascripti Secretarii in audientia diei 4 eiusdem mensis et anni, approbare et confirmare dignatus est.

I. MORI, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

HERBIPOLEN.

DE MISSA VOTIVA VEL COMMEMORATIONE PRO SPONSIS.

Hodiernus Episcopus Herbipolen. Apostolicae Sedi sequentia dubia, pro opportuna declaratione, humillime exposuit nimirum.

Iuxta Canonem 1108 Codicis Iur. Can. Ordinarii locorum benedictionem nuptialem permittere possunt, ex iusta causa, etiam tempore Adventus usque ad Navititatem Domini inclusive, et a Feria IV Cinerum usque -, ad Dominicam Paschatis inclusive, salvis legibus liturgicis. Hinc quaeritur:

I. Si Ordinarii ex hac licentia, quae non limitata esse videtur, benedictionem nuptialem permittant in Nativitate Domini et Dominica Resurrectionis, licetne Orationi Missae de respectivo Festo addere commemorationem pro sponsis, quamquam haec Festa, sicuti alia Festa Epiphaniae, Pentecostes, Ssmae Trinitatis et Corporis Christi, ullam aliam orationem excludant? ,

II. Licetne tempore clauso Missam votivam pro sponsis celebrare ?

III. In vigiliis, occurrentibus extra tempus clausum, privilegiatis, nempe Pentecostes et Epiphaniae, licetne legere Missam votivam pro sponsis ?

Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, et prae oculis habito Canone 1108 Codicis Iuris Canonici una cum Rubricis Missalis, quaestionibus sibi propositis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative,* sub unica conclusione.

Ad II. Si Ordinarius loci ex iusta causa permiserit etiam praedicto tempore clauso solemnem benedictionem nuptiarum, Missa votiva pro sponsis celebrari poterit; exceptis tamen Dominicis, Festis de praecepìb etiam I et II classis, Octavis privilegiatis I et II ordinis, Feriis privilegiatis et vigilia Nativitatis Domini.

Ad III. *Negative* in utraque Vigilia.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 14 iunii 1918.

Pg A. **CARD. VICO**, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. G. Pro-Praefectus.

L. & S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

PORTUS LUDOVICI SEU EBROICEN.

DECRETUM INTRODUCTIONIS CAUSAE BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI IACOBI DESIDERATI LAVAL, SACERDOTIS MISSIONARII CONGREGATIONIS SANCTI SPIRITUS.

Inter innumeros filios quos nobilis Gallia genuit et Ecclesia catholica non solum in Christo regeneravit, sed etiam sacerdotes consecra vit et ad praedicandum evangelium in regiones longinquas misit, ardenti studio et divina caritate praestantes, digne recensetur Iacobus Desideratus Laval, sacerdos missionarius Congregationis S. Spiritus. Ex piis honestisque parentibus natus in oppido *Groth,* dioecesis Ebroiceiisis in Gallia, die 18 septembris anni 1803, a pueritia suavis, obediens, devotus et ad pauperes sublevandos inclinatus ostenditur. Apud parochum loci *Tourville,* avunculum suum, litterarum hausit rudimenta. In Minori Seminario Ebroicensi et in Collegio S. Stanislai Parisiis studia prosecutus est atque complevit. Anceps inter statum clerici aut medici, hunc ultimum elegit, et in scientia atque arte salutari, curriculo laudabiliter absoluto, anno 1830 doctoris laurea donatus fuit. Illico officium suum exercuit in loco *S. André* nuncupato, infirmos non minus sollicite curans quam benigne ac generose sustentans. Aequalium et amicorum exemplis et conversatione mundique levitatibus, etsi licitis, aliquantulum indulsit ; vix tamen in locum vulgo *Ivry-la-Bataille* transivit, hisce obledamentis et vanitatibus neglectis ac spretis, saniora exempla et consilia secutus, piam, austeram et actuosam cum sua medicinae professione ducebat vitam. Eventus inde accidit, qui illum ad perfectiorem vitae statum et animarum curam, Deo largiente, vocavit. E loco enim *de Yilliere-en<-Desouvre* rediens equitando, repente in terram praecipitato est, atque ita perire debere visus fuit. Attamen tremens et stupens surrexit sanus, melior effectus atque intus illustratus. Desiderio flagrans se totum divino servitio mancipandi, ad seminarium Parisiense S. Sulpitii se contulit, ibique theologicis disciplinis summa cum laude expletis, simul effuso suarum virtutum odore, mense decembri anno 1838 in ipsius Seminarii sacello ad sacrum presbyteratus ordinem evectus est. In curionem electus prius paroeciae *Pinterville,* paulo post etiam paroeciae *Acquigny,* in utrisque curiis boni postoris munia per biennium gessit, cum magna gregis aestimatione et aedificatione ; illumque

per vias transeuntem incolae indigitabaut et S. Vincentio a Paulo comparabant. Dei Famulus ad maiora intendens animum, quum in Seminario Parisiensi Venerabilem Franciscum Mariam Paulum Libermann eiusque virtutes ac gesta probe agnovisset, societatem missionariorum ab eó cum paterna cura et amore institutam sub invocatione Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis et ad infideles in Africa degentes evangelizandos destinatam, sua sponte et voluntate amplexatus est, anno 1841 exoriente. Verum decennio ab illa societate condita vix exacto, quum pium sodalitium ab egregio sacerdote Claudio Francisco Poullart des Places anno 1703 Parisiis erectum sub titulo Congregationis Sancti Spiritus fere idem prosequeretur opus evangelizandi pauperes et animas derelictas, praesertim in coloniis Galliae, Venerabilis Libermann se suosque socios ipsumque Iacobum Laval, cum eximio et concordi humilitatis exemplo, huic Congregationi aggregavit. Hinc ex duabus sodalitatibus una tantum, sacerdotum numero et virtute fortis et gloriosa superstes riteque recognita, exsistit Congregatio Sancti Spiritus. Quae Congregatio, doctrina, religione atque apostolico studio refulgens, et, eodem Ven. Francisco Libermann praeside, propagata, praeposita etiam fuit erectioni et regimini Seminarii Gallici in Urbe ad sanctae Clarae, quod Seminarium de Ecclesia et Gallia opime meritum et Pontificio titulo decoratum, praeclaris Romanorum Pontificum et Episcoporum Galliae testimoniis cohonestatur. Sub religiosa autem disciplina eiusdem Congregationis regulariter addictus, postulante Rmo Episcopo Portus Ludovici, in insula Mauritiana, et praehabita Rmi Ordinarii Ebroicensis et Superiorum Congregationis licentia, Iacobus Lavai ad illam insulam libentissime profectus est, feliciterque appulit die 14 septembris 1841. Ibidem per vigintitres annos mansit usque ad obitum, famam adeptus sacerdotis exemplaris, religiosi perfecti et apostoli intrepidi Nigritorum, Insulam enim Mauritianam quam, tamquam agrum desertum et incultüm P. Laval invenerat, assiduo sacri ministerii labore et industria, adhibita etiam scientia et arte medica, ita purgavit et excoluit, ut, superatis omnigenis obstaculis, minis et vexationibus, Nigritos illius insulae, paulo ante a dura servitute liberatos, ad fidem et mores religionis catholicae, numero circiter sexagintaseptem millia, convertisse feratur. Interim P. Iacobus Desideratus Laval quem Dominus invenit vigilantem et virtutibus mentisque divitem, iam infirma valetudine laborans viribusque debilitatus, demum gravi et apoplético morbo correptus, sacramentis Ecclesiae piissime susceptis, et Iesu, Maria, Ioseph suavissime invocatis, beato fine quievit die 9 sept. anno 1864. Sanctitatis fama quam Dei Famulus in vita sibi acquisierat, post obi-

tum adeo in dies invaluit, ut homines cuiusque gradus, sexus et dignitatis Ipsum sanctum virum aestiment et appellent, eiusque sepulcrum singillatim et turmatim visitent, floribusque exornent, atque defunctum devota memoria et magno pietatis affectu quasi viventem amplectantur. Quapropter in dioecesibus Portus Ludovici et Ebroicen. super eadem fama Inquisitiones Ordinaria auctoritate adornatae sunt et ad Sacram Rituum Congregationem transmissae. Quum vero omnia in promptu sint et, scriptis Servi Dei rite revisis, nihil obstet quominus ad ulteriora procedi possit, instante Revmo P. Alphonso Eschbach, Congregationis S. Spiritus procuratore generali et huius Causae postulatore, attentisque litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum, necnon Praepositorum Ordinum, Congregationum, Sodalitatum utriusque sexus, perillustrium medicinae doctorum, aliorumque virorum ac foeminarum, muneribus, dignitatibus vel nobilitatis titulis praestantium, potissimum ex fortunata Insula Mauritiana atque ex Gallia, quae missionariorum parens et altrix patria dicitur, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Philippus Giustini, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit : *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die **25** iunii 1918.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua, Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Iacobi Desiderati Laval, sacerdotis missionarii Congregationis S. Spiritus, die **26,** eisdem mense et anno.

Ijg A. **CARD**. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. E. C. Pro-Praefectus.

E. © S

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA ROMANA ROTA

NOVARIEN.

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die 7 augusti 1917, BB. PP. DD. Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, Ponens, *Seraphinus Many et Ioannes Prior, Auditores de turno, in causa* Novarien. - Restitutionis in integrum, *inter* Revñium Vincentium Bairate, seu Congregationem parochorum Novarien., *repraesentatum per legitimum procuratorem Vincentium Sacconi, advocatum, et* Sac. Ioannem Pellagatta, *repraesentatum per legitimum procuratorem Angelum D'Alessandri, advocatum, interveniente et disceptante in cawsa Revmo Promotore iustitiae, hanc definitivam tulerunt sententiam.*

Novariae quoddam exstat Collegium Parochorum urbis et suburbii, iam inde a saeculo undecimo institutum et ab auctoritate ecclesiastica recognitum. Sacerdotes, qui parochias obtinent, quarum decessores fundatores fuerunt Collegii, ex iure eidem Collegio adscribuntur, reliqui ex beneficio et liberalitate membrorum, unde distinctio inter sodales de iure et sodales de gratia. Anno 1913 sac. Ioannes Pellagatta, parochus S. Michaelis in maiori nosocomio Novarien., cooptationem in Collegium postulavit. Quam petitionem excipiens Collegium, eum admisit ex gratia. Hoc aegre tulit sac. Pellagatta, et persuasum habens sibi competere cooptationem ex iure, actionem instituit adversus Collegium penes Curiam dioecesanam, a qua die 8 nov. 1911 sententia prodiit actori favorabilis: « Spetta al parroco *pro tempore* di S. Michele nell'ospedale maggiore di «Novara, e conseguentemente all'attore D. Giovanni Maria Pellagatta, « il diritto di appartenere alla veneranda Congregazione dei parroci «urbani e suburbani di Novara». Die 16 eiusdem mensis Rev. Vincentius Bairate, parochus S. Agabii, praefatae Curiae porrexit libellum, quo intendebat « formalmentef appellare dal giudizio della Rev.da Curia di « Novara a quello della S. Rota ». At iudex *a quo* appellationem reiecit

« perchè prodotta fuori termine e da persona non avente veste legittima». Re ad H. S. Auditorium delata, duo concordata fuerunt dubia: I *An constet de re iudicata in casu?* et, quatenus *affirmative,* II *An sit locus restitutioni in integrum in casu?* Quibus dubiis Domini Patres de turno respondendum censuere: Ad I *affirmative;* ad II *negative.* Cum autem parochus S. Agabii ad alium turnum provocaverit; hodie tertio causa disceptanda proponitur sub assuefa formula dubii:

An sententia rotalis diei 4 augusti sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Ius quod spectat. - Ex cap. 15, tit. ,27, lib. Il, deducitur rem iudicatam esse ipsam sententiam definitivam, a qua non fuit appellatum per decendium, quod decendium absolute peremptorium est, ita ut qui intra id temporis spatium ad provocationis subsidium non advolat, censetur praesumptione iuris et de iure voluisse latae sententiae parere. Hinc res iudicata tantam auctoritatem, tantamque habet firmitatem, ut pro veritate habeatur ex regula iuris 297 « Res iudicata pro veritate accipitur» Decem autem dies. incipiunt vel a die latae sententiae, si partes lectioni aut recitationi sententiae per se, aut per procuratores, praesentes fuerint, vel, si non fuerint praesentes, a die notificatae sententiae, cum ignorans non possit deliberare. A die vero latae vel notificatae sententiae tempus est continuum, i. e. currit de momento in momentum, et quidem ininterrupte, comprehendens nimirum etiam dies feriatos, adeo ut propter ipsos decendium nec prorogari, nec limitari potest (leg. 1 Cod. *De feriis).*

Adversus rem iudicatam obtineri potest restitutio in integrum, quae definitur « extraordinarium iuris remedium, quo graviter laesus ex natur « rali aequitate, ex officio iudicis reducitur in eum statum, sive ius, in « quo erat ante laesionem ». Ita Reiffenstuel in tit. XLI, lib. I, n. 3. Unde fundamentum restitutionis in integrum est gravis laesio; levis enim laesio non attenditur, alioquin nullus unquam contractus, aut actus subsisteret. Restitutio conceditur maioribus et minoribus, cum hoc tamen discrimine, ut maioribns non concedatur, nisi, praeter laesionem, iustam causam probaverint; v. g. quod laesio ex dolo adversarii contigerit, vel quod laesus propter grave impedimentum laesionem vitare non potuerit. Minoribus vero datur absque causa, seu melius datur propter aetatis ac iudicii imbecillitatem, quae causa semper subsistit. Minoribus, ex cap. 2, tit. XLI, lib. I, aequiparantur ecclesiae, quarum nomine veniunt non solum ecclesiae proprie dictae, sed etiam monasteria, aliaque loca reli. giosa, capitula, collegia clericorum, ecc. Ita Reiffenstuell, 1. c, n. 75; Devoti, *Ius canonicum* in eumd. tit., n. 5; Ferraris, ad v. *Rest, in integr.,*

n. 10, aliique communiter. Ecclesiae, uti patet ex cap. 1 eod. tit., in VI et ex Clementina unica eod tit., restitui possunt vel contra contractum, aut actum, vel contra sententiam, vel contra lapsum temporis, v. g. fatalia appellationis, modo se graviter in iis laesas fuisse legitime probent. Si restitutio petatur contra sententiam, obtineri certo nequit ob illud gravamen, quod semper parti succumbenti accidit, sed laesio resultare debet ex sententiae iniustitia, ut S. Rota declaravit in decisionibus innumeris : v. g. in dec. 672, n. 1, p. II, *Recent.,* ubi legitur: « Iniustitia autem (sen« tentiae) est potissima causa restitutionis, quia indubitanter continet lae« sionem ». Haec vero iniustitia non requiritur ut sit notoria, sed, uti tenent communiter Doctores, sufficit simplex et ordinaria; debet tamen concludenter probari, alioquin praevalet res iudicata, quae, uti supra dictum est, pro veritate accipitur. Et haec fuit constans S. Rotae iurisprudentia. Ita in dec 236, n. 3, p. X, *Recent.,* habemus: « Restitutio in «integrum adversus rem iudicatam non conceditur, nisi clare et con« cludenter appareat de iniustitia, unde deducitur laesio ». Eadem leguntur in decis. 329, n. 1, p. II; decis. 35, n. 1, p. XII, *Recent., etc.*

Modo ad factum. - Sententia appellata in responsione ad I dubium declaravit sententiam Curiae Novariensis diei 5 nov. 1914 transiisse in auctoritatem rei iudicatae: in responsione ad II dubium edixit contra eamdem sententiam non esse concedendam restitutionem in integrum.

Quoad *rem iudicatam* Patribus visum est nullam adesse posse difficultatem. Constat enim sententiam Novariensem latam fuisse die 5 nov. 1914, et quidem praesente sac. Cassani, Congregationis praeside et procuratore; unde, iuxta superius exposita, decendium pro appellatione concessum a die 5 novembris usque ad diem 15 eiusdem mensis continuum decurrit. At sac. Bairate, parochus S. Agabii et sodalis Congregationis, iuridice non appellavit nisi die 16 novembris: ergo transacto tempore debito et proinde inefficaciter. Die quidem 14 idem parochus haec scripsit ad iudicem *a quo:* « Ritenuta detta sentenza gravosa ^i « diritti, della Congregazione, e quindi a quelli suoi proprii e dei nuovi « successori, compie con la presente atto di protesta, perchè, qualora « non si giudichi opportuno il tempo presente per interporre l'appello, « sia riservata la facoltà di farlo in seguito ». Verum, uti clarissime patet, non erat haec appellatio, sed mera protestatio et manifestatio propositi, seu intentionis postea, appellandi, quod propositum revera exsequutus fuit die 16 novembris, ut dictum est.

Haec tamen ad abundantiam dicta sunt a Patribus. Etenim rem iudicatam in casu primitus edixit iudex *a quo* Novariensis sententia

diei 7 decembris 1914, deinde confirmata fuit ab H. S. Auditorio in sententia appellata. At contra sententiam rotalem, quae confirmatoria sit alterius sententiae, sive rotalis sive alius Tribunalis, nullum datur remedium praeter querelam nullitatis ex can. 33 *Legis propriae.*

Relate ad *restitutionem in integrum* contra sententiam Curiae Novariensis diei 5 nov. 1914, iuxta ea, quae supra quoad ius exponimus, parochorum Congregatio docere deberet de gravi laesione, seu de sententiae iniustitia, quae est fundamentum laesionis. Hoc autem assequutum non fuisse a Congregatione clare ostendunt defensiones ab eius Patrono nostro exhibitae Tribunali. Re quidem vera parochus S. Michaelis ad demonstrandum ius sibi competere, esse de iure, et non tantum de gratia, sodalem Congregationis, quatuor praecipua documenta producit; manuscriptum videlicet Frasconi circa annum 1755 ; acta visitationis episcopalis Illmi Bertone Balbis, anni 1765; manuscriptum Croce anni 1839, et relationem sac. Marucco anni 1903. Singula sunt breviter perpendenda.

a) In manuscripto Frasconi, quod in archivio cathedralis Novariensis asservatur, referuntur admissiones parochi S. Crucis *de gratia speciali,* an. 1602; laudatio parochi vulgo *della Bicocca, qui gratiam* recepit ad ingrediendam Congregationem an. 1731, et statim postea *laudatio* Felicis Portigliotti parochi. S. Michaelis an. 1736, quin ulla fiat de gratia mentio. Ex quo diverso loquendi modo, in eadem materia et in eodem loco, argumentum exsurgit parochum Portigliotti non ex gratia, sed ex iure admissum fuisse ; quod eo magis dicendum est, quia quatuor parochi* Portigliotti praedecessore^, scilicet Ioannes Baptista Degli Agostini, Franciscus Maria Giallo, Iulius Ferrari et Dominicus Delle Donne memorantur in actis Congregationis tanquam sodales, quin additum unquam inveniatur de gratia. Neque dicatur non fuisse necessarium adnotare parochos S. Michaelis ex gratia cooptatos fuisse in Collegium, quia ipsi in regimine animarum non succedunt alicui ex fundatoribus Congregationis, quod requiritur, ut quis sit sodalis de iure : et parochus Bernardinus Tornotti, qui primus inter parochos S. Michaelis sodalis invenitur, fuit admissus ex gratia. Etenim quoad primum, verum non est illos tantum esse sodales de iure, qui parochias regunt, quas obtinebant fundatores Collegii. Nam ante omnia in articulo X Regularum Societatis vagis nimis verbis statuuntur conditiones observandae in sociis admittendis: « Nullus « sacerdos, de novo receptus in aliquo beneficio dictae Congregationis non « admittatur, nisi prius fecerit fidem plenam de accepto beneficio per « instrumentum investiturae, seu possesionis iam apprehensae illius « beneficii sibi adepti ». Deinde praeter successionem, quem titulum dicere possumus originarium, alii adesse possunt tituli derivati, adventitii aut

acquisiti, uti legitur in appellata sententia : « et titulus ad cooptationem «in Congregationem potest quoque esse successio in portionem aliquam « antiquarum parochiarum, aut decretum Vicarii generalis acceptatum « a Congregatione, vel simplex deliberatio Congregationis, sive parochus « cooptatus succédât in aliquam portionem antiquarum parochiarum, sive « alia de causa ». Quoad secundum, sacerdos Tornotti non petiit cooptationem in Collegium, sed tantum facultatem incedendi processionaliter cum Sodalibus sub Cruce ipsius Congregationis; quam facultatem obtinuit a Vicario Generali per modum provisionis et sine praeiudicio «Congregationis.

b) Anno 1765, Episcopus Novariensis, Bertone Balbis, Congregationem parochorum canonice visitavit et, in visitatione peragenda, vo,cavit duo membra Congregationis, ministrum *(ministrale)* videlicet Congregationis et alium sodalem ab eadem Congregatione ad hoc deputatum; hi nonnulla iura et libros administrationis redituum Episcopo exhibent; haec scripta Episcopus videt, examinat et recognoscit; ac inde haec a. notario visitationis, eodem Episcopo dictante, referuntur: « Componitur « (Congregatio) a nonnullis RR. parochis urbanis et suburbanis, nempe «parochis ecclesiarum S. Petri, S, Crucis, S. Euphemiae, S. Stephani, « S. Nicolai, S. Matthaei, S. Michaelis, S. Andreae, S. Agabii, S. Mariae *€ della Bicocca...* et quamvis parochi praedictarum ecclesiarum habeant « ius quod in fratres recipiantur, cogi tamen non possunt ». Ergo iuxta hoc documentum, an. 1765 parochus S. Michaelis erat unus ex parochis, qui ius habebant, ut in fratres reciperentur. Grave omnino est hoc testimonium in favorem parochi S. Michaelis, tum quia agitur de ipsamet visitatione canonica, in qua Episcopus agit vices non solum testis, et testis qualificati, sed etiam iudicis de statu ecclesiarum; tum quia Episcopus Novariensis omnem diligentiam adhibuit, ut non nisi vera et iusta dictaret, vocando officiales Congregationis, requirendo iura, documenta et libros Congregationis, et omnia examinando et scrutando: tum demum, quia ipsa Congregatio, quae procul dubio acta huius visitationis, et omnia in eis contenta cognovit, et cuius maxime intererat ut nihil in his actis esset, quod ipsius iura offenderet, numquam protestata est contra haec acta, aut quamlibet eorum partem, cuius protestations nullum in actis vestigium a patronis partium indicatur.

Patronus Congregationis scribit acta visitationis non manare a Sodalitate, sed ab Episcopo, ideoque non referre legitimam partis confessionem, sed solius Episcopi opinionem. Verum ad hoc, ut scriptura vim probandi habeat, non requiritur ut referat confessionem partis, alioquin de omni genere probationum, praeter partium confessionem, iam actum

esset. In casu Episcopus, ut supra dictum est, ea quae scripsit deprompsit ex documentis et scripturis, quae in Congregationis archivio custodiebantur. Scitum est autem in iure documenta ex archiviis ecclesiarum, monasteriorum et similium locorum extracta probare contra ecclesias, monasteria, etc., et etiam in factis antiquis pro ecclesiis, monasteriis, etc. Reiffenstuel, in tit. *De fide instrumentorum,* n. 124; Santi, in eumd. tit., n. 7.

c) Parochus Croce, iam ab anno 1800 sodalis, et anno 1839 Decanus Congregationis, in manuscripto hoc eodem anno exarato tradidit normas observandas a Cancellario Congregationis, quoties aliquis novus parochus in Congregationem recipi postularet, quod manuscriptum asservatur in archivio Congregationis; agitur itaque de libro *manuali,* qui ateste omnino qualificato scriptus fuit et centies versatus et lectus fuit ab omnibus, quorum intererat, praecipue a sodalibus Congregationis, a novitiis et postulantibus. In hoc libro exponitur status Congregationis relate ad membra, quibus constat; recensentur suppressiones aliquot titulorum parochialium et restitutiones plurium, ita ut reddatur accurata ratio numeri sodalium. Porro, inter hos sodales Congregationis auctor memorat parochum S. Michaelis. Cum autem an. 1839 parochia S. Michaelis administraretur a regularibus, sac. Croce declarat quod, non obstante hac iuris exercitii suspensione, statim ac parochia sacerdoti saeculari regenda tradita fuerit, hic parochus ius haberet ut in sodalem Congregationis reciperetur. En ergo aliud grave argumentum in favorem parochi Sancti Michaelis, quo constat non solum penes Decanum, sed penes totam Congregationem, a tempore quod anno 1800 anterius est usque ad an. 1839 extitisse persuasionem de iure firmo, inconcusso ac pacifico parochi S. Michaelis ut in Congregationem admitteretur.

Duo adversus libellum parochi Croce obiicit Patronus Congregationis: 1° ipsum non exhibere confessionem Sodalitatis; 2° parochum Croce errasse circa ius parochi S. Eustachii, qui etiam hodie de gratia tantum admittitur, et ideo potuisse errare etiam circa ius parochi Sancti Michaelis. At prima difficultas supra praeoccupata est. Quoad secundam in primis dicere possumus cum sententia Novariensi, quod si parochus Sancti Eustachii usus non fuerit documento Croce in propriis iuribus tuendis, nihil inde detrimenti oriri potest contra parochum S. Michaelis. Deinde vis documenti Croce in favorem parochi S. Michaelis non solum desumitur ex eo, quod adnumeretur inter sodales de iure, sed etiam, et praesertim ex verbis, quae auctor specialissime profert de parochia S. Michaelis tunc temporis a regularibus administrata, asserens, ubi primum regimen parochiale traderetur parocho saeculari, huic competere ius ut in Congregationem cooptetur.

d) A Congregatione rogatus sac. Marucco, vir diligens iuriumque tenax, an. 1903 exaravit relationem de statu Congregationis, eamque exhibuit Ordinario Novariensi ad hoc ut quaedam in statutis inducerentur mutationes aut additamenta. In hac relatione refert acta .visitationis anni 1765 ac normas a parocho Cróce scriptas, retinetque tanquam firmam seriem, aut elenchum sodalium de iure ab Episcopo Balbis descriptum. In hoc autem elencho, uti supra vidimus, reperitur parochus S. Michaelis. Relatio parochi Marucco in archivio Congregationis deposita fuit, quin ulla animadversio aut protestatio contra ius parochi S. Michaelis facta fuerit ; proinde ex hac relatione novum exurgit argumentum ad probandum ius parochi S. Michaelis.

Recensita quatuor documenta non exhibent quidem actum constitutivum iuris illius parochi, sed probant persuasionem et observantiam plus quam centenariam in favore huius iuris, seu, ut dicit sententia Novariensis: « Gli atti Bertone, Croce, Marucco non sono prodotti prrn- « cipalmente quali atti costitutivi dei diritti del parroco dell'Ospedale « (S. Michele), ma quali atti comprovanti che, ai tempo in cui essi vive- « vano, èra unanime presso la Congregazione la convinzione sul diritto «indiscusso, pacifico, avente validità, del parroco dell'Ospedale, e atte- « stano, specie col manoscritto Frascone, o suppongono il godimento « del legittimo e pacifico possesso del diritto, ed è un fatto costitutivo « del quasi-possesso più che centenario, che presume il miglior titolo « del mondo e dispensa dalla produzione del titolo ».

Congregationis patronus opponit, admissa quoque observantia favore parochorum S. Michaelis, non esse illico concludendum pro bono iure sac. Pellagatta, etenim parochia S. Michaelis fuit suppressa a Napoleone et, quamvis postea restituta fuerit, dici nequit novam parochiam in omnibus iuribus antiquae successisse. Verum difficultas nullius momenti est. Nam admittendum est parochiam suppressam fuisse decreto Napoleonis diei 22 iunii 1805, licite an non, auctoritate Pontificis aut episcopali tantum, parum ad rem nostram refert. Certum pariter est parochiam fuisse restitutam a Card. Marozzo, episcopo Novariensi, decreto diei 19 iunii 1834, quo tamen in decreto non nova erigitur parochia, sed antiqua de novo excitatur et in pristinum restituitur. Hinc de duabus unum : aut titulus, quo antiqua parochia S. Michaelis ad Congregationem de iure pertinebat, erat realis, inhaerens scilicet ipsi parochiae, v. g. quia hospitale maius, quo parochia constabat et constat, erectum fuit in territorio alicuius e parochiis, quae Congregationem constituebant; vel titulus ille erat adventitius, scilicet ex Congregationis deliberatione et concessione. In priori casu, qui probabilissimus est, patet hunc titulum realem

remanere, et proinde idem ius hodierno parocho competere, quod competebat antiquo. In altero casu concessio semel facta a Congregatione parochiae S. Michaelis iuribus accensenda est ipsius parochiae, quod ius cum omnibus aliis iuribus revirescere coepit per ipsius parochiae restitutionem. Hinc merito sac. Croce in suo manuscripto superius memorato, quod ipse exaravit anno 1836, i. e. quinque post annis a facta parochiae restauratione, declarat quod, cessante administratione parochiae tunc temporis a regularibus retenta, « e venendo in essa istituito un sacerdote secolare, questa « ritornerà nel primo suo diritto di chiedere ed ottenere l'immissione alla « detta Congregazione ».

Ex his omnibus evidens est ex una parte sententiam Novariensem inniti gravibus ac concludentibus argumentis favore parochi S. Michaelis, ex altera nil, quod alicuius ponderis sit, attulisse patronum Congregationis ad eadem argumenta infirmanda; proinde sententia nullo modo dici potest iniusta et laesiva; quod unum requiritur ad obtinendam restitutionem in integrum. . .

Quibus omnibus in iure et in facto rite diligenterque perpensis, nos infrascripti Auditores pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, ad propositum dubium respondemus: ad I *Affirmative:* ad II *Negative:* condemnantes Congregationem parochorum ad expensas omnes iudiciales praesentis instantiae; nec non ad dimidiam partem honorarii, quod debetur advocato alterius partis pro hac eadem instantia.

Ita dicimus, pronunciamus ac sententiamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent haec nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim cap. 3 sess. XXV, *de Ref.,* Conc. Trid., iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis existimaverint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 7 augusti 1917.

Guilelmus Sebastianeiii} Decanus, *Ponens.*
Seraphinus Many.
Ioannes Prior.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae.
Sac. T. Tani, *Notarius.*

t

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

DUBIA

IN PLENARIIS COETIBUS DIERUM 2-3 **IUNII** 1918 **SOLUTA**

I.

De obligationibus clericorum.

(Lib. II, Pars I, **Sect. I, Tit. III).**

Utrum quoad licentias habendas, de quibus in Decr. *Docente Apostolo,* 11 nov. 1910, recurrendum sit ad S. Sedem, an vero ad proprium Ordinarium (Can. 139, § 3).

Resp.: Ad Ordinarium proprium.

II.

De religionum regimine.

(Lib II, Pars II, Tit. X, Cap. I).

Utrum praescriptum canonis: «superiores minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium, etc. », applicetur quoque superioribus seu directoribus scholarum, hospitalium, aliorumque piarum domorum (Can. 505).

Resp.: Affirmative, si superiores isti seu directores sint simul supe^ riores religiosorum, sub sua potestate habentes alios religiosos, etiam quoad religiosam disciplinam.

III.

De irregularitatibus aliisque impedimentis.

(Lib. III, Pars I, Tit. VI, art. II).

1. Utrum ad sensum canonis 987, n. 5, impediti sint qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto [nondum sunt vocati, vel quia aetate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati (Can. 987, n. 5).

Et quatenus negative:

. 2. Utrum praedicti non solum ad primam tonsuram et minores Ordines, sed etiam ad maiores licite promoveri possint, servato tamen, quoadusque hoc bellum perduraverit, Decreto *Ut ius certum.*

Resp.: Ad 1m Affirmative.

Ad 2M Provisum in primo.

IV.

De matrimonio.

(Lib. Iii, Pars I, Tit. VII).

.1. Si quis reclan$t ius suum ex sponsalibus vaiicje contractis contra partem iriituram matrimonium cum alio, matrimonium eritne suspendendum usque dum actum fuerit de iusta causa dispensationis priorum sponsalium et de damnorum reparatione, si qua debeatur ? (Can. 1017, § 3).

Resp.: Negative, seu non amplius admitti actionem de iusta causa dissolutionis sponsalium; actionem vero reparationis damnorum non suspendere matrimonii celebrationem.

2. Utrum actio reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3, pertineat ad forum ecclesiasticum, an ad civile.

Resp.: Actionem reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3, esse mixti fori.

3. Si sponsa vel sponsus inveniantur ignari doctrinae christianae) eritne locus eos respuendi a matrimonio, vel differendi matrimonium usque ad instructionem? (Can. 1020, § 2).

Resp.: Parochus servet praescriptum canonis 1020, § 2; et dum ea peragit quae Codex peragenda praescribit, sponsos ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinae christianae elementa: quodsi renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam canonis 1066.

4 Si pars post adeptam pubertatem plusquam per sex menses commorata fuerit in longissimis et dissitis oris, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii, sufficitne in casu ad certiorandam libertatem status iuramentum partis cum testimonio duarum, vel si non possint haberi duo, saltem unius, qui secum commorati fuerint illis in regionibus? (Can. 1023, § 2).

Resp.: Rem remitti prudenti iudicio Ordinarii, qui alias probationes, non excluso iuramento suppletorio, praescribere potest ad normam canonis 1023, § 2.

5. Quid sì copula illicita et occulta praecesserit nativitatem nubendae, de qua dubitari possit an sit filia vel soror alterius partis? (Cann. 97, § 1, 1077, etc.).

Resp.: Provisum per can. 1076, § 3. *

6. Vis novi Codicis estne retroactiva in his, quae modificantur circa sponsalia et impedimenta tum impedientia quam dirimentia matrimonium, ita ut quodlibet ius acquisitum vigore sponsalium validorum, nullimode possit reclamari, nisi in quantum novus Codex concedit, et contracta impedimenta modificata a novo Codice, nulla dispensatione, indigeant? (Cann. 4, 10).

Resp.: Codici, etiam quoad sponsalia et impedimenta, non esse vim retroactivam: sponsalia autem et matrimonia regi iure vigenti quando contracta sunt vel contrahantur, salvo tamen, quoad actionem ex sponsalibus, canone 1017, § 3.

7. Quid dicendum de matrimoniis, si quae nulla sint ex capite impedimentorum a novo Codice abrogatorum: fiuntne matrimonia illa valida ipsa promulgatione novi Codicis, vel etiam post dictam promulgationem indigent dispensatione, sanatione, etc.? (Cann. 4, 10).

Resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

8. Utrum cognatio spiritualis ante diem Pentecostes anni 1918 contracta ultra terminos nunc a novo Codice definitos in can. 768, a praefata Pentecostes die ipso facto cesset quoad omnes effectus, an tantum desinat esse impedimentum ad matrimonium (Cann. 768, 1079).

Resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

V.

De custodia et cultu Sanctissimae Eucharistiae.

(Lib. III, Pars III, Tit. XV).

1. Canon 1267, quo statuitur in religiosa vel pia domo SS. Eucharistiam custodiri non posse nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio, intelligendûsne est ita, ut prohibeatur eam custodiri praeterquam in publica ecclesia pro commoditate fidelium, etiam in principali oratorio* in quod sodales conveniunt ad exercitia pietatis communia? (Can. 1267).

Et quatenus negative ad primum.

2. An idem dicendum sit, si quando ecclesia clausa ordinarie maneat et fidelibus non pateat.

3. An idem dicendum sit de pluribus oratoriis in eadem pia domo pluribus sodalium classibus destinatis (duobus, tribus, etc., pro novitiis ex. gr., fratribus laicis, studentibus, sacerdotibus), ita ut unaquaeque . classis suum distinctum habere possit oratorium cum SS. Sacramento; an potius hoc coarctandum ad ecclesiam et oratorium pro tota communitate destinatum.

Resp.: Sensus canonis 1267 hic es'. Si religiosa vel pia domus adnexam habeat publicam ecclesiam eaque utatur ad ordinaria et quotidiana pietatis exercitia explenda, SS. Sacramentum in ea tantum asservari potest; secus in oratorio principali eiusdem religiosae vel piae domus (sine praeiudicio iuris ecclesiae, si quod habet); in eoque tantum, nisi in eodem materiali aedificio sint distinctae ac separatea familiae, ita ut formaliter sint distinctae religiosae vel piae domus.

VI.

De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi.

(Lib. IV, Tit. XVII).

An societatibus clericalibus sine votis applicentur can. 2386, 2387, 2389, 2410, 2411, 2413.

Resp.: Affirmative quoad cann. 2386, 2387, 2389, quatenus sodales **avitam** communem degant; quoad can. 2410 quatenus societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad Ordines suis subditis; quoad primam partem can. 2411, salvis quoad reliqua constitutionibus; et quoad can. 2413.

PETRUS CARD. GASPARRI, *Praeses.*

Aloisius Sincero, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 25 giugno 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione *Ordinaria* dei Sacri Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima sono state sottoposte le seguenti materie:

1) introduzione della Causa di beatificazione e canonizzazione del Servo di Dio Giacomo Desiderato Lavai, Sacerdote Missionario della Congregazione dello Spirito Santo;

2) conferma del culto da tempo immemorabile prestato ai Servi di Dio Agostino Cennini, Bartolomeo Donati, Giovanni Petrucci, Lorenzo Nerucci ed altri sessanta religiosi dell'Ordine dei Servi di Maria, uccisi, come si asserisce, in odio alla Fede;

3) intorno alla revisione degli scritti del Servo di Dio Davanzato, del III Ordine di S. Francesco;

4) e degli scritti della Serva di Dio Maria di Gesù, religiosa professa dell'Ordine dei Carmelitani Scalzi;

5) e degli scritti della Serva di Dio Maria Eustella Harpain, Vergine.

Martedì 2 luglio 1918, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Antonio Vico, Ponente della Causa di beatificazione e canonizzazione del Venerabile Servo di Dio Frate! Benilde, della Congregazione delle Scuole Cristiane, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria*, nella quale dai Revmi Prelati e dai Consultori Teologi si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dal medesimo Ven. Servo di Dio.

Martedì 23 luglio 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione *Ordinaria* dei Sacri Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima sono state sottoposte le seguenti materie:

1) introduzione della Causa di beatificazione e canonizzazione del Servo di Dio Felice De Andreis, Sacerdote e primo Superiore della Congregazione della Missione, in America:

2) intorno alla revisione degli Scritti del Beato Gioacchino Piccolomini, Conf. dell'Ordine dei Servi di Maria;

3) e degli scritti del Servo di Dio Leonardo Murialdo, Fondatore della Pia Società di S. Giuseppe.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare :

8 luglio 1918. L'Emo signor cardinale Antonio Vico, ***Prefetto della Sacra Congregazione dei Miti.***

9 » » L'Emo signor cardinale Aidano Gasquet, ***Protettore delle Suore dell'Istituto « Holy Child Jesus », di Mayfield (Inghilterra).***

13 » » Monsignor Achille Locatelli, arcivescovo titolare di Tessalonica, attualmente Nunzio Apostolico nel Belgio, ***Nunzio Apostolico presso la Repubblica di Portogallo.***

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

1 luglio 1918. Mons. Ferdinando de Senior, vescovo di Erbipoli.

Protonotario Apostolico ad instar participantium:

4 luglio 1918. Mons. Nicola Fanelli, della diocesi di Teggiano.

Prelati Domestici di S. S.:

5 luglio 1918. Mons. Timoteo J. Sullivan, dell'archidiocesi di Toronto.

10 » » Mons. Giacomo Pompen, della diocesi di Bois-le-Duc.

17 » » Mons. Francesco Galli, dell'archidiocesi di Cosenza.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze :

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

26 giugno 1918. Al sig. Paolo Lepercq-Destailleurs, della diocesi di Arras.

3 luglio •» Al sig. prof. Pietro De Sanctis, di Roma.

9 » » Al sig. Timoteo Foley, dell'archidiocesi di S. Paolo di Minnesota.

9 luglio 1918 **Al sig. Carlo Enrico Francesco Smith, della medesima archidiocesi.**
» » » **Al sig. Lorenzo Stédman Donaldson, della medesima archid diocesi.** ,
» » » **Al sig. Maurizio Me Donald, della medesima archidiocesi.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

2 luglio 1918. **Al sig. Giorgio Carlo de Grandmaison, della diocesi di Angers.**
4 » » **Al sig. Agostino ten Hompel, della diocesi di Münster.**
11 » » **Al sig. ing. Antonio Roncoroni, dell'archidiocesi di Milano.**
19 » » **Al sig. Giuseppe Rojas Moreno conte de Casa Rojas, addetto** air **Ambasciata di Spagna presso la S. Sede.**

La Commenda delV Ordine di S. Silvestro Papa :

20 giugno 1918. **Al sig. prof. Domenico Del Campana, della diocesi di Fiesole.**
» » » **Al sig. avv. Emilio Macció, della medesima diocesi.**
» **Al sig. Francesco Della Monica, della diocesi di Cava e Sarno.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

1 marzo 1918. **Al sig. Ruggero Barbini, di Roma.**
19 luglio » **Al sig. prof. Alessandro Piazza.**
26 » » **Al sig. Giovanni Battista Torriglia, dell'archidiocesi di Genova.**

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

6 aprile 1918. **Mons. Giuseppe Rychlak, della diocesi di Cracovia.**
30 » » **Mons. Lamberto Schmidbauer, della diocesi di Linz.**
» » » **Mons. Matteo Brandtner, della medesima diocesi.**

7	*giugno*	*1918.*	**Mons. Ludovico Keuller, della diocesi di Ruremonda.**
12	»	»	**Mons. Costantino Monico, della diocesi di Lodi.**
10	*luglio* -	»	**Mons. Egidio Lari, di Roma.**
17	»	»	**Mons. Luigi Mansi, dell'archidiocesi di Amalfi.**
»	»	»	**Mons. Roberto Patten, dell'archidiocesi di Birmingham.**
20	»	»	**Mons. Francesco Morano, di Roma.**

Camerieri segreti di Spada e Cappa soprannumerari di S. S.:

31	*dicembre*	*1917.*	*lì* **sig. dott. Federico Geier, della diocesi di Bressanone.**
U	*giugno*	*1918.*	**Il sig. Salvatore Pennisi Lelia, della diocesi di Acireale.**
22	»	»	**Il sig. barone Massimiliano de Fuerstenberg, dell'archid. di Colonia.**

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S. :

23	*aprile*	*1918.*	**Mons. Venceslao Feierfeil, della diocesi di Leitmeritz.**
»	»	»	**Mons. Carlo Viszolajszy, deH'archidiocesi di Strigonia.**
11	*giugno*	»	**Mons. Emilio Strenski, della diocesi di Brooklyn (S. U. A).**
22	»	»	**Mons. Salvatore Velia, della diocesi di Noto.**
»	»	»	**Mons. Antonio Morselli, dell'archidiocesi di Modena.**
28	»	»	**Mons. Porfirio A. Ruiz, dell'archid. di Puebla Los Angeles.**
2	*luglio*	»	**Mons. Americo Gnidi, di Roma.**
3	»	»	**Mons. Vittorio Bonardi, dell'archidiocesi di Torino.**
16	»	»	**Mons. Vincenzo Sacristán de Mingo, della dioc. di Sigtìenza.**

Chierico Segreto di S. S.

18	*luglio*	*1918.*	**Mons. Enrico Remiddi, di Roma.**

NECROLOGIO

26	*maggio*	*1918.*	**Mons. Francesco Albino Symon, arcivescovo tit. di Attala.**
4	*luglio*	»	**L'Emo sig. cardinale Sebastiano Martinelli, Prefetto della S. Congregazione dei Riti.**
8	»	»	**Mons. Baldassarre Kaltner, arcivescovo di Salisburgo.**
11	»	»	**Mons. Agostino Vittorio** Vie, **vescovo del Principato di Monaco.**
12	»	»	**Mons. Giulio Maurizio Abbet, vescovo di Sion (Svizzera).**
16	»	»	**Mons. Giuseppe Capecci, vescovo di Alessandria.**
21	»	»	**Mons. Tommaso Cusack, vescovo di Albany.**
	»	»	**Mons. Francesco Leone Gauthey, arcivescovo di Besançon.**
			Il R. P. Giuseppe Forestier, della Società di Maria, prefetto apostolico delle Isole Salomoni settentrionali.
			Il R. P. Fedele da Roma, dei Minori Cappuccini, prefetto apostolico della Rezia.

Annus X - Vol. X 2 Septembris 1918 Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTAKIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

APOSTOLICAE SUB PLUMBO LITTERAE

DE CATHEDRALIS ECCLESIAE ATERRADENSIS ERECTIONE

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Romanis Pontificibus nil unquam magis cordi fuit quam spiritualibus fidelium necessitatibus pro casuum adiunctis providere; atque idcirco, si quasdam noverunt dioeceses, quarum Episcopi ob nimiam ipsarum amplitudinem gregi adesse, prout oporteret, et consulere non possent, eisdem, multiplicatis Pastoribus, subvenire non omiserunt.

Cum igitur venerabilis frater hodiernus Archiepiscopus Mariannensis suppliciter postulaverit ut, ob suorum fidelium bonum et commodum, nova dioecesis erigeretur per divisionem suae archidioecesis, quae, etsi tribus abhinc annis iam dismembrata fuerit, adhuc amplissime patet, et precibus eius auctoritas quoque accesserit venerabilis fratris Nuntii Apostolici in Brasiliana Republica, Nos oblatas preces benigne excipiendas censuimus. Quamobrem de consulto dilectarum filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum et suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine et facultate quoque utentes Romano Pontifici et Sanctae Sedi reservata

in Apostolicis sub plumbo Litteris, quarum initium est *Ad universas Orbis Ecclesias* sub datum diei vigesimae septimae mensis aprilis anni Domini millesimi octingentesimi nonagesimi. secundi, libere novam ineundi in Brasilia circumscriptionem dioecesum, quoties id expedire visum fuerit, territorium archidioecesis Mariannensis bifariam dividimus; in parte orientali ipsam archidioecesim Mariannensem coarctamus, in parte vero occidentali, ubi oppidum *Aterrado* exstat, novam dioecesim, Aterradensem nuncupandam, perpetuo erigimus erectamque declaramus in eum, qui sequitur, modum. Praeprimis circumscripta dioecesi Mariannensi usque ad fines orientales paroeciarum vulgo *Formiga, Porto Real, Dores de Judaya* et *Abaede,* hae paroeciae cum reliqua territorii parte, quae ad occidentem vergit et hucusque ad archidioecesim Mariannen- * sem pertinebat, tribuentur novae dioecesi Aterradensi, cui insuper adiicientur duae paroeciae, nempe S. Hieronymi et S. Francisci, a dioecesi Uberabensi avulsae, Ordinario assentiente ; ita nempe ut nova dioecesis constiterit sequentibus paroeciis: *Aterrado, Arcos, Abaede, Dores do ludaya, Formiga, Piumehy, Pimenta, Perobas, S. lodo da Gloria, S. Roqué, Bambuhy, S. Gothardo, Tiros, Morada nova, Porto Real, Arcado, S. Jerónimo* et *S. Francisco.*

Sedem vero et cathedram episcopalem dioecesis noviter erectae constituimus in oppido *Aterrado,* quod proinde ad civitatis episcopalis honorem evehimus cum iuribus et privilegiis, quibus ceterae civitates episcopales iure communi fruuntur; ecclesiam autem parochialem ibidem existentem et Beatae Mariae Virgini a Luce nuncupatae sacram, ad cathedralis statum et dignitatem evehimus, parochiali animarmi] cura, uti antea, in ea servata : simulque ipsi ecclesiae eiusque pro tempore episcopis privilegia ac iura quibus aliae cathedrales earumque praesules pollent, attribuimus.

Eamdem novam dioecesim Aterradensem suffraganeam facimus metropolitanae ecclesiae Mariannensis illiusque pro tempore episcopum metropolitico iuri praedicti Mariannensis archiepiscopi subiicimus, reservata Nobis et Sanctae Apostolicae Sedi libera facultate novam ineundi dismembrationem noviter erectae dioecesis quandocumque id opportunum visum fuerit.

Quod autem attinet ad dioecesis Aterradensis regimen atque administrationem, ad antistitis pro tempore potestatem, officia ac iura, ad capituli cathedralis vel saltem consultorum collegii institutionem, ad seminarii dioecesani regimen et administrationem, ad vicarii capitularis seu administratoris, sede vacante, electionem, ad ipsorum clericorum et christifidelium iura et officia, ad documentorum traditionem aliaque id

genus, religiose servanda esse iubemus quae sacri canones et praesertim novus Codex iuris canonici ad rem praescribunt.

Insuper ut neoerectae dioecesis Aterradensis antistites et suae dignitatis decorem tueri et suae dioecesis necessitatibus occurrere queant, novae sedis episcopalis dotem ac mensam constitui decernimus ex stipe iam corrogata, ex curiae emolumentis atque ex aliis oblationibus vel subsidiis quae fideles liberaliter daturos esse non dubitamus.

Quoniam vero adest in Urbe collegium Pium Latinum Americanum, ubi clerici fere sub oculis Romanorum Pontificum succrescunt atque sacris instituuntur disciplinis, iubemus ut etiam ab antistitibus Aterradensibus, prout fit ab aliis Americae Latinae episcopis, huc mittantur, quam primum fieri poterit, duo saltem, non intermissa vice, delecti iuvenes, suis sumptibus alendi, qui religionis scientiam in ipso veritatis centro acquisitam cum suis deinde civibus utiliter communicent. Quo vero stabilius et horum clericorum sustentationi atque eiusdem collegii dotationi sit provisum, valde exoptamus ut, cura episcopi pro tempore Aterradensis, quam citius fieri poterit, tot conferantur bona, quot opus sunt ut ex eorum reditibus bini memorati iuvenes, aut modo saltem unus, sustentari queant eosque reditus, ubi primum percipiantur, collegio Pio Latino Americano in perpetuum assignatos volumus.

Quae autem hisce Litteris, Apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli hominum, ullo unquam tempore, infringere aut iis repugnare vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Ad haec autem omnia exsequenda deputamus venerabilem fratrem Hyacinthum Angelum Scapardini, archiepiscopum titularem Damascenum atque in Brasiliana Republica Apostolicum Nuntium, eidemque necessarias et opportunas facultates tribuimus, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, imprimisque ipsum Mariannensem Archiepiscopum, simulque definitive pronuntiandi super quavis difficultate vel oppositione in executionis actu quomodolibet exoritura, cum onere ad Sacram Congregationem Consistoria em mittendi infra sex menses exemplar authentica forma exaratum peractae exsequutionis, ut in eiusdem S. Congregationis archivio asservetur.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras contrariis quibuslibet, etiam peculiari et expressa mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo decimo octavo, die octava mensis iulii, Pontificatus Nostri anno quarto.

O. **CARD**. CAGIANO
S. B. E. Cancellarius.

C. **CARD**. DE LA!
S. C. Consistorialis Secretarius.

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*
Ludo vicus Schuller, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco v£ Plumbi.
Reg. in Canc. Ap., vol. XVI, n. 21.

LITTERAE APOSTOLICAE

SODALITAS A S. PEREGRINO LAZIOSI IN CURIALI AEDE TAURINENSI S. CAROLI ERECTA INDULGENTIIS DITATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. —"A dilecto filio hodierno Provinciali Ordinis Servorum B. M. V. ac parocho aedis S. Caroli in civitate Taurinensi humiles sunt Nobis adhibitae preces, ut piam consociationem, quae vulgo « Compagnia di S. Pellegrino Laziosi » nuncupatur atque in eodem templo canonice erecta exsistit, caelestibus Ecclesiae thesauris locupletare dignaremur. Nos, piis huiusmodi votis obsecundare volentes, praesentium vi, audito etiam dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, apostolica auctoritate Nostra, omnibus ac singulis christifidelibus, qui dictam consociationem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si, vere poenitentes et confessi, SSmum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac tum descriptis, tum pro tempore in dicta consociatione describendis sodalibus, qui, vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, memoratam ecclesiam visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, primum qualibet feria tertia, quae singulis mensibus prima recurrit et in qua peculiares ac piae exercitationes in honorem S. Peregrini habentur, dummodo tamen cunctis feriis tertiis mensis praecedentis sacris functionibus, ab Ordinario approbatis, interfuerint; secundum semel in anno, quo die sodalibus placuerit, dummodo saltem, duodecim feriis tertiis, supradictis piis exercitationibus

adstiterint; tertium ultimo novendialis supplicationis die, festum eiusdem S. Peregrini praecedenti, dummodo eidem supplicationi quotidie adfuerint; quartum denique quum defunctis sodalibus praecipue perlitatur, plenariam similiter, quo die opera iniuncta expleverint, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus ac largimur. Praeterea eisdem sodalibus, corde saltem contritis, qui sive quavis feria tertia cuiuslibet hebdomadae matutinae functioni in honorem S. Peregrini adstiterint, sive quolibet die novendialem praefatam supplicationem celebraverint, septem annos totidemque quadragenas; sodalibus postremo, qui quodvis pietatis caritatisve opus, ex eiusdem piae consociationis praescripto, peregerint, centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xxvr iunii mcmxviii, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. C**ARD**. G**ASPARRI,** *a Secretis Status*

EPISTOLAE

I

AD R. P. D. MICHAELEM O' DOHERTY, ARCHIEPISCOPUM MANILANUM, CETEROSQUE EPISCOPOS INSULARUM PHILIPPINARUM, QUI DE ACTIS CONVENTUS MANÍLANI COMMUNEM EPISTOLAM DEDERANT.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Pastoralis sollertiae, qua vos Dei gloriae animarumque saluti prospicitis, novo ac praeclaro Nobis documento fuerunt cum Manilanus conventus, proxime actus, tum communis epistola quam istinc ad clerum populumque vestrum dedistis. Considerantibus enim qui status rerum esset in vestris dioecesibus, nihil fuit vobis antiquius quam illa urgere proposita quae ad religionem tuendam fovendamque magis necessaria viderentur. Certe quod scribitis, non parum apud vos sacrorum ministros desiderari, gravissimum est; id vel maiorem Nobis sollicitudinem afferret, nisi pro certo haberemus numquam Iesum Dominum defuturum esse Ecclesiae

suae. Cumque eius sit unius illos vocare qui sui sacerdotii sint participes, dubitari non potest quin eos sit opportuno et tempore et loco excitaturus. Quae igitur prudens consilium suaserit, iis minime neglectis, ut vos facitis, rogemus instanter Dominum messis ut mittat operarios in messem suam, illud reputantes, bonitatem potius in hoc genere quam copiam spectandam esse; eo magis quod bona paucorum studia Deus suae gratiae munere aequare quam plurimis potest. De catholicorum viribus foederandis, equidem conata vestra probamus; cum enim tanta sit adversariorum conspiratio ut fidei donum, unum omnium praestantissimum, a populo christiano eripiant, non minorem oportet esse, episcopis ducibus, consensionem bonorum ut illud integrum inviolatumque conservent. Eiusdem rei causa, permagni sane interest ea omnia adhiberi quaecumque sunt subsidia ad fovendam pietatem morumque disciplinam: cumque huc admodum Codex iuris canonici, qui nuper est editus, pertineat, curas laudamus a vobis in eo positas ut ipsius praescriptionibus religiose obtemperetur. Ad postremum, officia observantiae vestrae complectentes caritate paterna, a Deo petimus ut quae communi consilio statueritis, eis sua ope addat efficacitatem. Auspicem vero caelestium munerum peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres, cunctoque clero ac populo vestris concredito curis, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII mensis iulii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD REGEM RAJAH RAMA VÜRMAH, CUI DE SEXAGESIMO EIUS NATALI GRATULATUR.

Serenissime Rex, salutem et prosperitatem. — Iucundus Nobis nuntius allatus est, natalem Te sexagesimum proximo mense octobri celebraturum; ac sane facere non possumus quin Celsitudini Tuae ex animo gratulemur. Permagni enim facimus aequitatem et benevolentiam singularem qua uteris erga catholicos dicionis Tuae; ob eamque rem libenter occasionem arripimus propensissimae in Te Nostrae profitendae voluntatis. Profecto in agendis faustae rei causa publicis laetitiis, non postremi erunt ex Tuis civibus catholici homines; qui quidem ex ipso christianae religionis instituto id habent ut officio obtemperandi obsequendique potestati legitimae cedant nemini. Eos benignitati Tuae com-

mendatos volumus vehementer; quos si tueri perges clementia potentique patrocinio, non modo novam humanitatis laudem assequeris, sed etiam gratissimus cives Tibi in perpetuum beneficio devincies. Interea, felicissima omnia Tibi precamur, illud in primis a Deo petentes ut incolumem Celsitudinem Tuam diu conservet, quaeque posthac gesturus es, ea modis omnibus ad utilitatem et gloriam regni Tui fortunare velit.

Datum Romae apud S. Petrum, die x mensis iulii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD R. P. D. NATALEM GABRIELEM MORIONDO, EPISCOPUM CUNEENSEM, NATALEM QUINTUM: ET VICESIMUM AB INITO SACERDOTIO CELEBRANTEM.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Anniversarium diem, quo tui sacerdotii primitias ante annos xxv Deo libasti, proximo esse mense rediturum, didicimus. Publicis laetitiae significationibus hac tanta temporum tristitia sublatis, fieri non poterat quin clerus populusque tuus suam tibi devotam deditamque voluntatem vellet, ut affertur, ostendere, Deum tua causa communiter sollemniterque supplicando. Huius Nos supplicationis perlibenter venimus in partem qui tuam vel pastoralis ministerii curam vel ipsis optatis Nostris obtemperationem magni facimus. Confidimus ecclesiam istam, te gubernante, cotidie magis in omni christianarum virtutum laude progressuram esse. Quare salutaria omnia a Deo tibi precamur. Caritatis vero erga te Nostrae declarandae gratia, tibi tribuimus ut eo die, divina re perfunctus, papalem benedictionem plenariamque indulgentiam, usitatis condicionibus, praesentibus semel impertías. Ac divinorum auspicem munerum peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, tuoque clero ac populo apostolicam benedictionem amantissime in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xix mensis iulii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

IV

AD R. P. D. IACOBUM COSTAMAGNA, EPISCOPUM TIT. COLONIENSEM, VICARIUM APOSTOLICUM DE MÉNDEZ AG GUALAQUIZA, QUEM, OB SACERDOTII NATALEM L, GRATULATIONIBUS ET VOTIS PROSEQUITUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quoniam dena lustra propediem complebis ex quo sacrificandi initium fecisti, gratum Nobis est eam tibi declarare peculiarem benevolentiam qua pro tuis te meritis prosequimur. Novimus quantum ipse laboris, ingenii, diligentiae in Salesianam Sodalitatem, quam quidem vix efnorescentem amplexus es, assidue tot annorum spatio contuleris: maxime ut per Americam inferiorem sua instituta promoveret praeclaro cum religionis civilisque cultus emolumento. Istic enim, te suasore vel auctore, et novae aedes iuventuti educandae a solo extructae sunt et apostolatus excitata studia et ad ipsos indígenas multis in locis christianum nomen propagatum. Tantis autem occupationibus distentus, multiplices tamen easdemque frugiferas scriptiones edendas curavisti ad pietatem morumque disciplinam modis omnibus fovendam. Gratulamur igitur ubertim hucusque virtuti tuae favisse Deum; a quo multam tibi aetatis meritorumque accessionem precamur. Quo autem fructuosiorem eum efficiamus faustum diem, tibi damus libenter ut papalem benedictionem plenariamque indulgentiam, usitatis condicionibus, semel populo, cum volueris, impertias. Atque auspicem divinorum munerum praecipuaeque caritatis Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, iisque omnibus quibus praees, apostolicam benedictionem peramanter in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxxi mensis iulii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

V

AD R. P. D. VICTOREM ARRIEN, ARCHIEPISCOPUM PLATENSEM, CETEROSQUE EPISCOPOS BOLIVIAE, QUORUM COMMUNI EPISTOLAE RESCRIBTT.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Varie sane affecti sumus eis litteris quas in annuo auspicando conventu ad Nos conscripsistis. Etenim cum libenter fidei et observantiae vestrae

significationem acceperimus, tum graviter tulimus difficultates quas ipsi iure conquesti estis: in primisque paucitatem sacerdotum qui per immensitates istarum dioecesium sacro ministerio fungantur. Hac quidem de re vos in eo coetu salutaria consilia cepistis. Profecto in ecclesiis idoneum conformare atque instituere clerum caput est: praecavendum tamen ne minus digni quoque, necessitatis causa, in sacerdotium admittantur; « nec enim quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a « Deo, tamquam Aaron ». Itaque non quot sed quos sacrorum ministros assumamus perpendere debemus; omniaque experti quae ad sacerdotii studium in iuventute fovendum suadeat prudentia, diligenter rem Deo, cuius in manu est, commendemus. Neque is certe « qui vult omnes « homines salvos fieri » negaturus est umquam salutis huius opportuna subsidia; vult vero per administros sacrorum apud cunctas gentes divinae redemptionis perpetuare beneficia. De Codice iuris canonici proxime promulgato, nullum dubium esse potest quin, adnitentibus vobis, eos fructus istic quoque aliaturus sit qui exspectationi Nostrae respondeant, christianae vitae disciplinam provehendo. Ceterum peculiarem quamdam Nobis curam esse de religiosis Boliviae negotiis, satis compertum, venerabiles fratres, habetis ex eo quod proprium istuc legatum misimus, qui Nostram apud vos personam gereret, vosque auctoritate Nostra omnibus in rebus adiuvaret. Pergite igitur coniuncte cum Internuntio Nostro, ut facitis, pro Dei gloria animarumque salute laborare, illud considerantes, ea, quae desint industriae solertiaeque nostrae, suppleturum esse Deum sua gratia. Cuius auspicem ac benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die iv augusti **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

VI

AD CATHARINAM SCHYNSB, SODALITATIS « CATHOLICARUM MULIERUM MISSIONIBUS IUVANDIS » PRAESIDEM GENERALEM, XXV REDEUNTE NATALI, EX QUO EADEM PIUM OPUS CONDIDERAT.

Dilecta filia, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod Nobis litterarum officio nuper nuntiabas, natalem proxime completum iri quintum et vicesimum cum istam societatem, cui praees, pie constituisti,

gratum sane fuit. Quid enim praestantius esse potest, quidve n praesens opportunius quam sancte, ut vos habetis propositum, cultum Sacramenti augusti pro vestra parte fovere, simulque tenuitati consulere earum aedium in quibus necessaria altarium supellex desideretur? In quo quam impensa exstiterit hoc toto tempore tua industria et labor, cum ex magno sodalium numero, tum ex uberrimis religionis pietatisque fructibus metiri licet. Iure igitur plus semel opus tuum salutare Nostri decessores f. r. Leo XIII ac Pius X non modo laudibus, sed etiam privilegiis, praesertim per memorabiles Apostolicas Litteras die **XXIV** maii **MCMX** datas, ornaverunt: quae omnia privilegia Nosmet ipsi his Litteris confirmamus; eo libentius quod tua illa in Ecclesiam promerita, in dies quidem aucta quo magis variis premebaris difficultatibus, obtemperandi observandique studio cumulare consuevisti. Itaque nihil est quod in rerum asperitate demittas animum; vires enim ut ei vincendae par sis, Ille tibi certe est allaturus cui tu navas sanctissimam operam ; quae quidem eo acceptior Deo erit, quo ad persequendum difficilior. Ceterum id fore confidimus ut ista sodalitas, quae, te auctore ac duce, tam bene usque adhuc de religione merita est planeque Apostolicae huic Sedi satisfecit, in posterum quoque, temet ipsa moderante, feliciter progrediatur; eamdemque episcopi omnes cum clero iuvare tuerique velint, illud considerantes, uti omnino in Christi Ecclesia, ita etiam vestro in opere quandam inesse notam catholicitatis, ex cultu divinae Eucharistiae maxime ducentis, quem vos promovere summo studio contenditis. Ac caelestium munerum auspex itemque testis paternae caritatis Nostrae apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecta filia, et iis omnibus quas habes operis adiutrices, amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die **VII** augusti **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACKA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

DE EXTENSIONE FACULTATUM QUORUMDAM ORDINARIORUM DURANTE BELLO

Decreto diei 25 aprilis huius anni, quod incipit *Proxima sacra,* dum statuebatur facultates plures, quas communibus indultis S. Sedes Ordinariis concedere solebat, finem esse habituras die qua canonici iuris Codex vim exerere inciperet; simul circa matrimoniales dispensationes, praeter ea quae Codex tribuebat, SSmus. D. N. Benedictus PP. XV indulgebat ea quae sequuntur:

a) ut locorum Ordinarii in America, in insulis Philippinis, in Indiis Orientalibus, in Africa extra Mediterranei maris oras et in Russia, per quinquennium, servatis canonicis regulis, dispensare valerent ab impedimentis minoris gradus, et matrimonia ob eadem mpedimenta nulliter contracta in radice sanare quirent;

b) ut iidem Ordinarii pariter per quinquennium dispensare possent etiam ab impedimentis maioribus, iuris tamen ecclesiastici (duobus solummodo exceptis) et ab impedimento impediente mixtae religionis, et matrimonia ob impedimenta maiora nulliter contracta in radice sanare.

Haec tamen facultas circumscribebatur conditione *si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit et urgens necessitas dispensandi supervenerit, pendente recursu;*

c) denique ut Ordinarii Galliae, regni uniti Magnae Britanniae et Hiberniae, Germaniae, Austriae-Ungariae et Poloniae, durante bello, quoties aditus ad S. Sedem difficilis aut impossibilis saltem per mensem praevideatur, iisdem facultatibus uti possent, quae sub litteris *a)* et *b)* remotioribus aliis Ordinariis erant concessae.

Verum ex parte plurium Americae Ordinariorum observatum est, ex defectu securitatis maris, praesentis belli causa, se in conditione versari vel peiori ac Ordinarii Europae sub littera *c)* recensiti ; ideoque supplices preces porrexerunt ut pari indulto ac illi munirentur: certum enim est in praesenti rerum statu plus quam mensem requiri ad S. Sedem ex America adeundam.

Porro SSmus Dominus hisce postulationibus, quae iustae sibi visae sunt, annuendum censuit; ideoque praesenti S. Congregationis Consistorialis decreto benigne pro tempore praesentis belli indulget ut Ordinarii locorum remotiorum, de quibus sub littera *a),* dispensare valeant ab impedimentis maioribus et ab impediménto impediente mixtae religionis, et sanare in radice matrimonia nulliter contracta ob dirimens impedimentum de quo supra, quin obligati sint conditionem illam et restrictionem, sub littera *b)* appositam, servare, hoc est *si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit et urgens necessitas dispensandi supervenerit, pendente recursu.*

Debebunt tamen singuli Ordinarii in fine cuiuslibet anni, quousque dura haec rerum conditio perseverabit, rationem reddere S. Congregationi de Sacramentis de specie et numero dispensationum quas ipsi concesserint, eaque occasione iuribus eiusdem S. Congregationis circa taxarum solutionem satisfacere.

Praesentibus valituris, adiunctis, quae modo sunt, perdurantibus, et-contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae ex S. C. Consistoriali, die 2 augusti 1918.

£g C. CARD. D B LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. $ S.

V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

DIVIONENSIS

ERECTIO DIGNITATIS SUB TITULO DECANATUS EIUSDEMQUE COLLATIONIS IN FAVOREM REV.MI D.NI IOSEPHI GEOFFROY, VÍCARII GEN. DIOECESEOS.

DECRETUM

Cum Ordinarius Divionensis, de cathedralis Capituli consensu, enixe postulaverit ut in eodem Capitulo, ad normam canonum 393 et 394, dignitas sub titulo Decanatus erigatur, eaque Revñio Dno Iosepho

Geoffroy, ipsius Vicario Generali, conferatur; SSmus Dnus Noster Benedictus PP. XV, votis Revmi Oratoris necnon cathedralis Capituli ab infrascripto Cardinali Sacrae Huius Congregationis Secretario relatis, libentissime obsecundans, utramque gratiam concedere dignatus est; ñrma tamen in futurum reservatione collationis primae Dignitatis, ad tramitem iuris: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 2 augusti 1918.

)$(C. **CARD. DB LAT**, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

I, & S.

Ioannes Bapt. Rosa, *Substitutus.*

III

DUBIUM

CIRCA LEGES ET DECRETA CONCILIORUM PROVINCIALIUM WESTMONASTERIEXSIUM.

Quaesitum fuit utrum dismembrata proximis praeteritis annis ecclesiastica provincia Westmonasteriensi et creatis ex ea novis quatuor provinciis, leges et decreta Conciliorum provincialium Westmonasteriensium, quae praecesserunt, quaeque annis 1852, 1855, 1859 et 1873 celebrata sunt, adhuc vim obligandi habeant et debeant ab omnibus ad unguem servari; an potius in novis provinciis valere cessaverint, nec amplius ea rata ac firma haberi debeant.

Re maturo examini subiecta, SSmus D. N. Benedictus PP. XV iussit responderi:

Affirmative ad primam partem, salvis tamen novi Codicis praescriptionibus si et in quantum legibus et decretis dictorum Conciliorum derogaverint; *negative* ad secundam partem.

Et mandavit ut resolutio publici iuris fieret, eam in *Actis Apostolicae Sedis* inserendo.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 2 augusti 1918.

£ß C. **CARD. DE LAI**, Episc. Sabinen., *Secretarius.*

L.&S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., ***Adsestvt-***

IV
DECRETUM

DE DILATIONE RELATIONIS DIOECESANAE PRO EPISCOPIS AMERICAE.

Proximo anno **1919** **Rmi** Ordinarii dioecesum totius Americae, iuxta decretum *A remotissima* S. Congregationis Consistorialis et Codicis praescriptiones (can. **340),** obligatione tenentur relationem conficiendi de suae ecclesiae statu simulque visitandi, servata norma can. **341,** sacra Apostolorum Limina.

Quamvis autem auspicandum sit ut immane bellum, quo universum humanum genus cruciatur, finem cito habiturum sit, quum tamen in ancipiti res sit et interim romanum iter ex America difficile sit ot periculis plenum, idcirco SSmus D. N. Benedictus PP. XV, hoc S. Congregationis Consistorialis decreto, benigne indulget, ut memoratae obligationis adimplementum Episcopi omnes differant ad futurum subsequentem annum **1920.**

Quod si anno **1920** eadem infeliciter perseverabunt adiuncta, quod tamen Deus in sua magna misericordia avertat, tunc iidem Rmi Episcopi pro currenti secundo quinquennio dispensati manebunt a visitatione ss. Liminum, firma tamen obligatione conficiendi relationem de statu dioecesis, eamque ad S. Congregationem Consistorialem, meliori quo poterunt modo, quamprimum transmittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die **8** augusti **1918.**

)$(C. **CARD. DE LAI**, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

V

DESIGNATIO QUORUNDAM ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE A METROPOLITIS IUXTA CAN. 1594, § 2.

2 augusti 1918. — Emus Archiepiscopus Panormitanus designavit Ordinarium Mazariensem.

— Rmus Archiepiscopus Bambergensis, Ordinarium Herbipolensem.

2 augusti 1918. — Rmus Archiepiscopus Vercellensis, Ordinarium Novariensem.

— Rmus Archiepiscopus Urbinatensis, Ordinarium Pisaurensem.

9 augusti. — Rmus Archiepiscopus Gassiliensis, Ordinarium Vaterfodiensem et Limoriensem.

SSmus D. N. Benedictus PP. XV, audita relatione Emi Secretarii Sacrae Congregationis Consistorialis, designationes ut supra factas approbare dignatus est.

VI

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, Ssmus D. N. Benedictus PP. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

29 iulii 1918. — Titulari episcopali ecclesiae Halicarnassensi praefecit R. D. Stanislaum Gaii, quem deputavit in Auxiliarem Ríñi archiepiscopi Varsaviensis.

— Titulari episcopali ecclesiae Arcalonitanae R. D. Adalbertum Stanislaum Owezarek, quem deputavit in Auxiliarem Rmi Episcopi Vratislaviensis.

— Titulari episcopali ecclesiae Achantinae R. D. Wladislaum Krynicki, quem deputavit in Auxiliarem eiusdem Rmi Episcopi Vratislaviensis.

— Titulari episcopali ecclesiae Barcaei R. D. Adulphum Szelazek, quem deputavit in Auxiliarem Rmi Episcopi Plocensis.

— Titulari episcopali ecclesiae Chanathensi R. D. Paulum Kubicki, quem deputavit in Auxiliarem Rmi Episcopi Sandomiriensis.

— Titulari episcopali ecclesiae Cusarum R. D. Romualdum Ialbrzykowski, quem deputavit in Auxiliarem Rmi Episcopi Augustoviensis.

augusti. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Diocletianopolitanae R. P. D. Antonium Augustum De Assis, hactenus episcopum Guaxupensem, quem deputavit in Auxiliarem R. P. D. Silverii Gomes Pimenta, archiepiscopi Mariannensis.

3 augusti. — Cathedrali ecclesiae Tutelensi R. D. Ioannem Castel, vicarium generalem Apamiensem.

9 augusti. — Titulari episcopali ecclesiae de Capharnaum R. D. Aloisium Barlassina, vicarium curatum perpetuum S. Ioannis in Laterano.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

PADERBORNEN.

SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM

Die 10 novembris 1917

SPECIES FACTI. - Rmus Episcopus Paderbornensis, idemque Administrator Vicariatus apostolici Anhaltini, a S. Sede iampridem impetravit indultum, vi cuius sacerdotes suae dioecesis ac vicariatus accipere valerent stipendium secundae Missae vulgo *binatae,* necnon Missae *pro populo* litandae festis abrogatis, ea tamen lege ut illud traderent ipsi Ordinario, in utilitatem Pii operis a Collegio Leonino nuncupati impendendum. Idem porro Episcopus nuper supplici libello quae sequuntur huic S. Congregationi exposuit: « A nonnullis sacerdotibus dubia mihi « proposita sunt, utrum parochis qui festis suppressis Missam cantatam, « sive manualem sive fundatam, quae dominica praecedenti praenun« ciata fuerit cum indictione diei et horae, celebrant, et sacerdotibus, < qui iterato sacro dominicis et festis de praecepto Missam fundatam « celebrant, liceret ad Episcopum transmittere tantummodo stipendium « Missae lectae iuxta taxam dioecesanam, an ipsi deberent tradere inte« grum stipendium per constitutiones dioecesanas pro Missis aut per « fundationem statutum. Dubiis propositis respondi: *Si diebus festivis* •< *abrogatis exequiae vel nuptiae fiunt et parochus Missam cantatam « exequialem vel pro sponsis celebrare debet, stipendium usitatum pro « Missa privata tantum nobis tradendum est; in omnibus aliis casibus « vero stipendium integrum sive manu oblatum sive ex fundatione sta« tutum nobis transmittendum est ».*

« Humillime peto ut Sancta Sedes hanc meam decisionem pro sacer« dotibus territorii mei approbare velit.

« Aequum enim censeo,^ quod parochi, qui in festis abrogatis Missam «exequialem aut nuptialem cum cantu celebrare *debent,* stipendium « pro Missa lecta tantum tradant, cum alias iura stolae ipsorum dimi« nuerentur. In omnibus autem aliis casibus parochi Missam cum cantu « celebrare minime *obligati* sunt et stipendia pro Missis lectis semper « habent. Ne quaeritandis Missis cum cantu species avaritiae in sacrificii • « sanctissimi celebrationem irrepere videatur, ex re esse censui, quod

« parochi integrum stipendium, sive manuale sive fundatum, favore « Collegii Leonini tradant. Porro parochi et alii sacerdotes, qui diebus « dominicis et festivis duas Missas in commodum animarum celebrare « debent, nullum detrimentum patiuntur, si integrum stipendium ma- « nuale vel fundatum tradunt, quia congruo salario eorum alias suffi- « cienter provisum est ».

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - Super hac re aliquis requisitus de suo voto H. S. C. Consultor supra relatum Episcopi decretum in utraque parte approbari posse censet, hisce adductis rationum momentis. Quod primam partem attinet, recte ratiocinatur Episcopus, aliter fieri non posse, quin parochis debita iura stolae detrahantur. Sed praeterea attendendum videtur agi in casu de Missis solemnibus cum cantu, quibus nempe extrinsecus labor et incommodum praeter ordinem subest: at vero Haec Sacra Congregatio, quae semper districtissime prohibuit ne pro altera Missa in casu binationis quidquam perciperetur a celebrante, ultro permisit in casu quo Missa illa cum cantu persolvi deberet, remunerationem aliquam, « non pro Missae applicatione », sed dumtaxat, « intuitu laboris et incommodi » ; cf. S. C. C, *Treviren.*, 23 mart. **1861,** ad L

Haec eadem adducta ratio obstare quidem videretur quominus Episcopi oratoris decretum in altera sua parte probetur : nam etiam in hac altera parte sermo est de Missis cum cantu, ac propterea eadem subest ratio extrinseci laboris et extraordinarii incommodi subeundi. At difficultas facile evanescit, si consideretur praefata resolutione diei 23 mart. **1861** permissionem in casu conscientiae et arbitrio Episcopi concessam fuisse: *« Posse permitti, prudenti arbitrio Episcopi,* aliquam remunerationem « intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro appli- « catione Missae ». In casu autem Episcopus pro suo prudenti arbitrio id permittendum minime censet, ne inconveniens et admiratio suboriatur ex studiosa, quae secus contingere posset, Missarum cum cantu queritatione, ex parte eorum sacerdotum et parochorum qui Missarum simplicium copia non destituuntur. Utique huiusmodi inconveniens non subest, si agatur de Missis fundatis; verumtamen tunc quoque parochis ius retinendi integrum stipendium esset dumtaxat si ipsum « locum teneret congruae parochialis », prout explicite cavet decretum *Ut debita,* **§ 15;** quod a casu exsulare videtur, quum Episcopus doceat « congruo salario « eorum - i. e. parochorum et aliorum sacerdotum - *alias* sufficienter pro- « visum est ». Quamobrem, attento praesertim quod indultum impetraverit Episcopus, non favore parochorum, sed favore Operis Pii, quumque non resultet decretum de quo agitur alicuius ius laedere, ipsum susti-

nendum est, immo, quia ad malam avaritiae speciem a clero propellendam conceptum, prudens et laudabile apparet. Hucusque Consultoris votum.

Ex officio vero haec ad rem magis explanandam et enucleandam addebantur. 1. Generali quadam ratione, ex praxi et decretis H. S. C, videri in hoc et similibus casibus integram Missarum eleemosynam devolvendam esse favore Pii Operis dioecesani, ceu resolutum fuit in una *Sancti Deodati* diei 27 februarii 1905, ad 2. Proposito enim hoc dubio: « Vigore plurium indultorum idem Episcopus Sancti Deodati concedere « potest sacerdotibus suae dioecesis facultatem recipiendi eleemosynam « vel pro secunda Missa vel pro Missis dierum festorum in Gallia sup- « pressorum, dummodo supradicta eleemosyna pro suae dioecesis ope- « ribus piis applicetur. Porro vestigiis trium suorum antecessorum inhae- « rens, idem Episcopus orator concessit sacerdotibus ut quaecumque « sit eleemosynae quantitas, ad cancellariam episcopalem non mittatur « nisi eleemosyna synodalis, idest lib. 1.50. Quaeritur an haec Episcopi « concessio sit legitima » ; responsum vero prodiit : *Negative.*

Et merito. Sicut enim eleemosyna ex integro tradenda est Missam celebrantibus, cum hanc offerens totam det intuitu oneris quod eis imponit, a pari aequum est ut stipendium, pro quo percipiendo apostolicum indultum in themate concessum est, piis operibus ex integro applicetur Eo vel fortius quia, si iisdem sacerdotibus excessum communis eleemosynae retinere fas esset, indultum ipsum haud unice - ut par est - pia opera respexisset.

2. Verum haec generalis regula suas patitur exceptiones, non quidem ex titulo eidem Missae intrinseco, sed ex aliis titulis ipsi celebrationi extrinsecis. Iamvero inter hos titulos, qui nonnisi per accidens sacro ministerio annectuntur et sunt pretio aestimabiles, nedum *iura congruae vel stolae paroecialis,* sed etiam *maius incommodum vel labor* vel etiam *industria personae* accensentur.

Quoad iura congruae aut stolae nullum superesse videtur dubium. Siquidem in una *Monacen.,* diei 25 iulii 1875, quae confirmata invenitur ab ipso decreto H. S. C. *Ut debita,* diei 11 maii 1904, « attento quod «eleemosynae missarum quorumdam legatorum pro parte locum tene- « rent congruae parochialis, Emi Patres censuerunt licitum esse paro- « cho, si per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti com- « mittere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro missis lectis sive « cantatis » *(Acta &. Sedis,* vol. 36, pag. 672). Similiter in altera *Colonien.,* diei 25 iulii 1874, ad 5, quum exhibitum fuerit sequens dubium : « In celebrandis matrimoniis exequiisve defunctorum iura stolae paro-

«elio non in cumulo solvuntur, sed certa portio assignata est pro singulis actibus ad has functiones rite persolvendas requisitis. Hinc certa « quoque eleemosyna, eaque pinguior quam pro ceteris missis manualibus, ab Ordinario fixa est tam pro missis nuptialibus quam pro « missis exequialibus, quarum celebratio de iure et consuetudine ad « parochos spectat ». Sacra haec Congregatio respondit: « Cum agatur « de iuribus stolae satis esse si parochus retribuat celebranti eleemo-« synam ordinariam » *(Acta S. Sedis,* vol. 8, pag. 75).

Quum itaque in eleemosynis harum Missarum ratio habenda sit etiam *de iuribus stolae vel congruae* parochialis, consequi videtur quod non integrum stipendium, sed ordinarium dumtaxat tradendum sit sacerdoti eas Missas celebranti. Quod valere etiam videtur quum eleemosyna Missae binatae vel *pro populo* consignanda est Ordinario ad pias causas, quia ubi eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio.

3. Nec aliter sentiendum videtur ad ceteros titulos missae extrínsecos quod attinet, nempe ad maiorem *laborem aut extraordinarium incommodum* aut etiam *industriam personae,* prout ex pluribus huius S. C. decisionibus eruitur.

Ita in laudata *Treviren.,* diei 23 maii 1861, propositis his dubiis: « 1° utrum parochi qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus domi-« nicis et festis binam dicunt Missam et pro benefactoribus Promissa-« riarum applicant, salarium ex fundo Promissariarum pro peculiari « labore percipere possint; *T* utrum parochi, qui pro necessitate cir-« cumstantiarum diebus dominicis et festis sive in ecclesia parochiali « sive filiali dissita bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro « peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis «oblatum percipere valeant» haec S. C. respondit: « Posse permitti, « prudenti arbitrio Episcopi, remunerationem intuitu laboris et incom-**be** modi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione missae » *(Acta S. Sedis,* vol. 1, pag. 15).

Item in *Lugdunen.,* 31 ianuarii 1880, plures Episcopi Galliae exposuerunt, se obtinuisse apostolicum indultum applicandi piis operibus dioecesanis stipendium quarumdam Missarum pro populo a parochis litandarum, sed nonnulli ex his, misso ad Episcopum stipendio ordinario, excessum pinguioris eleemosynae a fidelibus oblatae retinebant, contendentes in casu titulum extrinsecum adesse, vel *laborem extraordinarium* si Missa sit cum cantu aut publice praenunciata in dominica praecedenti, si iter sit faciendum, vel praesertim *liberalitatem* intuitu solius personae sponte et evidenter impertitam. Unde dubio:

«An parochi, misso ad Episcopum stipendio a statutis dioecesanis « tax ato, valeant Missarum eleemosynae excessum retinere in casu » ab hac S. C. responsum fuit: *«Negative,* nisi morali certitudine constet, « excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae « vel ob maiorem laborem aut incommodum » *(Acta S. Sedis,* vol. 13, pag. 256).

Pariter in *Bambergen.,* 17 iunii 1905, Archiepiscopus huius dioecesis, quum indultum a S. Sede obtinuisset ut stipendia sive secundae Missae, quam omnes suae dioecesis sacerdotes ob ipsorum penuriam binando litant, sive Missae a parochis et curatis in festis suppressis celebratae in favorem seminarii dioecesani cederent, ab hac S. C. postulavit: « Utrum sacerdotes dicto privilegio utentes, etiam in casu quo Missam « cum cantu celebrent, teneantur integrum stipendium inde perceptum « tradere, an ipsis liceat taxam dioecesanam tantum pro Missis lectis « normatam tradere, reliquam autem stipendii partem (post remunerà- « tionem pro Missis cantandis erogatam) pro se retinere » ; et hoc responsum prodiit: « Communicetur Archiepiscopo resolutio diei 31 ianua- « rii 1880 in *Lugdunen.* » *(Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 211).

Demum in *Annecien.,* diei 24 martii 1906, ad dubia ut sequitur: « I° Quando parochi diebus festis suppressis celebrant Missam canta- « tam sive manualem sive fundatam, quae in dominica praecedenti « praenunciata fuerit cum indicatione diei et horae, licetne ipsis ad « Episcopum transmittere tantummodo stipendium Missae lectae iuxta « taxam dioecesanam *(favore nempe seminarii dioecesani erogandum),* « an debent tradere integrum stipendium per constitutiones dioecesa- « nas pro huiusmodi Missis praestitutum ; 2° si Missam exequialem « cum cantu praedictis diebus celebrant, satisfaciuntne suae obligationi « mittendo stipendium Missae lectae communis iuxta taxam dioecesa- « nam, an debent mittere stipendium Missae cantatae iuxta praedictam « taxam, salvis iuribus stolae », haec eadem S. C. ita respondendum censuit: « Ad utrumque *affirmative* ad primam partem, *negative* ad « secundam, quoties morali certitudine constet, augmentum communis « eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum, ad « quae aliunde parochus obligatus non sit » *(Acta S. Sedis,* vol. 39, pag. 226).

Ex quibus colligi posse videtur, sacerdotes in themate, praeterquam in casu quo agatur de iuribus congruae vel stolae, non teneri totum Missae stipendium tradere Ordinario ad causam piam, etiam aliis in casibus, quum videlicet moraliter constet excessum communis eleemosynae quamdam praeseferre remunerationem ob maius incommodum

vel laborem vel etiam ob intuitum ipsius celebrantis. Hinc Episcopi Paderbornensis decretum, saltem quoad alteram partem, haud sustineri posse videtur.

Nec ex adverso valet ratio eiusdem Episcopi ex eo deprompta quod « parochi nullum detrimentum patiuntur si integrum stipendium manuale « vel fundatum tradunt, quia congruo salario eorum alias sufficienter « provisum est ». Nihil enim refert, divesne an pauper sit celebrans, et utrum ex beneficio ecclesiastico satis habeat unde vivat. Nam, uti docet Fagnanus in capite *Fraternitatem, de sepulturis,* n. 83, « sacri canones « in assignatione stipendii non considerant paupertatem, sed mercedem « laboris, cum nemo militet propriis stipendiis » (cap. *Cum ex officii, de praescripta).*

RESOLUTIO. - Propositis igitur, cum relatis animadversionibus, in plenario Emorum S. Congregationis Concilii Patrum conventu, in Palatio Apostolico Vaticano die 10 novembris 1917 habito, precibus Ordinarii Paderbornen., super his rescribendum Emi Patres censuere:

« Decisionem Episcopi probari, nisi morali certitudine constet, exces- « sum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae vel ob « maiorem laborem aut incommodum; uti resolutum fuit in *Lugdunen.* « coram H. S. C. die 31 ianuarii 1880 ».

Quam resolutionem SSmus Dnus Noster D. Benedictus Div. Prov. PP. XV, referente infrascripto S. C. C. Secretario in audientia diei 12 eiusdem mensis et anni, confirmare et approbare dignatus est.

I. **MORI,** *Secretariis.*

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIO

Brevi Apostolico nominatus est:

9 augusti 1918. — *Auxiliaris Patriarchae Hierosolymitani* **R.** D. Aloisius Barlassina, vicarius parochus Archibasilicae Lateranensis.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

SANCTI LUDOVICI

DECRETUM INTRODUCTIONIS CAUSAE BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI FELICIS DE ANDREIS, SACERDOTIS ET PRIMI SUPERIORIS CONGREGATIONIS MISSIONIS IN AMERICA.

Demontii in oppido, dioecesis Cuneensis, olim Taurinensis, die 12 decembris anni 1778 e piis parentibus Ortus eademque die baptizatus est Felix De Andreis. Octennis sacro chrismate confirmatus, adhuc puer in profundum flumen lapsus, Deo adiuvante, mirifice servatur incolumis. In aetate quindecim annorum collegium ingressus liberalibus studiis, praecipue poëticis, incumbens, ad Sodalitatem Missionis amplectendam se inchoatum ostendit. Mox eiusdem sodalitatis Visitatori suum pandit animum ac desiderium, sed, ob versatile ingenium variosque studiorum cursus, obstrusam sibi reperit viam ad optatum finem assequendum. Attamen, nec deterritus nec desistens et ad omnia dispositus, tandem voti compos efficitur. Dilectis musis valedicens, prius ad probationem et post annum ad tyrocinium in Novitiatu Missionis Montis Regalis anno 1797 admittitur. Tyrocinio laudabiliter absoluto, per aliquod tempus Taurini studiis operam dedit, eaque in Collegio Piacentino prosequutus feliciter absolvit. Sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus Ordines rite suscepit, divinae gloriae ac suae suique proximi aeternae saluti unice intentus. Sacerdotio insignitus, superiorum iussu, variis moderatoris, praeceptoris et concionatoris muneribus cum laude et fructu perfunctus est. In linguis litterisque latinis, graecis, hebraicis, gallicis et hispanis valde eruditus, scientiarum quoque naturalium, mathesis, geographiae, chimicae, pharmaceuticae, medicinae et musicae studiosus exstitit cultor. Theologicas tamen disciplinas cum iure canonico et sacram Scripturam cum Sanctorum Patrum et doctorum commentariis singulari sedulitate ac pietate excoluit et docuit, tum in cathedra, tum in sacro ministerio, maxime in seminariis, monasteriis aliisque piis institutis. In exteras quoque regiones et apud infideles Christi verbum praedicare eiusque fidem propagare cupiens, licentiam petiit atque obtinuit cum magna sui animi laetitia, licet ad tempus magis opportunum eiusmodi licentiae exsecutio protracta sit. Interim tum Piacentine, tum

Romae, aliud opus eidem demandatum est. Mense enim martio anno 1806, Provinciae Romanae Visitator Felicem De Andreis in Urbem accivit eique concredidit praeter theologiae dogmaticae cathedram in domo Missionis, prope Curiam Innocentianam, varia ministeria praedicationis et confessionis intra et extra domum in cleri et populi utilitatem, praesertim apud collegia, instituta familiasque religiosas, et apud coetum sacerdotum S. Pauli, in quem fuit cooptatus et moderatorum consilio adscriptus. Unde in magnam venit aestimationem tum Cardinalis de Somaglia, in Urbe Vicarii generalis, tum ipsius Summi Pontificis, qui eum episcopali dignitate dignum iudicavit. Quantum vero Dei Famulus, theologiae doctor ac praeceptor datus tam clericis Congregationis Missionis quam alumnis Collegii de Propaganda Fide, itemque optimus concionator, et missionarius, ad fidei morumque integritatem excitandam et servandam Romae adlaboraverit, tum sub hostili dominatione et exsulante Pio VII sa. me., tum restituta Ecclesiae ipsique Summo Pontifici libertate et pace, probatissimi viri ecclesiastici et laici privatis publicisque documentis testati sunt. Vertente anno 1815 Rmus Du Bourg, Novae Aureliae in America septentrionali episcopus renuntiatus, Romam venit, ut debitum honorem et obedientiam Apostolicae Sedi et Romano Pontifici praestaret atque etiam idoneos ac dignos suae dioecesi operarios provideret. In supradicta domo Missionis hospitio exceptus, facile invenit ipsum Sodalitium Missionis in sua dioecesi et nominatim in civitate S. Ludovici utiliter et opportune instituendum. Difficultatibus exortis et, Deo auxiliante, devictis, de amplissima suorum superiorum licentia et Summo Pontifice augusta sua praesentia auspicante et benedicente, Felix De Andreis cum selectis sodalibus profectus est in regiones longinquas, dum episcopus Du Bourg prae gaudio gestiebat de thesauro sibi suaeque dioecesi comparato. In itinere per sex menses substitit et mansit Burdigalae, ubi aliquot munera ab Archiepiscopo dioecesano sibi commissa in carceribus, valetudinariis et apud Vincentianas Puellas Caritatis recte libenterque explevit. Ab ipso episcopo Du Bourg suae Congregationis Visitator recognitus et vicarii generalis dioecesis titulo et officio decoratus, una cum sociis varias Americae septentrionalis regiones laboriosis itineribus sacrisque expeditionibus perlustravit, bonum eftundens semen congruumque colligens fructum. Ipse Dei Famulus scripto retulit se suosque sodales, dum S. Thomae prope *Bardstowon* urbem degerent, sub egregiis viris Dñis Flaget, episcopo, ac David, Missionario, illius missionis tyrocinium egisse in doctrina linguarum, in agnitione regionis, in ministerii exsperimento, in functionum opportunitate et in vita publica et privata sacerdotis missionarii. Illic theologiae tradendae

et ministerii operibus addictus, Felix cum sociis repente ad civitatem S. Ludovici mittitur ibique paroeciam S. Genovefae regendam suscepit. Ad exemplum Divini Pastoris, factus forma gregis ex animo, finem suae missionis, quem ita exprimere solebat: « Evangelizare pauperibus misit me », recta intentione, ardenti studio soiertique opere assequutus est. Quo autem Congregatio Missionis in Americae regionibus, ad normas legesque statutas, stabile domicilium poneret et sese diffunderet, annuente et consentiente praesule Du Bourg, novitiorum collegium in ipsa urbe S. Ludovici die 3 decembris 1817 institutum fuit, sub titulo et praesidio S. Francisci Xaverii. Huic collegio adiectisque scholis praepositus est moderator, rector ac doctor Felix De Andreis; sub cuius disciplina novitii et alumni sapientibus paternisque magistri curis iugiter responderunt. Inito etiam consilio cum eodem Praesule, Dei Famulus beneficia missionis extendere cogitabat ad gentes lingua, natura et moribus barbaras atque sylvestres ; et ad hoc ipsarum linguam vernaculam didicerat, eisque excipiendis et iuvandis totus erat et ad omnia paratus. Verum vir Dei, post tot exantlatos labores viribus debilitatus, horam e vita discessus sibi appropinquare sentit et beatam retributionem, servo bono et fideli promissam a Domino Deo, placida quietaque constantia expectat. Incarnationis et Passionis Domini devotissimus, Deiparae Virginis amantissimus filius, et sanctorum Francisci Xaverii, Francisci Salesii suique patris legiferi Vincentii a Paulo addictissimus discipulus et fidelis imitator, infirma valetudine iam affectus et insanabili morbo correptus in dies ingravescente, extrema Ecclesiae sacramenta piissime suscepit; et posteaquam sodalibus, adstantibus et moerore afflictis, fidei et caritatis suae testimonia et pignora cum paterna benedictione, effuso animo, praebuerit, placide e vita migravit, die 15 octobris anni 1820. Solemnibus exequiis a clero celebratis cum devotione et frequentia populi et optimatum, corpus Servi Dei in Seminarium *Barrens* delatum, prope altare S. Vincentii conf. et Congregationis Missionis Fundatoris honorifice conditum est. Interim fama sanctitatis, quam Felix De Andreis in vita sibi acquisierat, post eius obitum magis inclarescens, causam dedit super ea inquirendi, auctoritate Ordinaria tum Romae tum in ecclesiastica curia S. Ludovici. Utroque Processu informativo confecto et Sacrorum Rituum Congregationi exibito, quum, iuris ordine servato et scriptis eiusdem servi Dei diligenter revisis, nihil obstet quominus ad ulteriora procedi possit ; instante Rmo Dno Raphaele Ricciardelli, Congregationis Missionis postulatore generali, una cum universa Familia Vincentiana, attentisque litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Archiepiscoporum, necnon Praepo-

sitorum Generalium Ordinum seu Congregationum aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, infrascriptus Cardinalis Antonius Vico, Episcopus Portuensis et S. Rufinae, loco et vice Emi ac Rmi Dñi Cardinalis Raphaelis Merry del Val, huius Causae Ponentis, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coactis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem eiusdem Cardinalis Proponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuerunt : *Signandam esse Commissionem introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 24 iulii 1918.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua, Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Felicis De Andreis, sacerdotis et primi superioris Congregationis Missionis in America, die 25 eisdem mense et anno.

)$i **ANTONIUS CARD. VICO**, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. £g S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA ROMANA ROTA

AMBIANEN.

NULLITATIS MATRIMONII (WATRIPON-DETUNCCj).

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae •anno tertio, die 3 ianuarii 1917, RR. PP. DD. Fridericus Cattani-Ama- •dori, Ponens, *Petrus Rossetti et Raphael Ghimenti, Auditores de turno, in causa* Ambianen. - Nullitatis matrimonii *(quae in prima instantia H. S. O. a Summo Pontifice commissa fuit), inter* Leonem Watripon, *•repraesentatum per procuratores Carolum Santucci et Christophorum Astorri, advocatos S. B. Rotae, et Dominam* Isabellam Detuncq, *contumacem; interveniente et disceptante in causa sacri Vinculi Defensore ex officio, sequentem tulerunt sententiam.*

Leo Watripon, Patricii filius, in dioecesi Ambianen. natus est anno 1878. Cum viginti et unum annos haberet, cognovit Isabellam Detuncq, eiusque amore captus, saepe illam invisebat, et dein matrimonii fidem ei spopondit. Interim militiae oneribus satisfecit, et die 19 mensis maii, anno 1902, ipsam, quae tunc 20 annos nata erat, in uxorem duxit. At malo fato! puella enim, duodeviginti post menses ab inito coniugio, maritalem domum dereliquit, et deinceps divortium a civili tribunali petiit obtinuitque. Anno 1910 Leo Watripon ecclesiasticum tribunal dioecesis Ambianensis adivit petens ut dispensationem a Summo Pontifice postularet super matrimonio rato et non consummato. Sed paulo post detecta est fraus actoris circa assertam non-consummationem, ideo causa derelicta est. Duos vero post annos idem novam tribunali dioecesano petitionem exhibuit, ut nullitas eius matrimonii decerneretur, aliud impedimentum adducens, nempe metum gravem reverentialem, sub quo Isabella illud contraxisset. Libellum autem petitionis primo subscripsit quidam monachus Didier, O. S. B. (qui illum nomine ipsius actoris exaravit), deinde ipse Leo Watripon. In fine libelli additamentum

adiungitur, in quo conscriptos haec habet: « P. S. J'oubliais d'ajouter « que Mr Léon Watripon sous l'inspiration de sa mère a laissé croire « à la non-consommation de son mariage, alors qu'il l'était réellement; « Mme Watripon fait remarquer qu'un prêtre lui aurait dit qu'on pou- « vai t bien faire un petit mensonge pour sauver un enfant d'un tel « embarras ».

Curia Ambianensis libellum ad S. Rotam remisit, et actor a Summo Pontifice petiit ut causa in prima instantia a N. S. Tribunali definiretur; quod ipse obtinuit. Cum autem Nostro Turno iudicium commissum sit, Nos, instructione causae peracta, proposito dubio respondere debemus: *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Quod est in facto. - In hac singulari causa, in qua agitur de gravi metu reverentiali a muliere passo in ordine ad matrimonium, hoc evenit quod neque mulier, quae metum passa fuisse dicitur, neque eius parentes, qui dicuntur metum ei incussisse, in iudicio sistere voluerunt. Isabella, primo a iudice instructore citata, ita ei respondit: « En réponse à votre « honorée du 29, j'oserai vous faire remarquer que n'ayant reçu aucune « explication concernant votre convocation pour le 2 septembre, je ne « vois pas l'utilité de me rendre à Amiens ce jour-là, sans en connaître «le motif; mes parents sont dans les mêmes dispositions».

Secundo in iudicium vocata, nullum dedit responsum. Tertio denique iudici instructori S. Rotae haec rescripsit: « En réponse à la convoca- « tion que j'ai reçue de Rome, je prends la liberté de vous exprimer « ma surprise de ce, que le clergé français ait pris en considération la « demande de Mr Watripon en nullité de mariage. Puisque nous sommes « sur le terrain de la religion, permettez-moi de vous dire que c'est lui « qui m'a imposé le divorce, que je n'avais pas demandé ; attendu que « j'ai toujours vu dans mon catéchisme que le mariage est indissoluble « et ne peut être rompu que par la mort. J'avais donc demandé sim- « plement la séparation. En conséquence, s'il y a quelqu'un hors de «l'Eglise, ce n'est pas moi et je protèste avec indignation contre un « acte, que je considère comme contraire à mes principes religieux. « J'ignore les rapports, plus où moins faux, qui ont pu parvenir à l'Evê- « ché d'Amiens, mais en conscience, il n'y a aucun cas valable pour la « dissolution de mon mariage. J'ai toute confiance que la justice du « Souverain Pontife ne laissera pas s'accomplir cette iniquité ».

Haec mulier ab Ambianensi episcopo perhibetur « vana specie ac « fabulosa seu fabulatorum amatrix ». At parochus loci, ubi commoratur, de ea testatur: « Je puis ajouter que sa conduite est irréprochable et

«qu'elle ne manque aucun dès offices de la paroisse. On m'en a fait « le plus bel éloge. J'ai appris également, par mon enquête, que des « confrères ont donné leur signature sur une pièce ayant rapport au « procès en cours. La mienne n'a pas été demandée, et pour cause ». Scripta, quibus alludit parochus ecclesiae *Notre-Dame* loci vulgo Honory, sunt testimonia quaedam ab actore curiae Ambianensi exhibita, quae testes subscripserunt, sed aliena manus exaravit. Subscripti testes sunt: Arturus Brunei, domina Clara Colin, domina Leontina Armand, Nestor Brunei, domina Leocandia Foulon, Desideratus Theodulus Delcourt, domina Maria Sannier nata Watripon, domina lsmenia Watripon vidua Desprez.

Quae omnia testimonia, utpote extraiudicialia seu reddita, spreta forma a iure prescripta nec iureiurando firmata, nullius sunt valoris, et ideo tamquam non exhibita haberi debent. Ad conficiendam circa hanc causam instructionem a Nostro Sacro Tribunali Rev. Curia Rhemensis delegata est, a qua actor simul cum decem testibus rite auditus est. Actoris igitur testimonium prius est expendendum; et quoniam ille antea libellum ad curiam Ambianensem miserat, cui subscripserat simul cum monacho Didier, et alium libellum, a se subscriptum, postea miserat ad curiam Rhemensem, ideo responsiones ab eo iudici instructori redditae, cum supradictis libellis rimandae erunt, ut clarius earum valor patescat. In priori libello actor scripserat: « Le jour même des noces « elle (scilicet Isabella) laissait son mari seul, pour causer, s'amuser et « danser avec un de ses cousins, son véritable amant », etc. In responsione autem iudici instructori rem valde mitigat aiendo: « Le soir des « noces elle a dansé assez souvent avec ce cousin ». In eodem libello actor scripserat: « Cette femme n'eut jamais pour son mari les délica- « tesses et les attentions qu'il est en droit d'attendre d'elle; elle mangeait « seule, ne préparait pas pour le repas de son mari », etc. Iudici vero percunctari respondit: « Après le mariage l'épouse, à certains jours parais- « sait peu attachée à son mari, mais elle n'a pas refusé de prendre ses « repas avec lui ». In praedicto libello etiam narraverat: «N'ayant (lsa- « bella) que 17 ans quand elle se maria (quod falsum est, etenim tem- « pore sui matrimonii Isabella annos viginti habebat, ut ex actis constat), « cette jeune fille était tellement enfant, qu'elle se promenait encore « avec une poupée, quelques jours avant son mariage ». Iudici autem respondens dixerat: « Mlle Isabelle Detuncq au moment du mariage « a paru à Mr Watripon assez réfléchie: l'époux n'a jamais entendu « dire que quelques jours avant le mariage elle jouait encore avec une « poupée ». In libello autem Rhemensi Tribunali misso, actor enarravit,

sponsalium tempore hoc accidisse: «J'ai cependant dû constater plu-
« sieurs fois que lors de mon arrivée la jeune fille se faisait attendre,
« et bien des fois, sa mère a dû aller la chercher et la conduire près
« de moi. Comme je l'aimais beaucoup, la passion m'empêchait d'aperce-
« voir le dédain qu'elle avait pour moi». Dum e contra iudici instru-
ctori testatus est: « Mr Watripon n'avait pas rencontré de la part de
« la jeune fille une grande sympathie. Cependant elle le recevait volon-
<< tiers ». In eodem libello asseruerat: « Pendant mon année de service
« militaire à Amiens, ville très proche de St-Mauvis (45 km. environ) ne
« pouvant pas aller la voir chez elle, je l'ai prié de venir me voir avec ses
« parents, mais elle n'est jamais venue, tandis que ses parents sont venus
« plusieurs fois afin que je n'oublie pas leur fille ». Dum e contra iudici
percunctanti dixit: « Elle venait de temps en temps voir Mr Watripon, qui
« faisait service militaire à Amiens; ses parents sont venus plus souvent.
« Dans ses visites elle paraissait assez contente de recevoir Mr Watri-
« pon ». In praedicto libello etiam edixerat: « IiHmédiatement après le
« service militaire, le mariage a eu lieu le 19 mai 1902, mais dans des
« conditions, qui me firent tout de suite douter de la fidélité et de l'af-
« fection de mon épouse. Elle était très triste en ce jour-là, je voyais
« son mécontentement. En effet le soir même du mariage elle ne voulut
« jamais danser avec moi, tandis qu'elle dansait tout le temps avec son
« cousin, chose que tout le monde a remarqué avec étonnement ». E
contra iudici instructori testatur: « Le père paraissait -aimable pour sa
« fille. Avant le mariage Mr Watripon n'a pas pensé qu'Isabelle Detuncq
« fût forcée par ses parents à le prendre pour époux. Elle a paru con-
« tente dans la cérémonie même du mariage. Mr Watripon, avant le
« mariage, ne savait pas qu'Isabelle Detuncq aimait son cousin Lefèvre.
« Le soir des noces elle a dansé assez souvent avec ce cousin ». Insuper
in eodem libello haec enarravit « que les Detuncq voulaient rélever
« leur fortune avec ce mariage ; la preuve en est que Isabelle un jour
«essaya de s'emparer de mes clefs avec intention de s'emparer de mes
« propres titres. Ce fait prouve que Isabelle non seulement ne voulait
« pas de moi, mais qu'elle n'était pas honnête, parce-que sa conduite,
« dans ce cas, était tout à fait contraire à celle d'une nouvelle épouse ».
In iudicio autem, interrogatus de hac re, respondit: « Mr Watripon ne
« pourrait pas dire qu'on a cherché à ouvrir son coffre-fort ». Demum
in libello narravit : « Elle (Isabella) me dit aussi qu'un jour essayait
« de quitter sa maison, et que son père prit un fusil et lui dit: " Tu
« ne passeras pas la grille „ ». In testimonio vero, coram iudice reddito,
nihil prorsus de hoc dixit, sed tantum: « Mlle Isabelle Detuncq à dit

« à Mr Watripon dans les dix-huit mois du mariage, qu'elle avait été « poussée par ses parents à l'épouser », quin ullimode determinaret, quibus modis parentes Isabellam ad matrimonium impulissent. Post tot tantasque contradictiones, quibus testimonium actoris, cum suis libellis comparatum, scatet, quamnam fidem ei praebere possimus, lucu lëntér apparet.

Testes, qui in iudicio steterunt, decem sunt. Primum interrogatur a iudice dominus Arturus Brunei, qui respondit: « Sait par Mlle De- « tuncq qui Fa dit à Mr et à Mme Brunei, qu'elle espérait se marier « avec son cousin.... Tient de Mlle Detuncq, qui Fa dit en présence de « Mr et Mme Brunei, qu'elle avait été forcée par ses parents d'accepter « ce mariage. Le témoin connaît Mr Detuncq comme un homme très « violent et très original. **11** ne sait rien de plus.... Sait que les époux « Watripon ont passé chez lui la soirée du dimanche; que le mardi « Mr Detuncq est venu chercher sa fille, et que le samedi suivant « Mr Watripon recevait une assignation en divorce. Ce dimanche soir « les époux paraissaient tout à fait d'accord ». Cetera omnia, circa quae interrogatur, refert utpote testis de scientia aliena, seu quia audivit ab aliis, et praesertim a familia Watripon.

Testis Clara Colin de Mauflières nihil scit de scientia propria, praeterquam quod familia Detuncq carebat religiositate.

Testis domina Leontina Armand, nata Watripon, amita actoris, testatur de religiositatis defectu in familia Detuncq et de eiusdem bonorum fortunae inopia, matrimonii tempore. Insuper quod Isabella iam ante nuptias suum adamabat consobrinum, quocum, ipso nuptiarum die, libentissime saltavit: « A constaté que Mme Watripon n'a jamais témoigné « d'affection pour son mari. Quant au reste, le témoin l'a entendu dire... « Après avoir, en cachette, enlevé du linge quelque jours" auparavant, « son père vint la chercher en l'absence du mari, tout en disant pour « quelques jours, et l'emmena chez lui à St-Maulois ». De ceteris, quae a iudice quaeruntur, nihil aliud .refert, nisi quae ab aliis audivit.

Testis domina Patritia Watripon, mater actoris, testatur de irreligiositate familiae Detuncq; asserit quod pater Isabellae de matrimonio egit tantum, ut fortunae bona filiae suae compararet; eiusdem autem mater die postera matrimonii, dixit Leoni Watripon: « Si Isabelle s'est « mariée avec vous, c'est uniquement à cause de votre position, car « elle avait son cousin qui l'aimait beaucoup et qui voulait se marier «avec elle». Iudici autem interroganti respondit: «...que avant le « mariage, Mlle Detuncq ne se montrait pas aimable par Mr Léon Watri- « pon ; elle ne pourrait pas affirmer qu'elle ne voulait pas épouser

« Mr Watripon. Quant aux persécutions et menaces graves, le témoin « ne sait que ce qu'on dit la rumeur publique. Elle sait que Mr Detuncq « est un homme violent.... Le jour du mariage, et non la veille, elle n'a « dansé qu'avec son cousin Lefèvre... après le mariage Mme Watripon « n'a jamais témoigné d'affection à son mari ». Testatur insuper « que « Mme Watripon est allée avec son père à Paris chez son cousin pen- « dant huit jours... que le jour du départ définitif de Mme Watripon, « Mr Léon Watripon s'est aperçu qu'on avait essayé d'ouvrir le coffre- « fort, et qu'il n'y avait pas d'autre personne dans la maison ». Hoc autem ipse actor, ut supra vidimus, iudici denegavit.

Testis domina Leocadia Foulon cunctis quaestionibus, sibi a iudice propositis, nihil aliud respondet, nisi quae ex auditu accepit, quin declaret a quibusnam audivisset: «A remarqué que Mme Léon Watripon « n'était pas complaisante par son mari. Pour le reste le témoin l'a « simplement entendu dire ».

Testis Desiderius Theodulus Delecourt pariter nihil aliud de scientia propria cognoscit nisi quod «Mme Watripon évitait autant que pos- « sible de prendre ses repas avec son mari. Le témoin a vu entrer des « étrangers en l'absence de Mr Watripon, a entendu le piano et des » chants ».

Testis sac. Nestor Brunei, parochus ecclesiae vulgo Senarpont «sait par Mr l'abbé Roussel, ancien curé de Saint-Malines, que la « famille Detuncq n'est pas religieuse. Il le sait aussi par Mr Gauchy, » voisin de la famille Detuncq, à Saint-Maulvis, et par un frère de ce « Mr Gauchy qui habite Senarpont.... Sait par les personnes énumerées «que Mr Detuncq est un homme très violent... Sait que Mme Watri- « pon est partie pendant l'absence de son mari, c'est de notoriété- « publique ».

Maioris ponderis est testimonium Mariae Saunier, sororis ipsius actoris. Haec testatur se scire « que la famille Detuncq n'est pas reli- « gieuse, ne va pas aux offices, ne respecte pas la loi de l'abstinence... que « la famille Detuncq a eu des revers de fortune ». Testatur quoque, quod in vespere diei nuptiarum domina Lefèvre, mater consobrini Isabellae, ei dixit: « Mon fils ne peut s'empêcher de faire danser Isabelle; « heureusement que votre frère n'est pas jaloux ». Insuper ait: « Le « lendemain du mariage le témoin a remarqué que Léon Watripon était « triste, elle lui a demandé ce qu'il avait, et il lui repondu : " Ma -belle- « mère est venue ce matin dans ma chambre et m'a dit: - Si Isabelle^ « s'est mariée avec vous, c'est à cause de votre position, car elle avait « son cousin qu'elle aimait beaucoup et qui voulait se marier avec elle ».

Subiungit, audivisse a publico rumore dominam Detuncq domino Watripon nubere noluisse, et a parentibus ad has nuptias esse coactam ; et prosequitur: «Le témoin a spécialement entendu dire que Mlle Detuncq « voulant quitter la maison paternelle pour se soustraire aux menaces, « son père lui aurait dit, en prenant son fusil: " Si tu sors, tu ne pas- « seras pas la grille „. A vu que, avant le mariage, Mlle Detuncq n'était « pas aimable pour son fiancé.... Témoigne que le soir des noces se « trouvant présente au bal, elle a remarqué que la jeune mariée dédai- « gnait de danser avec son époux et qu'elle a constamment dansé avec « son cousin Lefèvre ».

Testis dominus Aemilius Deblaugy : « A entendu Mlle Detuncq dire, « en présence de son avoué Mr Lambert, qu'elle ne se serait pas mariée « avec Mr Watripon, si elle n'avait été forcée par ses parents et même « battue plusieurs fois par eux. Le témoin a entendu dire que Monsieur « Detuncq est violent..,. A entendu Mme Watripon lui dire dans la salle « des " pas perdus „ du Palais de Justice d'Amiens, lors de la compari- << tion pour l'instance en divorce, qu'elle détestait son mari, qu'il la « dégoûtait, que du reste c'était un marchand de cochons ». Cetera, quae testis refert, ab aliis accepit.

Testis Henricus Cauchy, in ius vocatus, iudici rescripsit se paralysi laborare, et ideo in urbem Rhemensem pergere non posse. Mittit autem suum testimonium in scriptis; quod tamen nulla iurisiurandi fide fulcitur. Hic asserit quod Isabella Watripon, 17 annos nata, nuptias celebravit invita, « par l'insinuation de ses parents et parce qu'elle a été « fort menacée par son père ». Asserit insuper, Isabellam tunc esse omnino insciam de his quae agebat. At contra constat ex actis Isabellam viginti annos habuisse, quum matrimonium contraxit, nec ullus alius testis asserit, illam ignaram fuisse de his quae agebantur.

Demum sequitur testimonium dominae.Desprez de Lignières, amitae actoris, quae testatur « que la famille Detuncq, qu'elle connaît, n'est pas « religieuse.... Sait que le mariage a été recherché par les parents et par la « jeune fille et affirme que c'était pour la fortune.... Que Mlle Detuncq n'ai- « mait pas Mr Watripon, mais qu'elle voulait l'épouser quand-même.... Que « Mlle Detuncq n'a jamais donné de marques d'affection à Mr Watripon « avant son mariage, tout en essayant de l'attirer.... Qu'après le mariage « Mme Watripon n'a jamais témoigné d'affection à Mr Watripon », etc. Cetera quae testatur scivit vel ab ipso actore suo nepote, post matrimonium, ut ipsa declarat, vel ab aliis, quos minime indicat, et nonnulla adiungit, quae a testimonio ipsius actoris falsa deprehenduntur, ut, ex. gr.: quod Isabella, nuptiarum die, tantum cum consobrino sal-

tasset; quod cum coniuge coenare noluisset; quod istius aream aerariam conata esset aperire, ut pecuniam auferret.

De testibus in hac causa a iudice interrogatis, episcopus Ambianen. nullam Nobis dedit notitiam circa idoneitatem probitatemque, eo quod ei noti non sint, excepto tamen sacerdote Leone (forsitan ***Nestore)*** Brunei, cui optimum reddidit testimonium.

Attamen Nos, omnes ut fide dignos habebimus, iuxta iuris effatum : ***nemo praesumitur maius nisi probetur,*** si tamen actorem excipias, qui pluribus mendaciis convictus est. Ea autem quae ex testibus eruuntur, ita colligi possunt: I° quod Isabella suum consobrinum Lefèvre multum adamabat, eique se coniugio unire cupiebat; ***T*** quod illa, sive ante sive post matrimonium, minus benevolum animum erga Leonem Watripon prae se tulit; 3° quod familia Isabellae Detuncq religiositate carebat, eiusque pater erat natura violentus ; 4° quod ipsa Isabella duobus testibus dixit (sed tantum post suum matrimonium, imo testi Aemilio Deblangy post suam separationem a marito) quod, nisi a parentibus coacta fuisset, se Leoni Watripon non nupsisset. Praeter duos dictos testes, nempe Arturum Brunei et Aemilium Deblangy, nonnulli alii asserunt hoc idem se audivisse, quin determinent fontem, unde notitiam hauserunt; 5° quod familia Detuncq in pecuniae penuria versabatur, et ideo matrimonium filiae cum Leone meditata est, ut suam reficeret inopiam, quod tamen evenisse non probatur; 6° demum quod vespere diei nuptiarum Isabella cum suo consobrino Lefèvre frequentius saltaverit. De minis autem vel aliis mediis, quibus usus sit Isabellae pater, ut eam ad matrimonium cum Leone cogeret, nullus testis nominatim aliquid refert, si tantum excipias Mariam Sannier, actoris sororem, quae de minatione cum sclopeto retulit, de qua tamen ipse actor in iudicio omnino siiuit, quamvis in suo libello de illa mentionem fecerit. Sed testis Maria Sannier hoc asserit scivisse tantum ex publico rumore.

Quod est in iure. - In hac igitur causa, in qua metus reverentialis probari deberetur, deest omnino testimonium illius, quae metum passa fuisse dicitur; deest testimonium illius, qui incussisse dicitur vel aliorum ei propinquitate coniunctorum; testimonium autem actoris admitti nequit et ex decem testibus, qui coram iudice stiterunt, nihil determinati erui potest, ex quo probatio, sive directa sive indirecta, metus incussi coniiciatur. At metus matrimonium irritans, praesumi nequit, et ab allegante omnino probandus est (t. ***Cum te non solum*** ff. ***de iis quae vis metusque causa).*** Minae, quas refert actoris soror, Maria Sannier,

nulla testium fide confirmantur; quod autem duo testes ab ipsa Isabella audivisse referunt circa coactionem ab illa passam, tempore nimis suspecto audivere. Uterque enim post matrimonium hoc audivit, alter cum iam inter coniuges Watripon exorta erant dissidia, alter cum Isabella a coniuge iam erat separata, imo in tribunali, ubi de eius divortio agebatur. Sed quamvis tempore non suspecto audivissent, eorum testimonium ad testimonium unius Isabellae reduceretur, quod in causa, quae illam plurimum respicit, fidem facere nequit. Cetera omnia quae in actis satis probata exstant, quaeque supra recoluimus, per se nonnisi aliquod possunt indicium de metu praebere. Etenim quod Isabella suo consobrino se nubere exoptasset, quod illum adamasset, quod cum illo nuptiarum diei vespere frequentius saltasset, quod Leoni Watripon parum demonstrasset amoris, non impediunt quominus illa cum eo voluntarie atque libere matrimonium contrahere potuisset; quod in facto ipsa Patritia Watripon, actoris mater, aperte concedit cum iudici testatur « ne pourrait pas « affirmer qu'elle (Isabella) ne voulait pas épouser Mr Watripon ». Imo actoris amita, domina Desprez de Lignier, hoc evenisse affirmat: « Sait « (elle) que le mariage a été recherché par les parent *et par la jeune « fille* »; quamvis adiungat id illos fecisse, propter fortunam sponsi: « et « aifirme que c'était pour la fortune ». At apprime in matrimonio distinguendus est finis operis a fine operantis. Finis operis ille est, ex quo* tria bona matrimonii exsurgunt: bonum prolis, bonum fidelitatis et bonum Sacramenti. Si in celebratione matrimonii finis operantis ita contrarius sit fini operis ut hic excludatur, tunc revera matrimonium nullum efficitur ex carentia voluntatis in contrahente; sed si finis operantis, seu contrahentis, contrarius non sit fini operis, ita ut hic non excludatur, tunc matrimonii essentia servatur, et, quocumque fine matrimonium contrahatur, validum est (cf. Wernz, *Ius decret.*, tom. IV, n.₀52; Gasparri, *De matrim., n.* 9). Inviolata manente validitate nuptiarum, tantum inter se disputant theologi utrum, si finis operantis, seu coniugum, sit vel pulchritudo, vel voluptas, vel generis nobilitas, vel bonorum copia, etc., aliquod in eo inveniatur peccatum; nec desunt qui hoc idem ab omni culpa excusent, quia nec pulchritudo, nec voluptas, nec generis nobilitas, nec divitiae sunt res malae secundum se, et proinde malum non est eas quaerere in matrimonio, dummodo tamen nec principaliter nec solae quaerantur (Cfr. Pontium, Diana, Sánchez). Inutiliter ergo, ex eo quod familia Detuncq et ipsa Isabella in matrimonio principaliter Leonis divitias quaerebant, conantur patroni demonstrare nullitatem contractus.

Quamvis igitur in capite XIV, *De sponsalibus et matrimonio,* et in capitibus XV et XXVIII, eodem titulo, et in capite « *Significasti* » *d&*

eo qui duxit in matrim., caveatur ne matrimonium sub metu contractum sit, quamvis etiam omnes auctores admittant quod si metus sit: *a)* gravis; *b)* iniustus ex parte personae vim inferentis, sive quoad substantiam, sive saltem quoad modum; c) incussus ab extrinseco per causam liberam; *d)* consultus, idem in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem cum determinata persona, vel cum una eligenda ex compluribus, impediat valorem matrimonii, etsi timor sit reverentialis, seu incussus a persona in cuius potestate nupturiens sit (modo hic quoque sit gravis), tamen cum nihil ex his in casu adfuisse probetur, ideo nullimode metus impedimentum admitti potest.

Quibus omnibus rite diligenterque perpensis, Nos infrascripti Auditores pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, proposito dubio respondentes: *Negative, seu non constare de nullitate matrimonii in casu.* Actorem autem in omnes expensas iudiciales condemnamus.

Mandamus insuper Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam Sacrorum Canonum, praesertim cap. 3, sess. XXV, *de ref.,* Conc. Trid., iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis, esse iudicaverint.

Romae, in sede Trib. S. R. Rotae, die 3 ianuarii 1917,

Fridericus Cattani-Amadori, *Ponens.*
Petrus Rossetti.
Raphael Chimenti.

Ex Cancellaria, S. R. Rotae
Sac. T. Tani, *Notarius.*

COMMISSIO SPECIALIS RE. PP. CARDINALIUM

VERSALIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 29 febr. 1908 B. G. coniugium iniit in facie Ecclesiae cum P.-D., sed consuetudo matrimonialis post breve tempus perturbata fuit. Mulier enim sibi proposuerat non nubere nisi viro qui labe contubernii esset immunis et hoc aperte pluries sponso sub conditione proprie dicta declaraverat, qui vice sua sub fide honoris iterum iterumque afirrmaverat se labe contubernii esse exemptum.

Post quindecim vix dies a contractis nuptiis in itinere nuptiali et pluries deinceps vir patefecit mulieri aliisque se amasiae adhaesisse et adhuc corde adhaerere. Hinc gravia iurgia habita sunt, hinc sententia separationis favore mulieris a tribunali laico lata fuit mense martio anni 1909.

Anno 1910 mulier se sistit coram iudice ecclesiastico, instans ut suum matrimonium nullum declararetur ex capite conditionis appositae et non impletae.

Plures sententiae latae fuere actrici contrariae, quibus illa haud acquievit, sed Ssmum supplicavit et obtinuit ut Commissioni quinque Emorum Patrum novum examen suae causae deferretur. Die 2 augusti currentis anni, adstantibus EE. PP. De Lai, Pompili, Gasparri, Giustini et Lega ad id deputatis, responsum prodiit matrimonium in casu nullum fuisse ex conditione apposita et non impleta.

Certe si **I**° mulier suum matrimonialem consensum subordinava conditioni proprie dictae quod vir labe contubernii in sua anteacta vita fuerit immunis; si 2° haec conditio ante initum matrimonium nec revocata fuit nec alio modo cessavit; si 3° demum anteacta viri vita labe contubernii revera infecta fuit, matrimonium est irritum ex defectu consensus ob appositam et non impletam conditionem; et in hoc omnes uno ore conveniunt. Quamquam enim error qualitatis, etiam dans causam contractui, matrimonium irritum per se non reddit, quia matrimonialem consensum minime excludit, si tamen error cadit in qualitatem, conditione proprie dicta et usque ad matrimonii celebrationem perseverante, requisitam, deficiente qualitate, et consensum eidem subordi-

natum deficere ac proinde matrimonium viribus carere, evidens est. Illae igitur tres quaestiones, potius facti quam iuris, ad examen revocandae sunt, ut exinde constet utrum matrimonium in casu ex hoc capite valeat, necne.

In primis videamus num mulier praestiterit consensum sub ea conditione proprie dicta quod vir labe concubinatus esset immunis.

Conditio proprie dicta tunc habetur quando pars explicito voluntatis actu suum consensum existentiae alicuius qualitatis alligavit, ita ut si qualitas deficiat, etiam consensus, qualitati subordinatus, deficere debeat, iam vero ex actis habetur mulierem ante sponsaiitiam promissionem colloquium cum viro habuisse, in quo eidem suam intentionem ita declaravit: « ... subordonnant mon consentement à l'assurance for-« melle qu'il n'avait eu dans son passé aucune liaison suivie ... à trois «reprises je lui exprimais formellement ma volonté de ne pas épouser « un homme qui aurait eu auparavant une liaison suivie. ... Je désirais « doublement y subordonner mon consentement. ... Je mettais comme « condition absolue de mon Consentement à mon mariage que celui que «j'épouserais n'aurait jamais eu des liaisons suivies..... Ma condition, « quoique n'ayant pas été renouvelée, subsistait cependant toujours aussi « absolue, aussi vivace.... Je n'ai pas renouvelée cette condition trouvant « que l'ayant si nettement formulée, je ne pouvais en dire d'avantage. « Mr D. P. avait du reste si bien compris que j'en faisait une condition *« sine qua non* de mon consentement, qu'il n'osât pas la nier dans « l'interrogatoire ».

Has suae intentionis declarationes se viro fecisse, mulier tempore minime suspecto retulit pluribus testibus fide dignis, ita ut de facto habiti colloquii cum relatis declarationibus nullo modo dubitare liceat. Iamvero has declarationes conditionem proprie dictam continere evidens est; et reipsa testes qui factas declarationes cognoverunt, eas de conditione proprie dicta intellexerunt. Mulier igitur ante sponsaiitiam promissionem non meram, uti fieri solet, peregit de anteacta viri vita inquisitionem, sed talem ut suum consensum explicite subordinatum declaraverit immunitati concubinatus ex parte viri.

Sed non sufficit quod conditio proprie dicta posita fuerit; requiritur insuper ut non fuerit revocata nec alio modo cessaverit ante nuptias.

In primis dici nequit conditionem fuisse a muliere positive revocatane. Nam haec revocatio est factum et facta non praesumuntur sed probantur; atqui revocatio nullatenus probatur, imo ex actis contrarium potius deducitur: « ... ma condition, quoique n'ayant pas été renouvelée, sub-« sistait cependant toujours aussi absolue, aussi vivace.... Je n'ai pas

« renouvelée cette condition trouvant que, l'ayant si nettement formulée, « je ne pouvais en dire d'avantage ». Nec conditionem per se cessasse coniici ex eo licet quod mulier ex falsa viri asseveratione acquisiverit certudinem hunc esse contubernio immunem, Nam mulier conditionem apposuit ante viri asseverationem, ideoque ante acquisitam certitudinem; subsequens autem certitudo nullo modo destruit conditionem antea appositam, sed consensus eidem subordinatus remanet, non obstante subsequenti certitudine, quae esse simul potest cum virtuali voluntate conditionata.

Restat demum ut inquiratur num vir revera concubinariam duxerit vitam ante matrimonium.

Ipse vir, ut supra relatum est, dixit uxori se concubinarias fovisse relationes cum quadam muliere et quidem per duodecim annos, addens: « Quoique vous fassiez dans l'avenir, vous n'effacerez jamais le sOu- « venir de douze années de bonheur que ma petite amie m'a donnée. « Ma mère a la première place dans mon cœur, ma petite amie vient « ensuite et vous après. Je vous serai fidèle à moins que je ne rencon- « tre ma petite amie ». Haec viri verba mulier retulit matri suae, matri sponsi et aliis quos certiores antea fecerat circa colloquium ante nuptias habitum cum sponso et conditionem appositam. Porro si ei fides data est quando ante nuptias suum retulit colloquium cum viro et adiectam consensui conditionem, tribuenda quoque est quando refert viri confessionem, ni quis velit in contradictionem incidere. Haec insuper confirmantur ex confessione facta ab eodem viro testibus indubiae fidei qui de hoc testati sunt. In ipso demum tribunali laico viri patronus concubinatum admisisse ex actis eruitur.

Quare quum mulier, contrahens sponsalia et matrimonium, alligaverit suum consensum conditioni proprie dictae immunitatis concubinatus in P. D.; nihil in actis probet hanc conditionem fuisse revocatam vel cessasse; constet vero ex actis virum amasiae adhaesisse, matrimonium ab Emis Patribus nullum declaratum est.

E. **LUCIDI**, *a Secretis Commissionis.*

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

MONTISREGALEN. IN SUBALPINIS

RECURSUS PRO RESTITUTIONE IN INTEGRUM

DieIovis 27 iunii 1918.

hi ordinario Congressu habito in aedibus Emi ac Rmi D. D. Michaelis S. R. E. Card. Lega, Supremi Tribunalis Praefecti, inter alia ad examen revocatus fuit recursus sac. Iosephi Ajmo adversus sententiam seu decisionem Huius Supremi Tribunalis, latam die 23 martii 1912, in causa Montisi-egalen., Restitutionis in integrum et Iurium, *interpositum ad obtinendam declarationem nullitatis seu circumscriptionem praefatae sententiae, sin minus restitutionem in integrum. Quum autem, omnibus mature perpensis, recursus fundamento boni iuris destitutus appareret, rescriptum est ab Emo Card. Praefecto, ad normam can. 30 Leg. Prop.* « Negative ad utrumque », *addito decreto Ut extenderetur brevis decisio.*

Decisio autem sequentis tenoris est:

1. Per Bullam Episcopalem diei 22 octobris 1894, cui accessit die* 16 iulii insequentis anni recognitio civilis seu regium *placet,* canonicatum « Viotti-Grosso » in ecclesia cathedrali Montisregalen. assequutus est, praevio concursu ad normam tabularum fundationis, sac. Iosephus Ajmo, qui eumdem canonicatum die 7 ianuarii 1900, obtenta paroecia loci Garassone, sponte dimisit. Eodem anno, nempe 1894, quo canonicatus adeptus est, coepit agere cum regio Oeconomatu generali Taurinensi, ut sibimet attribuerentur fructus praebendae atque distributiones, quae ab initio anni 1872 deinceps defluxerant, ac in manibus Regii Oeconomatus cumulata fuerant, quo nempe ingenti temporis spatio, ob defectum civilis recognitionis nominationis antecessoris in canonicatu, sac. Ioannis Lanza, *civiliter* canonicatus idem vacaverat. Fructibus autem praebendae sacerdos Ajmo a limine valedicere coactus est, eo quod Oeconomatus illos sibi iure regaliae arrogans, restituere prorsus abnuit: quo vero ad distributiones, quae, ad normam tabularum fundationis, tres quartas partes cumulatae summae efficiebant, frustra administrativam viam expertus, die 3 iulii 1899 coram laico Tribunali Oeconomatum ipsum vadavit. Quum autem, lite pendente, conventus, allata

art. 14 tabularum dispositione, ubi legitur generalis clausula « a riserva « dei dritti di Sacrestia » nonnulla excepisset circa iura eventualia quae ex parte Capituli obtendi possent, can. Ajmo Capitulum rogavit ut in" causam interveniret, ad capitularia iura insimul tuenda; quod facile obtinuit per actum capitularem diei 6 septembris 1899. Tunc res transactione conclusa est inter Oeconomatum et can. Ajmo, cuius vi ille sese obligavit ad tradendam brevi manu summam lib. 12.000 canonico Ajmo, hic pariter se obstrinxit ad relevandum R. Oeconomatum a quacumque molestia seu praetensione ex parte Capituli. In coetu capitulari diei 23 martii 1900 sac. Ajmo, qui interim, factus parochus loci Carassone, canonicatum dimiserat, post exhibitam hanc transactionem Capitulo declaravit ac sese obligavit de suo repensurum quidquid iuris Capitulum demonstraret in vindicatam summam; qua declaratione fretus Capitulum suum consensum transactioni in scriptis dedit, simulque tres capitulares delegit qui de iuribus ul supra forsan Capitulo spectantibus cum eodem sac. Ajmo agerent.

2. Deinceps acta silent; donec a. 1904 Sacrae Concilii Congregationi exhibita apparet, per tramitem Episcopi Montisregalen., Capituli petitio, ut Sacra Congregatio determinare dignaretur quotam partem de praefata 12.000 libellarum summa Capitulo forsan spectantem, sicque determinatam solvere sacerdotem Ajmo adigeret. Causa de more instructa, eadem Sacra Congregatio in plenario conventu diei 22 augusti 1908 rescripsit: « Dimidiam partem summae 12.000 libellarum tribuendam « esse Sacristiae Cathedralis, eamque solvendam esse a can. Ajmo, « annuis ratis ab Episcopo determinandis ». At sac. Ajmo obtemperare renuit, instantissime postulans ut de re iterum, impetrata in integrum restitutione, in supremo Hoc Tribunali ad tramitem iuris cognosceba-tur. - Sacratissimo Principe benigne adnuente ut quaestio ad Apostolicam Signaturam remitteretur, cum facultatibus necessariis et opportunis ut Ea videret tum super restitutione in integrum, tum super merito causae, res, utraque parte uberrime informante, funditus pertractata est in Plena Signatura die 23 martii 1912, relatore Emo ac Rmo P. D. D. Francisco Cardinali Cassetta, propositisque dubiis: 1) *An sit locus restitutioni in integrum in casu* et quatenus affirmative: 2) *Utrum can. Ajmo ius habeat retinendi summam in casu, an potius teneatur ipsam persolvere Capitulo.* Eminentissimi Patres responderunt: Ad 1) *Negative;* ad 2) *Provisum in primo;* condemnato can. Ajmo in expensis.

3. Adversus hanc sententiam nunc recursus interponitur, ut eadem nulla declaretur et irrita, utpote substantialiter errore facti vitiata. Huiuscemodi vitium substantiale putat recurrens inveniri in eis sen-

tentiae verbis, quibus describitur canonica conditio beneficii Viotti-Grosso, sub antecessore can. Lanza. Cedo verba: «Die 6 ianuarii 1871 « canonicatus vacavit, eumque, facto periculo, obtinuit sacerdos Ioannes « Lanza, *qui in possessionem eiusdem beneficii iuxta leges canonicas rite « immissus fuit.* At quoniam iste canonicatus *extra numerum XII eorum « beneficiorum, quae civilis potestas admittit, exstabat,* Civile Gubernium « sanctionem vulgo " Regio Placet „ *bullae episcopali collationis dene-« gavit.* Quamobrem can. Ioannes Lanza numquam choro interfuit » etc. Contendit porro recurrens hasce tres assertiones veritati non respondere: constat enim ex actis, Can. Lanza numquam ab a. 1872 ad a. 1894 Regium *Placet* postulasse, ideoque nec occasionem quidem fuisse Gubernio illud *denegandi;* adest etiam in actis declaratio ipsius Oeconomi Generalis sic concepta: « Si dichiara constare dagli Atti di questo Eco-« nomato Generale, che il canonicato Viotti Grosso è uno dei canoni-« cati *legalmente conservati* nel Capitolo Cattedrale di Mondovi » ; denique, quod gravius, constat ex actis canonicum Ioannem Lanza ne semel quidem in capitulo Montisregalensi praesentem fuisse, multoque minus capitulariter sui beneficii *possessionem cepisse.* Postremus hic facti error, pergit recurrens, omnimode et substantialiter in dispositionem sententiae influit: enimvero semel admisso canonicum Lanza possessionem cepisse sui beneficii, iam istud vacans dici nequit, nec de iure nec de facto: universasque distributiones in absentia illegitima canonici percipere debuit procul dubio Capitulum quod iure accrescendi fruebatur, sive ex lege communi, ut non vacat recolere, sive ex iure speciali, tum Constitutionum Capitularium, tum tabularum fundationis: ibi, n. 11: « Che ove il Canonico per il tempo provvisto del Canonicato... si renda « assente... per maggior tempo delli mesi due senza alcuna legittima « causa... in questo caso le distribuzioni... cedino e spettino a favore... « dei signori Canonici ». Sed contra, stante quod canonicus nunquam possessionem ceperit, beneficium *vacans,* saltem *de facto,* censeri debuit et debet: idque confirmatur evidentissime praxi Apostolicae Datariae, quae beneficii collationem, etiam a se factam, nisi sequatur canonica possessio, nullo modo considerat, sed illud « vacans *ut prius* » deinde conferre solet. At vero vacantis beneficii distributiones, ex tabulis fundationis in casu, successori reservantur: ibi, art. 14: « Che il Capitolo « abbia il comodo e beneficio del tempo di quattro mesi per fare detta « nomina ogni qualvolta *che il canonicato verrà a vacare, in quai men-« tre li redditi delle distribuzioni cedino a beneficio del canonico nomi-« nando* ». Quamobrem cardo totius controversiae in hoc sistit num canonicus Lanza, antecessor sac. Ajmo, possessionem ceperit, necne:

et quum sententia in hoc erraverit, affirmativam partem amplectens, concludit recurrens, eadem sustantiali vitio irrita declaranda est.

4. Verumtamen obiecta haec gravamina fundamento destituta facile apparent. In primis nullo modo recipiendam esse constat praefati art. 14 interpretationem, utpote iam in praecedenti disceptatione explosam, in qua abunde demonstratum est, quod vel legenti apparet, verba « in « quai mentre », non repraesentare ea quae statim antecedunt « ogni « qualvolta che il canonicato verrà a vacare » (quae verba nullam postea consecutionem requirunt, quum sint ipsa complementum, et necessarium omnino, eorum quae praecedunt « per fare la detta nomina »); sed potius repraesentare quae longius ab initio ponebantur: « il tempo « di quattro mesi ». Quae praecedentium Iudicum interpretatio nullo solido, immo ne novo quidem, argumento impetitur, proindeque probanda est. Igitur etiam dato, non concesso, canonicum Lanza possessionem non cepisse, ac propterea beneficium vacasse, nondum de bono iure successoris ad distributiones, durante vacantia, exceptis primis quatuor mensibus, maturatas constaret.

5. Quod vero attinet immissionem in possessionem, animadvertendum est prostare in actis documentum quo facta illa perhibetur, quamvis non capitulariter. Ait enim eo documento, se subsignans una cum cancellario *canonico* Ramorino Episcopus Montisregalensis: « Teque, A. R. « D. Ioannem Lanza, ibidem, ut supra seu coram Nobis, praesentem « et acceptantem, in veram, realem et actualem possessionem dicti Cano- « nicatus cum ei adnexa praebenda ac adnexorum iurium et pertinen- « tiarum praedictorum, *per bireti nostri capiti tuo impositionem posuimus, « misimus et induximus, ponimusque mittimusque et inducimus, praesen- « tium tenore,* stallum tibi in choro, locum et vocem in capitulo dictae « Ecclesiae Nostrae Cathedralis... cum plenitudine iuris canonici assi- « gnando... In quorum omnium fidem et singulorum testimonium has « Nostras manu propria firmatas et in vim publici instrumenti redacta « per Cancellarium Nostrum infrascriptum fieri ac subscribi et sigillo « Nostro communiri iussimus. Datum etc.... praesentibus ibidem Illmo « iosepho Martini, *canonico* Ecclesiae Cathedralis, et . . . testibus ad « praemissa omnia adstantibus, vocatis atque rogatis ».

6. Iamvero, ut Doctores unanimi ore tradunt, innixi celebri cap. *Si Capitulo* de concess. praeb., 1. III, tit. VII in 6°, quamquam verum sit, possessionem capiendam esse capitulariter, aliterque factam non valere, excipiendus est casus in quo Capitulum ipsum praestet impedimentum, ne capiatur. Sic praeclarus De Luca: « E regola che si deve pigliare « il possesso capitolarmente, e che altrimenti non suffraga, ogni qual-

« volta che non nasca il mancamento dello stesso Capitolo, il quale « legittimamente interpellato a doversi congregare, ricusi di farlo, ovvero « che artificiosamente lo sfugga, mentre *in tal caso la regola è certa « che basta di prenderlo, come si può, anche non capitolarmente » (Il Dottore volgare,* vol. III, lib. 12, c. 20, n. 2); Barbosa: « Tribus aliis modis « limitatur haec resolutio et 1) stante consuetudine non capiendi pos- « sessio capitulariter; 2) quando capitulum, nulla urgente ratione, dene- « gavit tradere possessionem, *quia tunc non capitulariter facta habetur « ac si capitulariter facta fuisset;* Beltram, *ad Greg. XV,* decis. 364, n. 7 « vers, "verum praeallegata conclusio,,.... Et semper existente aliquo « impedimento propter quod possessio capitulariter adipisci nequeat, « *sufficit si aliter acquiratur...* ut aliis decisionibus relatis fuit decisum « in *Nullius Praeposit. Castri Dur antis,* coram b. m. Rambaldo 4 iul. 1623: « " Et quod in ecclesiasticis, *possessio habetur pro tradita* ubi fuerit prae- « stitum impedimentum ex recursu ad iudices laicos,, » (De *Can. et dign.,* c. XV, n. 10 ss). Monacelli: « Possessio canonica, quomodocumque capta, « *etiam non capitulariter, est manutenibilis,* quando Capitulum posses- « siönem capi denegat vel impedit sine iuxta causa » *(Formul.,* p. III, tit. 3 ad form. 10, adn. 4. Cfr. Bouix, *De Capit.,* P. I, sect. IV, cap. X p. 188); quam doctrinam ultro complectitur et ampliat Codex Iuris Canonici, can. 1442 ubi statuit, in casu impedimenti, dispensationem ab Episcopo in scriptis obtentam, stare loco ipsius possessionis.

Hanc autem possessionem, etiam non capitulariter, potuisse tradere *ipsum* Episcopum, minime videtur ambigendum : « Generatim enim qui « beneficium conferendi, is etiam possessionis tradendae ius habet » (Devoti, *Inst. Can.* 1. H, tit. 14, lect. V, § 36); quin imo in litteris colla- tionis mandatum Episcopi de immittendo in possessionem, canonicis dirigi solet hisce vervis « Quocirca *N. N. committimus plenarie, vicesque « nostras in Dno delegamus,* quatenus Te in eiusdem Ecclesiae cano- ne nicum et in fratrem recipiant, stallum in choro tibi assignent, etc. ». Cfr. quoque form. rei. a Monacellio 1. c: « et in realem etc. possessio- « nem *auctoritate nostra* per R. D. Archidiaconum *cui nostras vices com- « mittimus* immitti mandamus ». Atqui non est dubium posse quempiam facere *per seipsum* quod potest facere per alium.

7. Igitur, ut in casu nostro constet de plena, canonica, et manute- nibili possessione capta a Can. Lanza, superest tantummodo evincere ex actis impedimentum quominus capitulariter ipse possessionem ceperit, praestitum seu oppositum fuisse ab eodem Capitulo. Sed huiusce rei irrecusabile argumentum ipse recurrens in novis exhibitis documentis suppeditavit, actis allegando rescriptum S. C. Concilii diei 2 maii 1874

(dum Lanza possessionem cepit 20 iun. 1871) quo decernebatur « attentis « peculiaribus rerum adiunctis, praevia dispensatione ab assuetis possessionis formis, susceptionem in Choro, praesenti maiore - Canoni- « eorum numero, habendam esse loco et vice formalis possessionis pro « omni iuris effectu », dummodo de eadem in actis saltem secretis constaret; in precibus enim huic rescripto praeviis haec leguntur: « Il « Vescovo di Mondovì espone, che quattro ecclesiastici, in varii tempi «dopo l'incameramento dei beni delia Chiesa (15 augusti 1867) sotio « stati investiti *con tutte le forme volute dai ss. canoni,* di quattro pre- « bende appartenenti alla massa della cattedrale. I medesimi però *non « poterono ottenere* (dal Capitolo) *il possesso dei rispettivi canonicati, « perchè questo fatto si sarebbe considerato come violazione della legge, e « i canonici che avessero dato il possesso, sarebbero incorsi in una pena- « lita, perche i nuovi prebendati non avevano ottenuto U H. Placet ».* Quae omnia facile complentur ex publicis documentis: notissima siquidem est, legis 15 aug. 1867, n. 3848 « per la liquidazione dell'asse « ecclesiastico » art. 6 dispositio: « I canonicati delle chiese cattedrali « non saranno provvisti oltre il numero di 12 » itemque art. 8, leg. 11 aug. 1870, n. 5784, alleg. P. « che devono ritenersi soppressi nelle «chiese cattedrali i canonicati che eccedono il numero di 12»; sed insuper attendenda, dispositio art. 270 cod. poen. sard. a. 1859, tunc temporis adhuc vigentis: « Qualunque contravvenzione alle regole vigenti « sopra la necessità dell'assenso del Governo per la pubblicazione *od « esecuzione* di provvedimenti relativi alla religione... sarà punita, secondo « i casi, col carcere estensibile a sei mesi, o con multa estensibile a « L. 500 ».

8. Ex quibus simul collatis evidentissimum fit, tunc temporis, ab anno videlicet 1867 ad an. 1874, Capitulum Montisregalense prorsus detrectasse, metu praefatarum poenarum, possessionem capitulariter tradere noviter institutis donec praeterea 12 adhuc Canonici exstarent; in quem casum non est dubium incidisse provisionem quoque factam in personam Canonici Lanza. Nec etiam est dubium, impedimentum illud, quamquam *indirecte* seu mediate ab alio, nempe a Gubernio laicali qui eam legem, tulit, praestitum fuisse, tamen illud Capitulum suum fecisse, et immediate, directe, reapse ipsum Capitulum illud praestitisse seu opposuisse. Ergo vere hic in casu sumus possessionis quae a capitulari susceptione excusatur, et alio quocumque modo suscepta, valet. Nihil itaque reprehendendum est in impetita sententia, quum haec asserit « canonicus Lanza in possessionem eiusdem beneficii, iuxta leges « canonicas, *rite* immissus fuit »; non solum enim quae iuxta normam,

sed etiam quae iuxta exceptionem a lege permissam, iuxta legem seu *rite* fieri dicenda sunt. Posita autem hac possessionis susceptione, ut fatetur recurrens,- irrecusabilis est sententiae ipsius sancita dispositio. Quamobrem supervacaneum videtur quod ultra opponitur,errare nimirum sententiam, dum canonicatum isium extra numerum duodenarium civiliter recognitorum asserit fuisse; nec ideo timeri a Lanza potuisse Regium Placet umquam sibi denegatum iri. id quidem est verbis colludere. Stante enim legis vetito « che non si provvedano canonicati oltre i 12 » stante quod a. 1872, quum Lanza institutus est, iam 18 canonicatus provisi erant, manifestum est canonicatum illum « *illud extra duodenarium « numerum mansisse* », donec eius possessor in hunc numerum introire valuerit et voluerit: quod non obstat quominus, nunc, post ingressum in duodenarium numerum, ab a. 1895 illud beneficium sit, prout declaravit anno 1911 Oeconomus Regius, « uno dei canonicati legalmente «conservati»; manifestum quoque est, eum qui talem canonicatum ante a. 1895 possidebat, numquam sperare potuisse sibi recognitionem regiam concessam iri, quod satis est ne substantialiter errare dicenda sit sententia, dum habet « Civile Gubernium sanctionem bullae episco- « pali collationis denegavit ».

9. Quum igitur omnia et singula recurrentis gravamina, diligenti examine perpensa, boni iuris fundamento destituta apparerent, quumque signanter non demonstraretur ex his defectus competentiae, aut defectus mandati, quod exigebatur ut ad normam art. 4 Regularum N. O., coli. cum can. 1892 C. f. C. sententia nulla declararetur, nec etiam de manifesta constaret iustitia rei iudicatae ad normam can. 1905 C. I. C. ut novum causae examen, praevia restitutione in integrum, concedi posset, hinc negativa responsione recursus in utraque parte reiicendus erat prorsusque reiectus fuit.

Atque ita edictum est, etc. non solum, etc., sed et omni, etc.

Datum Romae, in Sede Supremi Tribunalis, hac ipsa die Iovis 27 iunii 1918.

Ubaldus Mannucci, *Signaturae Votans.*

L. © S.

VISA

Evaristus Lucidi, *S. A. S. T. a Secretis.*

Aloisius Scialdoni, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 13 agosto 1918, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Vincenzo Vannutelli, Ponente della Causa di Beatificazione ossia dichiarazione del martirio dei Venerabili Servi di Dio Mattia Marumba, Carlo Luanga e Soci, di « Uganda » nel Vicariato Apostolico di Nianza Settentrionale dell'Africa centrale, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria;* nella quale dai Rmi Prelati e dai Consultori Teologi si è discusso il dubbio sopra il martirio e la causa del martirio, segni o miracoli dei suddetti Venerabili, uccisi, come si asserisce, in odio alla fede.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

3 agosto 1918. **L'Emo signor cardinale Donato Sbarretti,** *Protettore delle Suore Agostiniane Serve di Gesù e Maria.*

6 » » **L'Emo signor cardinale Gaetano De Lai,** *Protettore della Chiesa Collegiata dei Ss. Paolino e Donato in Lucca.*

17 » » **L'Emo signor cardinale Raffaele Merry del Val,** *Protettore della Congregazione delle Suore della Carità di S. Carlo di Nancy.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Protonotari Apostolici **ad instar participantium:**

18 aprile 1918. **Mons. Pietro E. Blessing, della diocesi di Providence.**

24 luglio » **Mons. Luigi Testi, della diocesi di Sarsina.**

22 agosto » **Mons. Raffaele Canale Oberti, della diocesi di Santa Fé.**

Prelati Domestici di S. S.:

18 aprile 1918. **Mons. Carlo C. Duray, della diocesi di Providence.**
24 » >> **Mons. Alfonso Arrigoni, della diocesi di Sarsina.**
30 » » **Mons. Domenico Ruffinatto, dell'archidiocesi di Torino.**
9 agosto » **Mons. Francesco Todisco, della diocesi di Bisceglie.**
16 » » **Mons. Aniceto Ferrazza, della diocesi dei Marsi.**
21 » » **Mons. Clemente Micara, Uditore della Nunziatura apostolica di Vienna.**

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda dell'Ordine Piano:

27 agosto 1918. **Al sig. conte Francesco Bezzi Scali, cadetto aiutante delle Guardie Nobili Pontificie.**
» » » **Al sig. conte Filippo Aluffi Pentini, cadetto delle Guardie Nobili Pontificie.**
•» » » **Al sig. Stanislao dei conti De Witten, cadetto delle Guardie Nobili Pontificie.**
» » » **Al sig. conte Filippo Sarazani, cadetto delle Guardie Nobili Pontificie.**
» » » **Al sig. comm. Pietro Mencacci, cadetto delle Guardie Nobili Pontificie. .**
» » » **Al sig. Enrico dei conti Paolini, cadetto delle Guardie Nobili Pontificie.**

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

7 agosto 1918. **Al sig. dott. Pietro Giuseppe De Rada y Gamio, segretario della Legazione dei Perù presso la Santa Sede.**

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

agosto 1918. **Al sig. cav. Domenico Mordaccbihi, della diocesi di Sutri.**
» » **Al sig. cav. Vincenzo Cavalletti, di Roma.**

H Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

30 luglio 1918. **Al sig. rag. Umberto Gazzetti, dell'archidiocesi di Bologna.**
7 agosto » **Al sig. avv. Adolfo Negretti, segretario generale della «Niccolò Tommaseo».**
19 » » **Al sig. Antonio Guglielmo van Thiel, della diocesi di Bois-le-Duc.**

il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

29 luglio 1918. **Al sig. dott. Pietro Giovanni Kintz, della diocesi di Harlem.**
8 agosto » **Al sig. Nicola Pabeff, dell'archidiocesi di Scopia.**
» » » **Al sig. Paolo Medici, di Roma.**

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rina Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S. :

6 agosto 1918. **Mons. Alfredo Sperling, dell'archidiocesi di Birmingham.**
23 » » **Mons. Polydoro Justino Stockman, della diocesi di Monte-rey-Los-Angeles.**
» » » **Mons. Patrizio J. Fisher, della medesima diocesi.**

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

12 agosto 1918. **Mons. Giorgio Dorangrichi, della diocesi di Monreale.**
23 » » **Mons. Giuseppe Neri, di Roma.**

Cameriere d'onore di Spada e Cappa soprannumerario di S. S. :

6 agosto 1918. **Il sig. Raimondo de Leonarte, dell'archidiocesi di Valenza.**

Annus X - Vol. X 1 Octobris 1918 Num. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

APOSTOLICAE SUB PLUMBO LITTERAE

DE ERECTIONE CONCATHEDRALI RECIFENSIS IN BRASILIA.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum urbs *Recife* in Brasilia tum incolarum numero rerumque commerciis, tum politica auctoritate, qua civilis gubernii de Pernambuco suprema sedes, in eo Statu et in Olindensi archidioecesi sit facile princeps, et his de causis a multo iam tempore venerabiles fratres Archiepiscopi Olindenses opportunum ac necessarium duxerint in ea urbe, quae de caetero Olindensi civitati proxime adiacet, suum constituere domicilium, ibique quoque maxima canonicorum pars inhabitet: visum est expedire ut haec rerum conditio, quae de facto viget, canonica aliqua provisione sanciatur rataque habeatur.

Quapropter, votis adhaerentes venerabilis fratris Sebastiani Lerne a Silveira Cintra, hodierni Archiepiscopi Olindensis, quibus accessit suffragium venerabilis etiam fratris Apostolici Nuntii in Brasilia, de consulto Sacrae Congregationis Consistorialis, Nos statuimus et decernimus ecclesiam S. Petri in Recifensi civitate ad Concathedralis honorem et dignitatem evehere, ita nempe ut Archiepiscopus Olindensis valeat sacras pontificales functiones ibidem pro opportunitate peragere

aeque ac in Metropolitana Ecclesia Olindensi, et ibidem quoque residere una cum canonicis Olindensibus, qui in Concathedrali S. Petri, sicut in veteri Metropolitana Ecclesia Olindensi, pro temporum opportunitate, convenire et sacras functiones, iuxta modum de hodierni archiepiscopi consensu determinandum, peragere poterunt et debebunt.

Archidioecesis autem in posterum nomen assumet Olindensis et Recifensis.

Quae etiam hisce litteris, apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, suppleto quorum intersit, vel sua interesse praesumant, consensu, nulli hominum, ullo unquam tempore, infringere, aut iis repugnare vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Ad haec autem omnia exsequenda deputamus venerabilem fratrem Hyacinthum Angelum Scapardini, archiepiscopum titularem Damascenum et in Brasiliana Republica Apostolicum Nuntium, eique tribuimus necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, imprimis ipsum Olindensem Archiepiscopum, simulque definitive pronuntiandi super quavis difficultate vel oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, cum onere ad Sacram Congregationem Consistorialem intra sex menses, fidem, authentica forma exaratam, absolutae exsecutionis huius Nostri mandati transmittendi, ut in eiusdem S. Congregationis archivo asservetur.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras contrariis quibuslibet, etiam peculiari et expressa mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo decimo octavo, die vigesima sexta mensis iulii, Pontificatus Nostri anno quarto.

O. CARD. CAGIANO	C. CARD. DE LAI
S. R. E. Cancellarius.	*S. C. Consistorialis Secretarius.*

Ludo^icus Schüller, *Protonotarius Apostolicus.*
Leopoldus Capitani, *Subst. Reg. ex spec. deleg.*

Loco ✠ Plumbi.
Reg. in Canc. Ap., vol. XVII, n. 18.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

RESTITUTIO IN ABBATIAM SUI IURIS ABBATIAE OTTENBURANAE ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat apprime perantiquum monasterium Ottenburanum, vulgo Ottobeuren, ad Ss. Alexandri et Theodori martyrum, Ordinis S. Benedicti, intra limites positum dioecesis Augustanae in provincia Suebia hodierni regni Bavarici in Germania, fundatum fuisse anno reparatae salutis DCCLXIV. Compertum quidem est, hoc coenobium plusquam mille personas religionis cultu, animarum studio, scientiarum copia, bonarum artium ornamento, iuvenum institutione ac disciplinae vigore floruisse ; illique, nunquam intermissa serie, quinque super quinquaginta Abbates praefuisse, qui ut veri monasticae familiae sponsi ac patres, etiam gravissimis reipublicae et Ecclesiae temporibus, fidem catholicam et legiferi Benedicti Patris spiritum integre servarunt. Postquam vero teterrima gliscente tempestate, anno MDCCCII etiam monasterium Ottemburanum a civili gubernio suppressum et Bavariae regno addictum fuit, non ignoramus, annuente episcopo Augustano, monachos illos, non obstante temporum angustia, eadem in domo religiosa in vita monastica perseverasse. Et sane ad annum usque MDCCCVII illos rexit eorum abbas Paulus Ait, qui ante suppressionem monasterio enunciato praefuerat, eoque vita functo, praefectus eis fuit a Vicariatu Generali episcopi Augustam pater Maurus Tyerabeud, quo mortuo die VII martii anno MDCCCXVIII in monasterii regimen pater Willibaldus Staader successit. Quum vero idem anno MDCCCXXXI universae carnis viam regressus est, unus in vetusto monasterio Pater Basilius Miller mansit superstes ad felicem usque novi monachorum coetus adventum, qui evenit anno MDCCCXXXV. Interea enim anno MDCCCXXXI v munificentissimus Bavariae rex Ludovicus I, ex inito cum hac S. Sede Apostolica concordatu anno MDCCCCVII, restitutis in Bavaria Ordinis S. Benedicti monachis, in civitate Augustana ad S. Stephani monasterium, nec non antiqui Ottenburani monasterii aedes adsignaverat. Auctore simul eodem Ludovico rege et instante Ignatio Alberto de Riegg, episcopo Augustano, Gregorius PP. XVI rec. me. Praedecessor Noster, Apostolicis Litteris die xix mensis maii

anno MDGCGXXXV datis, dictum coenobium ad S. Stepnani Augustae Vindelicorum in monasterium Ordinis S. Benedicti erexit, eique praefecit in Abbatem Barnabam Stuber, iam in Ottenburano monachum. Praeterea ipse Praedecessor Noster dicto Abbati ad S. Stephani eiusque in munere successoribus perpetuum in modum concessit atque indulsit, ut pontificalibus insignibus uti aliisque omnibus iuribus, privilegiis atque indultis libere ac licite frui possent ac valerent, quibus Abbates monasterii Ottenburani legitime uti ac frui poterant. Cum autem in praefatis Apostolicis Litteris nulla alia mentio facta fuisset antiqui monasterii Ottenburani, illud ad hodiernos usque dies Prioratus simplex mansit, in quo in praesentia degunt quinque sacerdotes et sexdecim fratres conversi, omnes professi monasterii Augustini ad S. Stephani, quibus praeest Prior claustralis ab Abbate Augustano omnino dependens. Relatum vero est ad Nos his temporibus, ex auspicato adiuncta verum ita in melius esse, mutata ut nihil obstare videatur, quin vetus Ottenburanum monasterium tamquam in sui iuris monasterium iterum instauretur. Etenim ecclesia Ottenburana, quae inter celebérrimas atque amplissimas totius Germaniae merito numeratur, non minus quam antiquum ingentis molis monasterium ecclesiae continens, adhuc immota manent ac minime fatiscunt: et licet aedes ipsae civilis gubernii regni Bavarici sint propriae, nihilominus idem Bavariae rex Ludovicus 1 tum ecclesiae, cum monasterii usum liberum Monachis Benedictinis in perpetuum concessit. Insuper pro monastica familia convenienter alenda congrua dotatio praeebat, tum e fundis, tum e patrimonialibus summis earumque redditibus percipienda. Sperandum quidem est, fore ut complures e religiosis viris, iam dicto in monasterio degentibus, stabilem in ipso sedem ponant, nec non ut frequens tyronum numerus, e vicinis provinciis ardore fidei praecellentibus, ad idem monasterium, postquam denuo canonice erectum fuerit, properent. Accedit ad haec quod universum Abbatiale S. Stephani Capitulum nec non dilectus filius Schaeftlariensis abbas Sigibertus Liebert, Congregationis Benedictinae Bavaricae Praeses, una cum ceteris ipsius Congregationis Praesulibus, item venerabilis frater Maximilianus de Lingg, episcopus Augustanus, immo et ipse dilectissimus in Christo filius Noster Ludovicus III Bavarorum rex inclytus, salutari proposito monasterii Ottenburani instaurandi summopere faveant et plaudant. Horum vota, supremo lumine implorato, Nobis exhibenda nuper curavit dilectus filius hodiernus Abbas Monasterii ad S. Stephani Augustae Vindelicorum Ordinis S. Benedicti; Nosque, quibus nihil potius est quam ut vetusta et gloriosa monumenta catholicae religionis ad pristinum decus revocentur, optatis his annuendum ultro liben-

terque existimavimus. Quapropter, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi praepositis pro Regularium negotiis pertractandis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, haec quae infrascripta sunt statuimus. - I. Ottenburanam Abbatiam cum omnibus iuribus ac privilegiis olim ipsi concessis restituimus, eamque tamquam sui iuris Abbatiam cum proprio tyrocinio Congregationi Benedictinae Bavaricae unimus, nec non privilegiorum et favorum dictae Congregationi coneessorum participem facimus, salvis in omnibus iuribus, privilegiis atque indultis quae per Literas Apostolicas die XIX mensis maii anno MDCCCXXXV datas, perpetuum in modum Abbatibus ad S. Stephani concessa sunt. - II. Plenam Ottenburanae Abbatiae sic per nos restitutae administrationem una cum nominatione Prioris claustralis, ceterisque iuribus quae ad Abbatiae regimen spectent, committimus hodierno Abbati Monasterii ad S. Stephani Augustae Vindelicorum Ordinis S. Benedicti, eiusque legitimis in memorati S. Stephani Abbatia successoribus, tamquam Administratoribus Apostolicis, usque dum religiosa familia Abbatiae Ottenburanae tanta, Deo favente, incrementa susceperit, ut proprius Abbas eidem institutae Abbatiae praefici possit. - III. Abbatia Ottenburana, per illud temporis spatium quo ab Abbate S. Stephani administrabitur, ad Capitulum Generale Congregationis Benedictinae Bavaricae mittere teneatur cum pleno suffragii iure, praeter deputatum a conventualibus eligendum, alterum monachum a supradicto Abbate nominandum. Etenim cum, iuxta Benedictinae Congregationis tabulas, consultum sit ut ad Capitulum, praeter deputatum conventus, Superior vocetur uniuscuiusque monasterii sui iuris, quum Abbas S. Stephani propriae Abbatiae partes in Capitulo agat, expedit ut alius religiosus vir, Superioris monasterii Ottenburani partes gerat, Capituloque intersit ibique ferat votum. - IV. Abbati Praesidi Congregationis Benedictinae Bavaricae, ipsoque impedito illi qui iuxta Congregationis statuta vices ipsius gerit, committimus installationem Abbatis S. Stephani, tamquam Administratoris Apostolici, in Abbatia Ottenburana: et volumus pariter, ut ipse Abbas administrator, quando primum opportunum tempus advenisse, omniaque a sacris canonibus praescripta adesse iudicaverit, ab administratione se abdicet et primum Abbatem Ottenburanum, audito Conventus voto et rebus cum Regio gubernio apte compositis, nominet, nominatumque Sanctae huic Apostolicae Sedi rite confirmandum praesentet. - V. Concedimus denique Abbati S. Stephani, ut quos idoneos iudicaverit ex monachis et conversis propriae Abbatiae Augustanae, sive nunc Augustae Vindelicorum, sive iam in Ottenburano monasterio degant, Abbatiae sic restitutae adsignet, ita

tamen ut, elapso a restitutione Abbatiae Ottenburanae quinquennio, liberum ipsis sit aut stabilem in Ottenburana supradicta Abbatia sedem firmare, aut ad propriam Abbatiam Augustanam, si malint, redire. Haec statuimus, praecipimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, dictaeque Ottenburanae Abbatiae sic per Nos restitutae nunc et in posterum plenissime suffragari: sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque omnibus speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ii iulii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI**, *a Secretis Status.*

n.

RESTITUTIO IN ABBATIAM MONASTERII CIRICIENSIS ORDINIS CISTERCIENSIUM IN TARNOVIENSI DIOECESI.

BENEDICTUS PP. XV

Ad futuram rei memoriam. — Constat sane monasterium Ciriciense loci vulgo *Szezyiziic* Ordinis Cisterciensis in dioecesi Tarnoviensi, iam inde ab anno fundationis, nempe **MCCXXXXIV** fuisse Abbatiam: eique ad annum usque **MDCCXXXIV**, non intermissa per saecula serie, Abbates praefuisse. Illo quidem anno, ereptis per nefas publicatisque Abbatiae bonis, deturbati a pristina sede, in aliam Ordinis Abbatiam secesserunt monachi, donec anno **MDCCCLXV**, parte bonorum redempta feliciter, ad vetus Ciriciense monasterium denuo religiosi viri convolarunt. Ex eo tempore usque in praesens conventum illum Priores Regentes moderati sunt: nunc vero cum dilectus filius Theodorus Magiera, *Prior* Regens, suo et alumnorum omnium nomine, enixas Nobis preces humiliter adhibuerit, ut eidem Ciriciensi monasterio Abbatiae titulus per Nos restituatur; Nos, probe noscentes res communitatis illius adeo convaluisse, ut peropportunum videatur consilium diuturnis atque iteratis

eiusdem religiosae familiae votis obsecundare, haec, quae infrascripta sunt, decernenda existimavimus. Nimirum, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi praepositis pro Religiosorum Sodalium negotiis pertractandis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, monasterio Ciriciensi Ordinis Cisterciensis in dioecesi Tarnoviensi, quem semper, uti memoravimus, habuit, Abbatiae titulum restituimus, ita ut ad canonicam electionem Abbatis, iuxta statuta Ordinis, procedi valeat. Decernentes praesentes Litteras firmas,* validas atque efficaces semper exstare et permanere, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, eidemque monasterio sic in Abbatiam per Nos restituto nunc et in posterum plene suffragari: sicque rite iudicandum esse ac definiendum: irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque omnibus in- contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi iulii **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

III

PLENARIAE IN PERPETUUM INDULGENTIAE CONCEDUNTUR UBIQUE TERRARUM SODALIBUS DOMINI INFANTIS IESU SUB TITULO PRAGENSIS.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Benigne annuentes oblatis Nobis precibus a Procuratore Generali Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, collatisque consiliis cum dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Maiore Poenitentiario, de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et in posterum existentibus sodalibus Domini Infantis Iesu sub titulo Pragensis, ubique terrarum, qui die quo festum sodalitatis celebratur, quotannis, admissorum sacramentali confessione expiati et coelestibus epulis refecti, propriam, si exstet, sodalitii ecclesiam, secus quodvis publicum templum sive sacellum, a medietate praecedentis diei ad mediam usque noctem festivitatis eiusdem, devote visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione

ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse, misericorditer in Domino concedimus et largimur. Commoditati autem sodalium eorundem benigne prospicientes, cum pluribus in locis exercitium menstruum sodalitatis proprium non die vicesimo quinto mensis, sed alio, locum habeat, largimur, ut ipsa die sodale»!, qui illo exercitio adsistunt, indulgentias quo die vicesimo quinto concessas lucrari licite queant, dummodo quae iniuncta sunt pietatis opera in Domino rite peregerint. Insuper facultatem facimus, concessionem hanc Nostram in sodalitatis summario, dummodo idem iam sit rite adprobatum, inserendi. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXII iulii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRT**, *a Secretis Status.*

IV

ECCLESIA B. M. VIRGINIS IN COELUM ASSUMPTAE CIVITATIS RAVELLO, IN ARCHIDIOECESI AMALPHITANA, ERIGITUR IN BASILICAM MINOREM CUM ADNEXÍS TITULO PRIVILEGIIS.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Illustri in civitate cui nomen *Ramilo* Amalphitanae archidioecesis intra limites, vetustate non minus quam ornatu et amplitudine conspicua eminet ecclesia, quae olim cathedralis fuit, Deo in honorem Deiparae Virginis in coelum assumptae dicata atque consecrata. Eximiis ac variis artis operibus praestans, duplici decoratur ambone lapideo ac vermiculato pro Epistolae et Evangelio decantandis, iuxta antiquam consuetudinem in nonnullis Ecclesiis adhuc vigentem ; ianuis quoque aeneis anno MCLXXXX extructis, plerisque emblematibus, figuris atque imaginibus per manus insignium artificum sive sculptis, sive pictis exornata renidet. Cathedra episcopali anno MLXXXVII a beato Victore III fundata ibidem est et apostolicae Sedi immediate subiecta,

eaque permansit ad annum usque **MDCCCXVIII**, atque altaris principis basilicae formam re ferentis, pretiosa fragmenta adhuc supersunt. Plures sanctorum et quidem insignes reliquiae eadem in ecclesia religiose asservantur, quas inter os ex brachio S. Thomae apostoli, dentes S. Matthaei apostoli et evangelistae, caput S. Barbarae virginis et martyris, necnon sanguis incorruptus et in ampulla inclusus S. Pantaleonis martyris, civitatis patroni, qui singulis annis, non sine admiratione ac devotione christiani populi turmatim confluentis, prodigiose liquescere et fluere conspicitur. Tandem huius ecclesiae iam cathedralis ad instar monumenti publici recognitae, capitulum, licet post suppressionem aedis episcopalis omniumque capitularium reddituum, ecclesiasticis officiis sacrisque functionibus perfungi nunquam destitit, atque in praesens haec omnia per novem canonicos aliosque de clero cum sacra supellectile congrua etiam nobili ad cultum et decorem domus Dei provehendum rite ac devote adimplentur. Nunc vero enunciatum Capitulum ceterasque clerus, simulque ordo municipalis et civitatis *Eavello* universus populus humillimis Nos precibus efflagitarunt, ut supradictam ecclesiam B. Mariae Virginis in coelum assumptae ad honorem et dignitatem minoris basilicae evehere dignaremur. Hasce autem preces cum ornet et cumulet venerabilis fratris Herculani Marini, archiepiscopi Amalphitana amplissimum suffragium, Nos animo repetentes nobilis illius aedis vetustas memorias, optatis his annuendum peramanter existimavimus. Quae cum ita sint, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi pro sacris tuendis Ritibus praepositis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, ecclesiam B. Mariae Virginis sideribus receptae civitatis *Eavello* archidioecesis Amalphitanae intra fines, titulo ac dignitate basilicae minoris augemus atque cohonestamus, illique tribuimus omnia et singula privilegia atque honorificentias quae minoribus almae huius Urbis Nostrae basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent nunc et in posterum perpetuo suffragari: sicque in praemissis iudicandum ac definiendum esse, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die **XXXI** iulii **MCMXVIII**, Ponticatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

V

PLENARIAE ET PARTIALES INDULGENTIAE CONCEDUNTUR IN PERPETUUM FIDELIBUS AD TEMPLUM VIRGINIS A GRATIIS IN MONTE ARANA CONFLUENTIBUS.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum, sicuti ad Nos relatum, in ecclesia titulo B. Mariae Virginis de Gratiis in Monte Arana, archidioecesis Turritanae intra limites, antiqua religione exculta B. Mariae Virginis et miraculis inclyta exstet imago, ad quam potissimum mense maio ac septembri innumeri fideles turmatim confluere solent quotannis; Nos, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem procurandam caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, audito dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Penitentiario Maiore, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui singulis annis uno die mensis maii ad cuiusque lubitum eligendo, et similiter uno die ex intercedentibus a XXIX mensis augusti ad xxx^{m} mensis septembris, ad arbitrium eligendo, admissorum sacramentali confessione expiati ac caelestibus epulis refecti, praefatam ecclesiam visitaverint devote, ibique, coram Deiparae imagine, pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex praedictis die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea fidelibus iisdem, quo per annum die, contrito saltem corde, superenunciatas ecclesiam et imaginem preces, ut superius diximus, fundentes celebrent, de numero poenalium in forma Ecclesiae solita septem annos totidemque quadragenas expungimus. Tandem largimur fidelibus iisdem, si malint, liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis vita functorum labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die in augusti **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

VI

METROPOLITANUM TEMPLUM PRIMARIUM CARTH AGINENSB TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS COHONESTATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — lllustriores inter sacras Aedes, quae •sive sacrorum Antistitum sanctimonia, sive Conciliorum celebritate, sive martyrum copia in historiis dilaudantur, omni procul dubio illa eminet Primaria Carthaginensis appellata. In summo veteris urbis clivi fastigio, inter paganorum templorum ruinas sacrasque recenter detectas primi -aevis christiani aedes, a fundamentis erecta fere exeunte saeculo decimonono, Deo in honorem S. Cypriani episcopi et martyris et S. Ludovici regis Francorum confessoris sollemniter dicata, nobilium Gallicae nationis virorum munificentiam late praedicat. Et sane circumstantes inter agros aedes ista caput effert, christiani nominis insigne trophaeum et victoriae prius de ethnico, dein de islamitico cultu relatae splendidum monumentum. Hic cura et sollertia amplissimi viri, divinae gloriae atque aeternae hominum salutis studiosissimi, bo. me. Caroli Martialis S. R. E. Presbyteri Cardinalis Lavigerie, tituli ad S. Agnetis extra moenia, postea archiepiscopi Carthaginensis, feliciter actis effossionibus, plures et quidem ingentes Basilicae in lucem redierunt, ornatae sepulchris tertii saeculi ad quartum reparatae salutis, passim épigraphes sive epitaphia referentibus, in quibus, praeter omnigenam veritatem, formarum Crucis et D. N. Iesu Christi monogrammatis legere est, adiectos hos titulos: episcopus, diaconus, subdiaconus, acolytus, lector, exorcista, clericus, virgo sacra et saepissime vocabulum : fidelis. Perampla interior aedes, etsi enunciatae basilicae romanae ad S. Agnetis extra moenia formam aliquatenus imitetur, structuram tamen bizantino-arabicam praesefert, pulcherrime decoratam gentilibus stemmatibus descendentium € viris illis, qui in sacris expeditionibus vulgo « Cruciatis » bonum pro fide certamen strenue decertarunt. Magnificis decora artis operibus plura adsunt sacella, ubi pretiosa varioque de marmore nitent altaria. Templi autem decus adauget splendidissima theca, affabre elaborata, et in altari principe collocata, quae S. Ludovici Francorum regis et confessoris reliquias insignes recondit, itemque conspicuum monumentum, sive mausoleum, ad perennandam memoriam purpurati principis Lavigerie exstructum, qui benemerentissimus exstitit in Metropolitani templi condito

illique pro dignitate ornando, nullis laboribus pareens, donec vixit, consuluit, atque in ea sede honoris sui conditus, exspectat immutationem. Denique praecipuum, ne dicamus caelestem, templo nitorem effert Beatissimae Dei Genitricis marmoreum simulacrum, vetustissimo praegrandi anaglyfo ibidem reperto, accuratissime expressum. Virgo Dei Mater, Domina nostra Carthaginensis, ut vocant, Infantem Iesum ulnis complectens, veluti solio maiestatis assidet, atque ex illo urbis culmine, Punica olim*» arce, subiectam civitatem et propemodum cunctas Algeriae ac Tuneti regiones materna sollicitudine tutari benignissime videtur. Quare ad ipsius aram voti et piae peregrinationis causa frequentes ac persaepe turmatim accedunt fideles, gratiarum apud Deum sequestrae Virginis praesidium opemque imploraturi, vel ut plurimum felici successu, quod ibi appensae tabellae votivae ac donaria luculenter testantur. Quemadmodum Carthaginensi Sacrorum Antistiti fel. rec. Praedecessor Noster Leo PP. XIII primatus honoris et iurisdictionis in Africanis cunctis Ecclesiis privilegium recognitum, confirmavit, ita Metropolitano templo triginta quatuor abhinc annis noviter aedificato, Primariam aeque dignitatem ac pristinum eius Ecclesiae splendorem, per Literas sub plumbo die x mensis novembris anno MDCCCLXXXIV datas, iure restitutum idem Praedecessor Noster voluit, vestigiis adhaerens Leonis PP. IX, qui de eo Primatu sententiam rogatus, in epistolam ad Thomam Episcopum Africanum, medio saeculo undecimo, perhonorificum et gravissimum testimonium scripserat. Nil mirum igitur quod brevi annorum spatio in Primaria nova illa Aede octo episcopales consecrationes habitae fuerint, itemque templum sacra suppellectili ditiore abunde refertum sit atque indulgentiarum thesauro locupletatum, nil mirum quod eiusdem templi ordo canonicorum, qui una cum cetero clero divinis officiis munusque ecclesiasticis ibidem in exemplum perfungitur, ab hac Sancta Apostolica Sede potioribus choralibus insignibus et privilegiis late honestatus fuerit. Haec omnia animo repetens venerabilis frater Bartholomaeus Clemens Combes, archiepiscopus Carthaginensium, Africae Primas, de honore qui templi Metropolitani cultuque augendo apprime sollicitus, ferventia quoque vota cleri populique sibi commissi humiliter depromens, enixis Nos precibus rogavit, ut primariam Aedem Metropolitanam Carthaginensem basilicae minoris appellatione ac dignitate cohonestare dignaremur. Nos autem, quibus nihil antiquius est, quam ut templum hoc, munificentiae ac pietatis praenobilis Gallicae nationis monumentum praestantissimum, singulari per Nos augeatur honoris titulo, optatis hisce annuendum ultro libentesque existimavimus. Quare, collatis consiliis cum V V. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi-praepositis pro

sacris tuendis Ritibus, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, templum Metropolitanum Cartilagineuse, Deo in honorem S. Cypriani episcopi et martyris ac S. Ludovici Francorum regis et confessoris dicatum, Decessorum Nostrorum beneficiis, ac potissimum perpetuo privilegio Primatus super totius Africae Ecclesiis honestatum, basilicae minoris titulo donamus, illique omnia et singula honorificentias ac privilegia tribuimus, quae minoribus almae huius Urbis Basilicis de iure competunt. Porro haec largimur, decernentes praesentes Litteras Nostras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque omnibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die v augusti **MCxWxvm,** Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

RESTITUTIONIS CAPITULI METROPOLITANI MONTIS REGALIS.

Cum cathedrale capitulum metropolitanae ecclesiae Montis Regalis in Sicilia, variis de causis sensim defecerit, ita nempe ut in praesenti unus supersit canonicus ex omnibus iis qui civilis suppressionis tempore canonicales praebendas obtinebant, nimirum archiepiscopus Dominicus Gaspar Lancia di Brolo, et cum hic rerum status privet Ordinarium de consilio et subsidio eorum qui ex iure vocati sunt ad eum iuvandum in dioecesis regimine, ideoque in detrimentum vergat boni publici; rebus omnibus in S. Congregatione Consistoriali mature perpensis, de consilio Em. Patrum, Sanctitas Sua decrevit et statuit cathedrale capitulum in metropolitana ecclesia Montis Regalis instaurare et ad normam sacrorum canonum in Codice statutorum restituere; necnon statim ac nonnulla peculiaria adiuncta quae desiderantur locum habuerint, vacantes praebendas providere. Quum autem sacerdotes ex ordine S. Benedicti qui ad eas praebendas ius certum habeant, deficiente Congregatione Sicula, non adsint, idem SSmus D. N. decrevit memoratas praebendas suo tempore conferendas esse sacerdotibus saecularis cleri, salvo iure Archiepiscopi qua antiquus canonicus, et contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 3 septembris anni 1918.

C. **CARD. DE LAI**, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. © S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

DECRETO

D'UN ORDINARIO COMUNE PEI PROFUGHI IN ITALIA.

Considerando che i sacerdoti e seminaristi profughi, o per qualsiasi causa internati, e dispersi nelle varie diocesi d'Italia, non possono comunicare coi rispettivi loro Ordinari, o possono solo farlo con difficoltà; considerando che i Vescovi del luogo di dimora non hanno su di essi tutta la necessaria autorità, la quale in ogni caso può essere elusa mutando dimora; tenuto calcolo del voto di parecchi Ordinari,, in conformità al parere espresso dagli Emi Padri della S. Congregazione Concistoriale, Sua Santità ha stabilito di nominare un Prelato, il quale tenga luogo dell'Ordinario proprio ed immediato per tutti i detti sacerdoti e seminaristi in qualsiasi luogo e diocesi essi dimorino; e ciò fino a che perdurino le attuali condizioni di cose, comprendendo in questa dispo sizione, per uniformità di disciplina, anche i sacerdoti profughi della diocesi di Udine.

Con ciò tuttavia non si intendono rotti o diminuiti i doverosi rapporti di sudditanza che legano i sacerdoti e i seminaristi ai rispettivi loro Ordinari di origine, coi quali il Prelato dalla S. Sede Delegato si terrà, per quanto è possibile, in relazione, facendone rispettare le giuste prescrizioni e l'autorità: e nemmeno si intendono diminuiti i diritti che i sacri canoni concedono all'Ordinario locale sui chierici non propri dimoranti nella sua diocesi; ma si intende dare a tutti i detti sacerdoti e seminaristi un Superiore unico, immediato, di facile accesso ed alla cui giurisdizione niuno possa sottrarsi, ed a cui debbono ubbidire.

Con questo mezzo intende inoltre la S. Sede di meglio provvedere all'assistenza religiosa dei laici profughi e segnatamente di quelli che si trovano raggruppati in piccoli centri e che richieggono una più speciale assistenza, dando a tal fine al detto Prelato l'autorità per destinare i sacerdoti profughi, sentiti possibilmente gli Ordinari propri, ed in ogni caso i Vescovi di dimora, all'assistenza dei detti gruppi e provvedere ai loro bisogni spirituali.

Finalmente Sua Santità ha eletto a disimpegnare detto officio Mon-

signor Garlo Pietropaoli, arcivescovo titolare di Calcide, dandogli all'uopo tutte le necessarie facoltà.

Roma, dalla Segreteria della S. Congregazione Concistoriale, 3 settembre 1918.

£g G. **CARD. DB LAI**, Vescovo di Sabina, *Segretario.*

L. © S. .

f V. Sardi, Arciv. di Cesarea, *Assessóre.*

Ili

LINGONENSIS

DECRETUM

ERECTIONIS DIGNITATIS-DECANATUS

Opportunum fore censens R. P. D. Oli verius Maria De Durfort De Ci vrac De Lorge, Ordinarius Lingonensis, Decanatus Dignitatem in Capitulo Cathedrali constituere, eodem Capitulo plene suffragante, id a SSmo Dno Nostro Benedicto PP. XV suppliciter petiit. Sanctitas vero Sua oblatis Sibi precibus benigne annuendum duxit; ideoque, apostolica auctoritate, in praefato Capitulo perpetuo erigit ac instituit Capitularem Dignitatem, cui *Decanatus* nomen inhaereat. Canonicus autem Decanus praeses et caput erit Cathedralis Capituli, simulque omnibus iuribus, privilegiis ac praeminentiis cohonestabitur, quibus ceterae Dignitates Cathedrales iure communi ac legitima consuetudine fruuntur et gaudent. Huius Dignitatis collatio, iuxta SS. Canonum praescripta, singulis vicibus, Apostolicae Sedi reservata erit. Hisce super rebus idem SSmus praesens edi iussit eonsistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae fuissent: cuius exsecutio, una cum facultatibus ad id necessariis, praefato Revmo Ordinario Lingonensi committitur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 4 septembris 1918.

)$(C. **CARD. DE LAI**, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. **ÜB S.**

V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

IV

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, SSmus D. N. Benedictus XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

7 iunii 1918. — 'Metropolitanae ecclesiae Quitensi, in Aequatoriana Republica Americae Meridionalis, praefecit R. P. D. Emmanuelem Mariam Polit, hactenus episcopum Conchensem in Indiis. *

8 iunii. — Cathedrali ecclesiae Spalatensi et Macarscensi R. P. D. Georgium Carie, hactenus episcopum titularem Ceramensem.

2 augusti. — Titulari episcopali ecclesiae Eleutheropolitanae R. D. Nicolaum De Carlo, canonicum cathedralis ecclesiae Paranensis, quem constituit Auxiliarem Revmi episcopi Paranensis.

14 septembris, -r- Cathedrali ecclesiae Pharensi R. P. D. Lucam Pappafava, hactenus episcopum Sebenicensem.

— Titulari episcopali ecclesiae Télmissensi R. D. Boleslaum Twardowski, quem deputavit in Auxiliarem Revmi archiepiscopi Leopoliensis Latinorum.

— Metropolitanae ecclesiae Bisuntinae R. P. D. Ludovicum Humbrecht, hactenus episcopum Pictaviensem.

SACRA CONGR]
PRO ECCLESIA ORIENTALI

I

DECRETUM

DE PAROECIA ABBATIAE CRYPTOFERRATENSIS

Iamdudum Leo XIII fel. rec. Ecclesiam Orientalem magno prosecutus studio, ritum graecum in pervetusta Abbatia S. Mariae Cryptaeerratae Monachorum Basilianorum pene obsoletum ad pristinam revocavit vitam decreto S. Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis

Rituum Orientalium diei 12 aprilis anni 1882. Ne autem fideles latini qui vicinia incolebant grave persentirent incommodum ex nova hac Monasterii instauratione, eodem decreto statuit « curam animarum in « Ecclesia eiusdem Abbatiae et in ipsius Parochiae ambitu *ab uno ex « monachis eiusdem Monasterii exercendam esse, qui tamen latinum « ritum omnino teneret,* prout cautum fuerat a SS. PP. Benedicto XIV « in Constitutione *Inter multa* diei 24 aprilis 1747 et a Leone XII « in Apostolicis litteris *Inter coetera* datis die 12 novembris anni 1824; « facta eidem licentia, unum vel alterum *cooperatorem latini ritus, sive « monachum,* sive etiam presbyterum saecularem, sibi adsciscere ». Cum autem plurium annorum experientia docuerit exercitium curae animarum latini ritus fidelium non parum distrahere Monachos ab exercitio ritus graeci, Eniis Patribus huius Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, cui munus demandatum est venerandos orientales ritus quam maxime fovere, integros purosque conservare et abusus, si qui in ipsis irrepserint, corrigere ac reformare, in plenariis Comitiis die I[a] iulii coadunatis propositum fuit dubium an expediret latinam parochiam a Graeco Monasterio Cryptoferratensi omnino separare, ac, omnibus hinc inde mature perpensis, respondendum censuerunt negative et ad mentem. Mens autem est, ut, immutatis quae de cura animarum decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide superius memorato statuta fuerant, deinceps - habituali cura apud Monasterium perdurante - cura actualis animarum exerceatur a Monachis per presbyterum, sive saecularem sive etiam regularem, ritus tamen latini - seclusis ab eodem exercitio Monachis Basilianis, quos omnes graeci ritus omnino esse oportet - tamquam Vicarium perpetuum; cuius tamen praesentatio ad Curiam Tusculanam, a qua latini fideles loci in spiritualibus pendent, Abbati pro tempore in perpetuum reservetur; firmis in caeteris manentibus iis, quae de eadem cura animarum Benedictus XIV ac Leo XII b. r. Constitutionibus supra memoratis statuerant.

Hanc autem Emorum Patrum sententiam Sanctissimus D. N. Benedictus divina Providentia Papa XV, referente me infrascripto S. Congregationis Cardinali Secretario, die 10 iulii huius anni ratam habuit ac confirmavit, et per praesens Decretum edi iussit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die et anno ut supra.

NICOLAUS CARD. MARINI, *Secretarius.*

II

DECRETUM

DE SEMINARIO PRO PUERIS ITALO-GRAECIS IN MONASTERIO CRYPTOFERRATENSI INSTITUENDO,

Perspiciens Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali ritum graecum in locis Italiae, in quibus fideles ex Albania oriundi incolunt, pene neglectum esse, praesertim ob ignorantiam tum linguae liturgicae tum disciplinae Ecclesiae Orientalis, optimum consilium duxit ad praedictum ritum ibidem instaurandum, adolescentes colligere, qui ad clericalem vitam adspirant, eosque in studio et observantia ritus graeci pressius educare. Quapropter Emi Patres eiusdem S.Congregationis in plenariis Comitiis kalendis iulii habitis, censuerunt supplicandum esse Sanctissimo, ut ad id consilium, si placuisset, perficiendum, eadem Beatitudo Sua dignaretur in Abbatia S. Mariae Cryptoferratae Monachorum Graecorum S. Basilii Magni ephebeum seu seminarium condere, in quo pueri selecti, tum ex praedictis Italiae locis, tum etiam ex continenti Albania sub disciplina et regimine praedictorum Monachorum in studiis literariis et in ritu graeco instituantur.

Quas Emorum Patrum preces, per me infrascriptum S. Congregationis Cardinalem Secretarium in audientia diei 10 iulii relatas, SSmus Dominus Noster Benedictus divina providentia Papa XV valde commendans benigniter excepit, ac praesens Decretum pro Seminarii Italo-Graeci erectione, prouti superius exponitur, apostolica Sua auctoritate confici promulgarique iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die et anno ut supra.

NICOLAUS CARD. MARINI, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

MONTEREYEN. ANGELORUM.

NULLITATIS MATRIMONII (PIRRI-SERVIMO).

Benedicto PP. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, BR. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Aloisius Sincero et Fridericus Cattani-Amadori, Auditores de turno, in causa* Montereyen. Angelorum - Nullitatis matrimonii, *inter* Mariam Pirri, *repraesentatam per legitimum procuratorem ex officio deputatum Rev. D. Carmelum Conte, et* Franciscum Servidio, *interveniente et disceptante in causa Substituto defensoris vinculi ex officio, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Mariae Pirri, in urbe *Los Angeles,* in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, ex italis parentibus, illuc e Calabria profectis, oriundae, dum 16 annorum aetatem agebat, praesentatus fuit a patre quidam barbitonsor, cui nomen Franciscus Servidio, ex eadem regione calabrica nuper proveniens, ut matrimonium cum illo iniret. Puella, vero, a quadam amica vicina persuasa se nimis iuvenem fuisse ad onera matrimonii sumenda, nuptiis propositis imprimis restitit; deinde, vero, genitoribus suadentibus, consensit et, post sponsalia trium circiter mensium, die °2 septembris anni 1906 coram Ecclesia cum viro coniuncta est in matrimonio. Vita coniugalis in domo paterna sponsae inaugurata est, ubi non defuerunt dissidia inter sponsae patrem et virum Franciscum, qui, tertio vertente anno coniugii, e domo soceri discedere coactus est. Maria autem, patre aegrotante, noluit virum sequi: mortuo patre suo, de viro sequendo ne cogitavit quidem, sed tribunal civile adiit et divortium obtinuit, aliique viro vinculo civili se coniunxit. Aliquot post annos precibus cuiusdam piae mulieris cedens, ut conscientiae suae consuleret, Maria a tribunali ecclesiastico Curiae Montereyen. Angelorum petiit ut matrimonium suum cum Francisco Servidio nullum declararetur ex capite vis et metus ex parte ipsius actricis, et die 19 decembris 1914 sententiam sibi favorabilem retulit. Curia vero metropolitana

S. Francisci Californien., in secundo gradu sententiam pro vinculo, die 30 augusti 1915, tulit. Appellatione interposita apud N. S. Tribunal, causa primo discussa fuit in turno rotali diei 8 iulii 1917, et responderunt DD. Auditores: *Dilata, et compleantur acta iuxta instructionem a D. Ponente dandam.* Completo processu suppletorio, causa iterum nobis proponitur definienda sub dubio consueto: *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Quaestio exclusive agitur de metu reverentiali qualificato per minas occisionis, semel tantummodo prolatas a patre Mariae Pirri, actricis, quae praetendit patrem minitatum fuisse ipsam occidere cum sclopeto, vulgo *revolver,* nisi matrimonio cum Francisco Servidio consentirei

Metus reverentialis, ut notum est, ex sese levis est et matrimonium non irritaj;, nisi qualificatus sit per minas graves, aut verbera, aut preces instantes et importunas. De verberibus in casu nostro non est quaestio, cum nullus testis de eisdem loquatur. Neque de precibus instantibus et importunis, ut patet ex ipsa confessione actricis. Interrogata: «Voi fate menzione di parenti: chi erano i parenti che vi pregavano « di consentire per amore di pace? », respondit: « Mia zia... Filomena « Pirri.... Una mia altra zia... Maria Pirri ». Quaest: « Questi parenti vi « spingevano ripetutamente? », respondit: « No: proprio una sola volta ». Quaest: « Come cercava vostro padre provocare il vostro consenso? », respondit: « Col parlarmi lo stesso giorno ». Quaest. : « Lo stesso giorno « che vostro padre pronunciò la minaccia? », respondit: « Sì ». Mater autem ait se semel tantummodo locutam esse cum filia Maria ad matrimonium urgendum: rogata enim: «Aveste qualche conversazione con « Maria riguardo ai suo matrimonio ? », respondit : « Sì, io la consigliai « a sposarlo ». Quaest. : « Ricordate di aver parlato a lei frequentemente « del fatto che Francesco sarebbe per lei un buon marito? », responditì « Io gliene parlai una sola volta ». Et actrix, interrogata : « Le parole « di vostra madre non produssero nessun effetto particolare su di voi ? », respondit: « No, fu realmente per mio padre che acconsentii ».

Actrix etiam testatur minas occisionis semel tantummodo a patre fuisse prolatas; interrogata: « Fu quella minaccia ripetuta in qualche « altra occasione? », respondit: « Solo una volta ».

Huiusmodi conclusiones, hucusque indicatae, moraliter certae dici debent, quia per confessionem iudicialem actricis favore vinculi firmatae sunt. «Confessio enim coniugis, quae pro matrimonii valore militat, « vim probandi in iis casibus habet, in quibus coniugibus ius accusandi « matrimonium privative reservatur », inter quos annumerandus est casus ex capite vis et metus. Ita Wernz (num. 745, ed. 1911); similiter

Instructio Austriaca, n. 149. Insuper ait Reiffenstuel (lib. II, tit. XVIII, num. 62): « Confessio facta in iudicio, non solum plene probat atque « actorem ab onere probandi relevat, sed etiam facit rem manifestam « et inducit notorium» (Textus est in cap. ult., *De cohabit. clericor.* et cap. *Cum olim,* 24, *De verb. signif. cum concordantiis)* ac notat Mascardus, *De probat.,* etc., cum communi. Quamvis haec regula, ab auctore Reiffenstuel indicata, generatim affirmetur de causis ubi de negotio privato agitur, et non universim teneat in iis ubi de bono publico sit quaestio, ut in causis matrimonialibus, tamen per analogiam applicari potest in causa matrimoniali ex "capite vis et metus, ubi confessio metum patientis contra seipsum vim specialem habet, cum ipse metum patiens prae omnibus certo noscere praesumatur quales fuerint causae trepidationis animi a sese passae.

Porro, confessio deliberate facta in iudicio revocari nequit, nisi fiat in continenti, vel probetur confessionem per errorem facti contigisse. Ita Reiffenstuel (loc. cit.), cum communi (similia habentur in can. 1752 *Cod. Iur. Can.).* Ideo nihili facienda est depositio actricis contraria in processu suppletorio, ubi dicit, quin ullam rationem assignet mutati testimonii, patrem ter ipsam minatum esse in tribus diebus quae intercesserunt inter praesentationem anuli et eiusdem acceptationem, et in fine: « Dal tempo della promessa fino al tempo del matrimonio mio « padre e mia madre mi fecero continue pressioni, che cioè era bene « per alligarmi e sposare, che era un buon uomo... Io non diceva nulla ». Siquidem huiusmodi pressiones vel coactio actricis ex parte genitorum, semel dato consensu puellae, ab eadem omnino excluduntur in praevia depositione.

Neque valet depositio matris, in processu suppletorio facta, ad probandum minas ter fuisse prolatas, quia contradicit confessioni actricis, quia unicus testis est, et quia substantialiter mutavit depositionem in primo interrogatorio factam, quin fuerit ulla ratio mutationis assignata; et denique quia sibi contradicit, cum implicite saltem in prima depositione retulerit minas una vice fuisse prolatas. Interrogata enim : « Com- « piacetevi dire che cosa sapete riguardo alla promessa di Maria a Fran- «. cesco Servidio? », respondit narrando minas a patre factas: immediate deinde interrogata: « Come agì Maria dopo essere stata minac- « ciata dal suo padre? », respondit: « Maria diede il suo consenso ».

Tota igitur causa vertitur de minis occisionis a patre actricis semel prolatis, de quibus duplex oritur quaestio: 1) an reapse factae fuerunt dictae minae? et, quatenus affirmative: 2) an fuerint efficaces, ita ut per illas Maria Servidio metu coacta fuerit ad matrimonium ineundum?

Quoad primam quaestionem de facto prolationis minarum, notandum est regulariter requiri et sufficere ad aliquid probandum in iudicio duos testes capaces et idoneos, omni suspicione maiores, ex propria scientia de facto testantes. In casu nostro habetur unus tantum testis idoneus et capax, ex propria scientia deponens de minis occisionis cum sclopeto, vulgo *revolver*, mater sponsae nempe, quae, licet actrici **conr** sanguinea, ac proinde testis non capax in causis ordinariis filiae suae, tamen in causa matrimoniali a lege ecclesiastica admittitur. Testimonium ipsius actricis, utpote post matrimonium contra valorem matrimonii factum, omni vi probandi caret, iuxta cap. *De eo qui,* lib. IV, tit. XV. Cf. *Instructio Austriaca,* n. 148, 169; Wernz, n. 745 et 1911.

Licet autem ordinarie requiratur testimonium duorum testium ex propria scientia deponentium et omni suspicione maiorum, in causis tamen, ex natura sua difficilis probationis, uti causa matrimonialis ex capite vis et metus, quae ordinarie circa res intra domesticas parietes gestas agitur, iure admittitur probatio per praesumptiones, coniecturas, indicia, quae, cumulative sumpta, certitudinem moralem gignere possunt.

In casu nostro, uti supra notavimus, testem unicum de visu seu de propria scientia habemus, matrem nempe actricis, quae rem sic narrat: « Un tempo brevissimo passò dal primo incontro ai negozio a « quando Francesco venne in casa con l'anello. Io stessa, mio marito, « Maria e Francesco eravamo presenti. Francesco tentò di dare l'anello « a Maria, ma questa non volle prenderlo ; mio marito le parlò adira- « tamente, e allora lei accettò l'anello, ma non lo mise al dito. Maria « non. parlò. Il giorno dopo, mio marito Venne su da Maria e con un « revolver la spaventò e disse che lui la ucciderebbe se essa non spo- « sasse Francesco. Dopo, tornando verso di me, disse che ucciderebbe « anche me se io non usassi la mia influenza nel persuaderla a spo- « sare Francesco ». Interrogata dein: « Come agì Maria dopo essere « stata minacciata?», respondit: « Maria diede il suo consenso ». Num vero Carmela Pirri, actricis mater, testis sit omni suspicione maior, saltem dubium est, quia sibi non cohaeret, sed potius sibi contradicit, cum in primo interrogatorio de minis una vice prolatis loquatur, quas immediate sequebatur consensus matrimonio a filia praestitus, dum in secundo interrogatorio affirmat patrem Mariae ter eam minasse in periodo unius hebdomadae.

Tres sunt testes de auditu respectu minarum occisionis: Maria Pirri, actricis patrua, Maria Doyle (alias Coyle) et Guillelma Brennan.

Testis^ Maria Pirri praetendit utique, se immediatam testem fuisse minarum mortis quam patrem protulisse dicit in prima anuli praesen-

latione. Huiusmodi testimonium autem reiiciendum est tanquam, falsum, quia nullus alius testis, inter eos qui eo tempore adfuerunt, de dictis minis quidquam referunt; porro, tres ex ipsis id explicite excludunt: Franciscus Moreno nempe, ipsa actrix et Stephana Pometti, quae etiam in domo Pirri erat quando puella sponsum primo repulit, uti narrat actrix: « Essa (S. Pometti) mi udì a dir di no, quando io salii al piano « superiore ». Denique, mater puellae id saltem implicite excludit, cum de minis tantum die insequenti factis loquatur.

Huiusmodi falsum testimonium naturaliter suspectam reddit aliam eiusdem testis depositionem, qua ex auditu testatur de minis a patre prolatis; semel mendax, enim, semper mendax, interrogata a iudice: « Aveste qualche conversazione con Maria durante i tre giorni che pas- « sarono tra il suo rifiuto dell'anello e la accettazione di esso ? », respondit: « Sì, io la consigliai ripetutamente di sposare Francesco ». Quaest.: « Durante questi tre giorni parlaste alla madre di Maria intorno al matrimonio? », respondit: « Noi parìammo*insieme del matrimonio, e la « madre di Maria disse che la miglior via per liberarsi da ogni trava- « glio, sarebbe per Maria di sottomettersi ai desideri di suo padre ed « accettare Francesco per suo marito ». Quaest.: « Vi disse qualche cosa « la madre di Maria riguardo alla minaccia fatta dal padre di Maria ? », respondit : « Sì, disse che se Maria non desse il suo consenso, suo padre « continuerebbe ad essere adirato con lei ed arriverebbe fino ad ucci- « deria ». Quaest. : « La madre di Maria disse che il padre aveva fatto « qualche minaccia, e se è così, di che natura era? », respondit: « Disse « che il padre faceva minaccia di uccidere Maria ». Quaest.: « La madre « di Maria vi disse in che maniera il padre minacciò di uccidere Maria? », respondit: « No». Quaest.: « Vi disse la madre di Maria se il padre « disse che ucciderebbe Maria con un coltello, una pistola o la getterebbe dalla finestra? », respondit: « No, essa non mi disse mai il « modo come il padre disse che l'ucciderebbe ».

Iamvero DD. Auditores censent hanc depositionem testis Mariae Pirri nullatenus confirmare testimonium de minis a Carmela Pirri narratomi, non solum quia suspecta evadit ex evidenti mendacitate testis respectu minarum in occasione praesentationis anuli, sed etiam quia nihil scit de modo quo minae praetensae a puellae patre factae fuerunt, manu videlicet sclopeto armata, qui modus circumstantiam substantialem minationis praetensae constituit. Incredibile enim videtur, quod actricis patrua, quae, iuxta ipsius declarationem iuratam, in pluribus colloquiis eum puella habitis in illis tribus diebus post primam anuli praesentationem, reluctantiam eiusdem consiliis vincere conabatur et

matrem eius, eodem temporis intervallo, de minis factis loquentem audivit, nihil omnino a matre vel a puella ipsa audivit de circumstantia substantiali, quod nempe pater, manum armatam cum *revolver* versus filiam extendit, dum minas mortis proferebat. Ideo concludendum putamus testimonium Mariae Pirri narrationem de minis a Carmela Pirri factam nullatenus confirmare.

Alia testis ex auditu, Maria Doyle, sibi contradicit, quin contradictionis rationem reddat, ac proinde suspectum redditur eius testimonium. Interrogata enim: « Aveste una conversazione con Maria Pirri « prima delle nozze? », respondit: « Solo una volta. Diceva che andava « a maritarsi, ed essa non ne aveva piacere, ma suo padre la costrin- « geva a sposare». Deinde, posterius interrogata: « Quante volte essa « vi parlò riguardo a questa materia (il matrimonio)? », respondit: « Circa tre volte ». Refert etiam haec testis quod, iuxta narrationem sibi ab actrice factam, huius soror Aloysia adstitit minarum prolationi: Aloysia vero negat patrem unquam coram ipsa minas contra sororem Mariam protulisse. Tredecim annos habebat tempore matrimonii, ideoque, pubertatem adepta, idonea testis erat.

Tandem Guillelma Brennan, de cuius veracitate non ambigitur, de minis didicit tempore suspecto, idest non solum post matrimonium contractum, sed etiam post secundum matrimonium cum alio viro Janny civiliter initum, et quidem quando ipsa Brennan ab actrice rationes quaerebat pro nullitate matrimonii cum Francisco Servidio. Alia ratio fidem denegandi narration! ab actrice Dominae Brennan factae est quod illa ipsi retulit circumstantiam coactionis praetensae, de qua omnino silent ipsa actrix et alii testes in iudicio, nempe: « Essa disse che (il •« padre) la chiuse in una camera e la fece stare lì, finche consentisse ».

Ad probandum factum specificum minarum occisionis cum *revolver*, igitur, habemus tantummodo unum testem de scientia propria, Carmelam Pirri, quae sibi, implicite saltem, in facto substantiali contradicit, et unum solum testem de auditu, Mariam Doyle, quae sibi etiam contradicit. Excluditur testis Maria Pirri, quae, ob rationes supra indicatas, factum specificum minarum cum *revolver* non confirmat. Excluditur etiam testis Brennan, quia solum refert confessionem coniugis post matrimonium, quod, ut supra notatum est, vim probandi non habet.

Tandem testimonium ipsius actricis, quod ad normam iuris communis solummodo uti adminiculum probationis adhiberi potest, debilitatur ex pluribus contradictionibus. Ita, ex. gr., actrix quaesitis iudicis: « Voi fate menzione di parenti; chi erano i parenti che vi pregavano «di consentire per amore di pace? », respondit: « Mia zia... Filomena

« Pirri... Una mia altra zia... Maria Pirri... ». Quaest.: « Questi parenti « vi spingevano ripetutamente? », respondit: « No, proprio uria sola « volta ». Quaest.: « Aveste qualche conversazione con vostra madre « dopo la minaccia che v'era stata fatta, e prima che consentiste a spor « sare il signor Servidio? », respondit: « No, soltanto io dissi che spo- « serei per loro amore ». Quaest.: « Non discuteste la cosa con vostra «madre dopo? », respondit.: « No ». Quaest.: « Non discuteste la cosa « con qualche altro? », respondit.: « No, il secondo giorno io consentii «a convivere con lui... ». Quaest.: « Dopo di aver espresso la vostra « ripugnanza, come vi regolaste e che cosa faceste? », respondit: « Io « era adiratissima, ed essi non discorsero di ciò innanzi a me per tre «giorni». Quaest.: «Durante questi tre giorni discorreste della cosa « con qualcuno? », respondit: « No, ma dissi alla signora Doyle che «non voleva sposare ». Quaest.: « Aveste qualche conversazione con « vostra madre? », respondit: « Certamente ». Quaest.: « Che cosa dice- « ste? », respondit: « Dissi a mia madre che non volevo sposarlo ». Interrogata posterius: « Aveste qualche conversazione durante questi « tre giorni (nempe post denegatum consensum) con qualche persona « o persone, riguardo al vostro matrimonio proposto? », respondit: « Sì, « con le mie due zie.... Una Filomena Pirri e l'altra Maria Pirri ». Quaest.: « Durante questi tre giorni a intervalli parlaste a vostra madre e alle « vostre zie del vostro matrimonio col sig. Servidio? », respondit: « Cer- « tamente ». Praeterea, dum in primo interrogatorio minas semel factas fuisse asserit, in secundo dicit eas ter prolatas fuisse.

Satis patet, igitur, probationem facti specifici minarum deficere, si depositiones testium nude et in se perpendantur ; haec vero deficientia magis magisque apparet, si ratio habeatur multarum praesumptionum quae ex toto circumstantiarum complexu oriuntur, quae quidem suadent factum praetensum minarum nunquam habuisse locum. De iis breviter discurremus.

Imprimis indoles patris erga filios erat admodum benevola, prout omnes referunt: speciatim omnes filii eorumque mater testantur eum filios nunquam vi physica correxisse : filia eius Margarita Pagliuso, solitariae exceptionis meminit, quando nempe pater semel ei alapam dedit. Mater ait eum aliquando filios corporaliter punire minitasse, nunquam vero minas fuisse exsecutum: filia Aloysia autem patrem corporalem punitionem neque unquam minitasse testatur. Mater actricis de ratione agendi mariti erga seipsam ait: « Non mi minacciò mai, ne mi atterrì « (con minacce) sino a circa 15 anni dopo che fummo sposati ». Alius etiam testis, Franciscus Moreno, amicus intimus familiae Pirri, mitem

patris indolem confirmat; ait: « Non era capace di uccidere una mosca ». Pondus huiusmodi testimonii cumulativi de indole patris benevola et miti erga filios non minuitur declaratione aliquorum quod aliquando ira motus fuit, quod et personis benevolae indolis aliquando contingere potest.

Tempore, porro, quo minaé praetensae prolatae fuerunt, pater matrimonium propositum nondum firmo animo voluit. Narrat enim Franciscus Moreno patrem post consensum a puella datum sic eum allocutum esse: « Questo Signore (F. Servidio) è a lavorare da voi, e io « desidero che lo proviate e vediate se è uomo capace di sostenere mia «figlia, altrimenti noi possiamo troncarla ». Reapse post tres hebdo-.madas F. Moreno responsum patri dedit, eumque certiorem fecit de capacitate viri Servidio sustentandi eius filiam. Ad quid, igitur, pater benevolus minis mortis insisteret ut filia matrimonio consentirei, quod nec ipse firmo consilio voluit?

Deinde, ipsa actrix se minis non cessisse, quod et soror eius, Margarita Pagliuso, confirmat. Id vero praesumptionem facit, non solum contra minarum efíicaciam, sed etiam, attenta natura minarum praetensarum in casu, contra earundem existentiam. Inverosimile enim est quod puella inexpers, sexdecim annorum, illico resistere audeat voluntati patris, qui, ira incensus, contra ipsam dirigit sclopetum ad oecidendum, si ipsa flecti renuat: eo vel magis id valet in casu, quo ratio resistentiae nonnisi levis erat, nempe quia nimis iuvenis adhuc erat ad onera matrimonii assumenda. A iudice quaesita: « In qual tempo del giorno « vostro padre proferiva questa minaccia? », respondit actrix: « Nella « mattina ». Quaest.: « Deste voi in seguito il vostro consenso? », respondit: « No ». Quaest.: « Che cosa finalmente v'indusse a cambiare « la vostra intenzione? », respondit: « Nel vedere mia madre in miseria « voler ciò; e i miei parenti che allora mi pregavano di consentire per « amore di pace ». Margarita Pagliuso, soror actricis, interrogata: « Cre« dete che ciò fu (che Maria sposasse il Servidio) perchè suo padre la « minacciò? », respondit: « Non credo che lei avesse molto timore di lui, « ma sposò per provare che era innocente, che non aveva altro fidanzato ».

Praesumptio porro, omnino gravis, contra factum praetensum minarum habetur ex eo quod ii, qui intimo nexu necessitudinis vel consuetudinis cum familia Pirri coniuncti erant et illis praecise diebus de matrimonio, sive cum actrice sive cum matre eius, locuti sunt, nihil sciunt de minis cum *revolver* factis. Ita Aloysia Pirri, actricis soror, quae tunc tredecim annos habebat; ita Maria Pirri, actricis patrua, quae pluries, ut ipsa ait, puellae consilium eo tempore dedit ut matrimonio consentirei et primae anuli praestationi aderat; ita Stephana Pometti, quae,

actrice testante, eodem tempore aderat et, ut refert Maria Doyle, fere semper in domo Pirri erat: «Essa era solita starvi tutto il tempo»; ita Fr. Moreno, qui sponsum cömitabatur dum anulum praesentabat et tantam partem habuit in matrimonio preparando, et matrimonii celebrationi simul cum uxore sua adstitit tamquam testis.

Sola ratio cur puella primo renuit nuptiis propositis consentire, erat, ut ipsa ait, quia nimis iuvenis erat; amorem erga alium virum non fovebat, uti declarat soror eius, Margarita Pagliuso; repugnantiam versus virum ac propositas nuptias non ea erat quae minis indigebat ad illam vincendam, sed potius genitorum consilio, quo filiam inexpertem suadere possent. Denique, eodem modo se gerebat pater in matrimonio puellae Mariae parando ac in matrimonio pro aliis negotiando, uti narrat mater puellae, Carmela Pirri, ubi tamen, ut in confesso est, nulla coactionis materia adfuit.

Omnibus, itaque, huiusmodi praesumptionibus perpensis et habita ratione deficientis probationis ab actrice deductae, concludendum censemus non constare de facto specifico minarum occisionis.

Quod ad secundam quaestionem attinet, efficaciam videlicet minarum, dato, sed non concesso, quod locum habuerint, item non constare de eadem dicendum est. Ad probationem minarum regulariter requirunt auctores ut qui minas profert, solitus sit easdem exsequi; secus enim concludendum aiunt minas haud serio proferri, seu inefficaces esse. Iamvero, ex depositionibus testium, uti supra memoratum est, patet actricis patrem vel minas non adhibuisse in filiis corrigendis, vel saltem easdem exsequi non consuevisse. Ita actrix in interrogatorio. Quaest.: « Egli era un buon padre? », respondit: « Sì, un ottimo uomo ». Quaest.: « Se qualche membro della famiglia per caso fosse stato disob« bediente, come si comportava con lui? », respondit: « Era adiratis«simo, e ci diceva: "Noi dobbiamo fare bene-la prossima volta,,». Quaest: « Aveva l'abitudine di punire i figli? », respondit; « No ». Soror actricis, Aloysia, de eodem themate sic loquitur: « Temevate voi il «vostro padre?», respondit: «Non moltissimo; proprio come qualsiasi « altro bambino ». Quaest.: « Vi punì mai? », respondit: « No ». Quaest.: « Si adirò mai con voi? », respondit: « Una volta in qualehe tempo ». Quaest.: « Minacciò mai il vostro padre di punirvi? », respondit: «No, « egli era buonissimo con noi ». Quaest.: « Era anche buonissimo con « vostra sorella? », respondit: « Sì ». Quaest.: « Era un uomo moderato « e pacifico? », respondit: « Sì, era ottimo ». Quaest.: « Ricordate vostro « padre fare qualche cosa per indurre vostra sorella a sposare Fran« «esco Servadio? », respondit: « No ». Quaest: « Minacciò egli vostra

«sorella?», respondit: « No, in faccia a me ». Inefftcaciam minarum in casu alii testes supra relati, Fr. Moreno et ipsa actricis mater, confirmant, dum de miti et benevola patris indole loquuntur, affirmantes eum haud solitum fuisse filios punire.

Praeterea, notatu dignum est actricem directe, a iudice interrogatam, an censuerit patrem minas praetensas reapse fore exsecuturum, non ansam fuisse affirmative respondere. Imo testatur, uti vidimus, se minis non cessisse, sed ob amorem pacis matrimonio consensisser^eidem vero testi postea contraria affirmanti fides adhiberi nequit, uti iam declaratum est. Denique, altera actricis soror, M. Pagliuso, recise declarat puellam nec timorem patris habuisse, neque ex metu coactam fuisse ad matrimonium contrahendum.

Porro, ea quae matrimonium antecesserunt vel Gomitata vel subsecuta sunt carentiam pressionum ex parte genitorum et deliberatum animum puellae plane manifestant. Id discimus ex ore ipsius actricis iudicis interrogationibus respondentis : ait enim : « Io fui buona con lui, « dopo che acconsentii ». Quaest.: « Con quanta frequenza il sig. Ser« vidio frequentava la vostra casa? », respondit: « Due volte la setti« mana ». Quaest.: « Dove andavate con lui? », respondit: « Alle volte « a un buon spettacolo ». Quaest.: « Dopo aver stretto compagnia col « sig. Servidio, cominciaste ad amarlo? », respondit: « Sì, noi anda« vamo insieme...». Quaest.: «Andavate fuori con lui?», respondit: « Una volta alla settimana ». Quaest: « A gite dì piacere?», respondit: « Sì, come al lido, e a uno spettacolo». Quaest.. « Vi costringeva vostro « padre a uscire con lui? », respondit: « No ». Quaest.: « Uscivate con «lui volentieri?», respondit: «Sì». Quaest: «Quali sentimenti pro« vavate verso di lui? », respondit: « Non saprei dirlo; realmente non « amavo l'uomo, ma neppure l'odiavo ». Quaest.: « Vi preparavate per « le nozze volentieri? », respondit: « Certamente ». Quaest.: « Faceste « niente sotto pressione? », respondit: « Mio padre e mia madre com« prava no le cose, e me le davano...». Quaest.: «La coppia fidan« zata entrò volentieri in tutti i preparativi? », respondit: « Sì ».

Refert etiam actrix se libere matrimonio consessisse in celebratione nuptiarum et post matrimonium debita coniugalia sine reclutantia reddidisse, et in genere quae sponsae sunt munera libere adimplevisse. Interrogata enim : « Quando lo sposaste il 2 settembre 1906, lo sposaste «volentieri? », respondit: « Certamente ». Quaest: «Vi furono tutti «gli amici e parenti?», respondit: «Sì». Quaest: «Deste ad inten« dere a qualcuno che voi eravate una moglie sposata senza consenso? », respondit: « No ». Quaest.: « Vivevate volentieri con vostro marito?»,

respondit: «Si». Quaest. «Faceste nessuna opposizióne per aver relazioni matrimoniali con lui? », respondit: « No ». Quaest.: « Facevate « voi la parte di una moglie obbediente, volenterosa? », respondit: « Sì ». Quaest.: «Sotto ogni rispetto?», respondit: «Sì». Quaest.: « Procu« ravate fare le cose in meglio per lui?», respondit: «Sì». Quaest.: «Era ogni cosa soddisfacente?», respondit: «Sì». Ex hisce confessionibus actricis patet eam nuptiis propositis non restitisse, non quia vanam putabat resistentiam, sed quia deliberate noluit resistere.

Reus conventus, denique, et parochus Bucci qui sponsos matrimonio coniunxit, negant quodcumque coactionis vestigium fuisse in praestito mulieris consensu. Quod etiam confirmat testis Fr. Moreno, qui, uti vidimus, magnam partem habuit in matrimonio preparando, non obstante ipsius desiderio ut matrimonium nullum declararetur. Et refert testis Priscilla Scottini, parochi ancilla, sponsam sibi dixisse tres hebdomadas ante matrimonium se nupturam fuisse quia aderat opportunitas nubendi: «Io le chiesi perchè si maritasse così presto; allora mi disse « che, poiché aveva una occasione, così doveva maritarsi ».

Saltem probabiliter, itaque, concludendum est Mariam Pirri, actricem, propriam reluctantiam vicisse et consensum dedisse ut morem gereret, qui matrimonio favebant: quod, ut saepius H. S. Ordo docuit, validitati consensus matrimonialis nullatenus obstat.

Quibus omnibus tam in iure quam in facto consideratis et bene perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, *non constare de matrimonii nullitate in casu,* seu ad propositum dubium respondemus: *negative.*

Ita pronuciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam SS. Canonum et praesertim cap. B, sess. XXV, *De ref.,* Conc. Trid., iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 21 decembris 1917.

Ioannes Prior, *Ponens.*
Aloisius Sincero.
Fridericus Cattani-Amadori.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae.
Sac. T. Tani, *Notarius.*

DUBIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

AVVISO.

La Direzione dell' « Annuario Pontificio » presso la Segreteria di Stato interessa vivamente gli Illmi e Rmi Ordinari delle diocesi, i collegi prelatizi, i Superiori generali degli Ordini religiosi, i Rettori dei collegi ecclesiastici e tutti i dignitari appartenenti alla Corte pontificia a volerle trasmettere in tempo utile le relazioni e rettifiche occorrenti per la edizione dell'« Annuario » pel prossimo anno 1919, in conformità della lettera circolare dell'Emo sig. Cardinale Gasparri, Segretario di Stato, in data 15 luglio 1915, e delle particolari istruzioni ricevute al momento delle nomine e promozioni.

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

13 settembre 1918. L'Emo signor cardinale Alessio Ascalesi, arcivescovo di Benevento, *Protettore del Monastero di Santa Chiara in Montefalco.*

16 » » Monsignor Bonaventura Cerretti, arcivescovo tit. di Corinto, segretario della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari, *Consultore della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale.*

» » » Monsignor Isaia Papadopulos, vescovo titolare di Grazianopoli, assessore della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale, *Consultore della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari.*

MAGGIORDOÉATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di *Si S. :*

6 aprile 1918. Mons. Pasquale Ferrari, della diocesi di Massa-Carrara.
26 agosto » Mons. Giovanni Di Vano, della diocesi di Viterbo e Tuscania.
Mons. Sestilio Giulianelli, della medesima diocesi.
» » » Mons. Vincenzo Marciano, dell'archidiocesi di Reggio Calabria.

NECROLOGIO

31 agosto 1918. Mons. Antonio Giuseppe de Souza Barroso, vescovo di Porto.
17 settembre » L'Emo signor cardinale Giovanni Maria Farley, arcivescovo di New York.
23 » » Mons. Pellegrino Maria Francesco Stagni, arcivescovo titolare di Ancira.
25 » » Mons. Giovanni Ireland, arcivescovo di San Paolo di Minnesota.
» » Mons. Andrea Segura y Domínguez, vescovo di Tepic (Messico).
» »* Mons. Francesco Silas Chatard, vescovo di Indianapolis.

Annus X - Vol. X 2 Novembris 1918 Num. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

I

PRAEFECTURA APOSTOLICA « DE BETAFO » IN VICARIATUM APOSTOLICUM ERIGITUR.

BENEDICTUS PP XV.

Ad perpetuam rei memoriam. — Laeto semper accipimus animo sacram aliquam expeditionem tantum fidei incrementum suscepisse, ut necesse sit eam de novis potioribusque subsidiis in Domino providere. Cum igitur Praefectura Apostolica *de Betafo* in insula *Madagascar,* ob actuosum missionariorum *de la Salette* studium, aucto fidelium numero, non minus quam fiorenti opera ac disciplina commendetur ; Nos, quo christiana religio ibidem facilius satiusque proferatur, eandem Missionem ad altiorem dignitatis gradum libentes promovemus. Quare, de consilio quoque V V. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Christiano nomini propagando praepositorum, Praefecturam Apostolicam *de Betafo,* in insula *de Madagascar,* de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, praesentium tenore, motu proprio, certa scientia et matura deliberatione Nostra, in Apostolicum Vicariatum, eodem ei servato nomine, erigimus et Constituimus. Novo propterea huiusmodi Vicariatui omnia et singula tribuimus iura, privilegia, honores, indulta, quae ad sacras has Missiones pertinent. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent, in omnibus et per

omnia plenissime suffragari: sicque iudicandum esse ac definiendum, irritumque atque inane fieri si secus super his, a quoquam, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non * obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV mensis augusti MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

II

PRAEFECTURA APOSTOLICA NIGERIAE OCCIDENTALIS IN VICARIATUM APOSTOLICUM ERIGITUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Summa afficimur laetitia, quum Nobis refertur sacram aliquam Missionem tam uberes in Domino fructus dedisse, ut eam ad potiorem dignitatis gradum evehere oporteat. Id de Praefectura Apostolica Nigeriae Occidentalis audivimus, ac de consilio etiam VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, eam in Vicariatum Apostolicum libenti quidem animo erigere statuimus. Quare ut catholico nomini aeternaeque fidelium saluti in Africa Septentrionali bene, prospere ac feliciter eveniat, atque ut suscepti labores ac fructus in Apostolica Nigeriae Occidentalis Missione latius multiplicentur, Apostolicam eandem Praefecturam motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, praesentium tenore, in Vicariatum Apostolicum, iisdem servatis nomine et limitibus, erigimus ac constituimus, cum omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis, praerogativis, indultis, quae ad huiusmodi Vicariatus Apostolicos pertinent. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque iudicandum esse ac definiendum, irritumque atque inani fieri si secus super his, a quoquam, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV mensis augusti MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

III

TEMPLUM B. MARIAE VIRG. DE MERCEDE IN CIVITATE BARCINONENSI TITULO ET PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS DECORATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Conspicua templa in memoriam magni alicuius eventus erecta, quaeque non minus artis operibus quam et cultus splendore et potissimum fidelium pietate praestent, de more institutoque Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, honoribus privilegiisque cumulare libenti quidem animo solemus. Itaque omnibus compertum et exploratum est, Barcinone, in urbe nobilissimae Hispanorum gentis praeclara, regale exsistere templum, quod singulare et celeberrimum illud ostentum in mentem revocat, quum septem abhinc saeculis, ineunte mense augusto anno MCCXVIII Deipara Virgo devoto filio suo Petro Nolasco, cupiditate flagranti christianos captivos ex immani infidelium servitute redimendi, sese conspiciendam obtulit. Perillustris huiusmodi aedes, in honorem B. Mariae Virginis a Mercede exstructa atque ob aucta fidelium numerum et pietatem, prioribus et sacello et templo, Dei Matri pariter sacris, substituta, tandem a. MDCCLXXV eidem Virgini dicata fuit ac multis spectatisque nominibus prae ceteris excellit. Eius enim amplitudo renidet arte, ac superpositus tholus, aeneum simulacrum Deiparae Virginis in summo fastigio ferens, eminus conspicitur. In interiore autem templi parte et super maius Altare pervetus Virginis Mercedoniae asservatur aliud simulacrum, catalaunica arte ex ligno mirifice sculptum, quod a sancto Petro Nolasco religiosissime traditum fuit. Incredibile memoratu est quam locupleti ac vere regio apparatu aeque ac innumeris donariis virgínea illa statua cohonestetur, quam non modo cives Barcinonenses, verum etiam universa gens Hispanica, et Catalauniae, Castellae ac deinceps omnium Hispaniarum Reges sunt imprimis eximia religione venerati. Neque praeterire fas est, eandem sacram aedem suo quoque tempore praestantissimus adiisse viros, qui, vitae sanctimonia ac recte factis Christi Ecclesia illustrata, altarium honores meruerunt. Quo in certamine pietatis Sacrorum Antistites Barcinonenses principem, ut par est, obtinuere locum, atque ab hac Apostolica Sede una cum clero et populo impetrarunt, ut B. M. Virgo a Mercede non solum ipsorum civitatis, sed totius Ecclesiae Barcinonensis praecipua declararetur Patrona. Lectum autem Capitulum ipsius Cathedralis Ecclesiae Barcinonensis simul cum Episcopo sollem-

nia in Deiparae Virginis Mercedoniae templo quotannis peragit, ac die anniversario Mariae Deseensionis Virgineum Simulacrum, e suo loco eductum, supplicationibus ac pompa in Ecclesia Cathedrali honorificentissimo cultui proponit, et festis inde celebratis, haud minore sollemnitate et confertissimo comitante populo ad suum sanctuarium restituit. Mira praeterea sunt studium ac sollertia tum parochi tum sacerdotum coadiutorum in suis inibi fungendis muneribus, neque sanctuario deest Collegium Beneficiariorum, quorum assidua opera templi decus quam maxime ad augetur. Denique fidelium utriusque sexus et cuiuslibet ordinis Sodalitates, quae religionem et caritatem exercent, Dei Matri honorem certatim praestant, ac statis etiam diebus et horis preces ante Eius Iconem effundere solent. Hoc mariale sanctuarium tot tantisque de causis celebratum, Romanorum quoque Pontificum, ut aequum est, sollicitudinem excitavit, atque ita festum Deiparae Virginis de Mercede Ordini Mercedonio a rec. me. Gregorio IX concessum, ab alio Decessore Nostro Innocentio XIII ad universam Ecclesiam extensum fuit, et fel. rec. Pius Papa IX eandem Virginem Mercedoniam sive Barcinonis sive cunctae dioeceseos Patronam constituit ac renuntiavit, dum Leo XIII tam insigne simulacrum aurea corona redimiendum sollemniter decrevit. Hisce insuper honoribus ac privilegiis aliae nonnullae sunt additae concessiones, nam indulgentiarum copiae, quibus et opus redemptionis captivorum et pietatis exercitationes ditata fuerunt, rec. me. Pius Papa X decessor Noster indulgentiam de Portiuncula nuncupatam adiunxit, et Nos ipsi, sanctuarii fama ac fidelium desiderio permoti, facultatem peramanter largiti sumus, cuius vi media nocte, diem quartum et vicesimum septembris praecedente, quo festum B. M. Virginis a Mercede celebratur, Sacrum in ipso sanctuario confici potest. Quae omnia venerabilem fratrem Henricum Reig et Casanova, praesulem Barcinonensem, votis ac suffragiis cleri populique fuitum, facile ad Nos rogandum induxerunt, ut hoc parochiale regale templum ad potiorem dignitatis gradum evehere dignaremur, ac Nos, omnibus et singulis mature perpensis, de consilio etiam V V. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sacris ritibus tuendis, huiusmodi preces benigne excipiendas existimavimus. Quare, praesentium tenore, Apostolica auctoritate Nostra memoratum parochiale regale templum, in honorem Deiparae Virginis a Mercede Barcinone erectum, Basilicae Minoris titulo perpetuum in modum augemus, illique omnia et singula conferimus iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta, quae minoribus huius almae Urbis Nostrae Basilicis.de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios atque integros effe-

ctus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque iudicandum esse ac definiendum, irritumque atque inane fieri si secus super his, a quoquam^uctoritate qualibet, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die x mensis septembris **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

IV

SUB EXITUM SAECULI VII EX QUO S. FRANCISCUS ASSISIENSIS PALAESTINAM ADIIT, FRATRUM MINORUM IN LOCIS SANCTIS CUSTODIENDIS LAUDANTUR PROMERITA, ET IURA, PRIVILEGIA, INDULGENTIARUM MUNERA, IIS AB APOSTOLICA SEDE CONCESSA, CONFIRMANTUR.

BENEDICTUS PP. XV.

Ad perpetuam rei memoriam. — Inelytum Fratrum Minorum conditorem, Franciscum Assisiensem in Palaestinam se contulisse et Sepulcrum Domini invisisse argumentis constat adeo certis et illustribus ut in dubium vocari non liceat. Nec minus consentiunt historici hoc iter ab eo habitum esse anno **MCCXIX** cum, fere biennio ante, alumnos aliquot in Syriam misisset qui Iesu Christi Evangelium, ubi primum insonuit, praedicando propagarent. Ex eo tempore usque ad hanc diem Fratres Minores ibi sine ulla intermissione manserunt, obtinentes Provinciam Terrae Sanctae, omnium quidem totius Franciscalis Ordinis nobilissimam quam Patriarcha sanctissimus fundaverat. Palaestinensia autem, quae divinus ipse christiani nominis Auctor consecravit, augusta religionis monumenta, Dei providentis consilio accidit ut et in manus Ecclesiae catholicae iure dominii et proprietatis cederent, et Ordini Fratrum Minorum conservanda ac tuenda committerentur. Etenim magna semper exstitit erga Fratres Minores, qui in Palaestina pro Christi gloria elaborarent, benevolentia Sedis Apostolicae: quam benevolentiam tum declarant Gregorii IX Apostolicae Litterae *Si Ordinis Fratrum Minorum,* anno **MCCXXX** datae, quibus ii Patriarchae Hierosolymitano et Antiocheno commendantur; tum non obscure hoc indicat quod pluries ad *Soldanos* Aegypti pro christianorum defensione apostolicas legationes obierunt. Eademque de causa Locorum Sanctorum possessionem mature nacti sunt, ac semper deinceps Romani Pontifices, occasione

oblata, privilegium eisdem Fratribus eadem Loca custodiendi confirmarunt. Ita Clemens VI in Constitutione *Gratias agimus* die **xxi** novembris **MCCCXLii**; Martinus V in Constitutione *Ad assiduum* die **vir** iulii **MCCCCXX**; et Innocentius XI qui in Constitutione *Exponi nobis,* anno **MDCLXXXVI** edita, haec habet: « Sancta Loca Palaestinae, sive Ter-« rae Sanctae, ac praesertim sanctissimum Domini-Nostri Iesu Christi « Sepulcrum, quemadmodum antehac per Fratres Ordinis Minorum ex « huius Sanctae Sedis Apostolicae concessione custodita fuerunt, ita in « posterum quoque ab iisdem Fratribus custodiri, regi et gubernari, « auctoritate Apostolica, tenore praesentium statuimus et ordinamus ». Quam varium vero et quam multiplex munus sit Fratribus Terrae Sanctae Custodibus, quantorumque laborum ac sumptuum, nemo est qui ignoret. Eorum est enim et divinum tueri cultum in sanctuariis Hierosolymae, Bethléem, Nazareth aliisque; et peregrinos undique, pietatis causa, advenientes gratuito hospitio accipere; et catholicis latinis ex Iudaea, Galilaea, Syria, Aegypto ac Cypro curam animarum impendere, scholis, orphanotrophiis praesidiisque eiusmodi adiunctis; et sacras Missiones ad infideles et acatholicos, maxime in Syria superiore et in Armenia constitutas, exercere. Iam molestias et incommoda omne genus ab iis hoc tanto tempore tolerata non facile quis explicet. Complures numerantur qui ex iis pro fide catholica vitam profuderunt; plurimi autem qui, pestilentia affectis inserviendo, caritatis martyres occubuerunt. Merito igitur fel. rec. Pius IX, anno **MDOCCXLVI** in Apostolicis Litteris *Romani Pontifices* ita eos dilaudavit: « Romanorum Antistitum « curis praeclare responderunt S. Francisci alumni, utpote qui nihil « plane laboris atque aerumnarum neque ipsius vitae discrimen recu-« sarunt, quo commisso officio satisfacerent ». Similiter fel. rec. Leo XIII in Apostolicis Litteris *Salvatoris ac Domini,* diexxvi decembris **MDCCCLXXXVII** datis: « Pontifices iam a vetustissimis temporibus ea ad loca, pretioso « Humanati Verbi sanguine purpurata, oculos convertentes, catholici « nominis gentes ad Christi Sepulcrum recuperandum excitarunt, et « postquam illud denuo in infidelium ditionem cecidit, et Fratribus « Minoribus S. Francisci Assisiensis tantummodo licuit ea asservare, « numquam destitere quin, quacumque ope possent, custodiae saltem « consulerent, et Fratrum eorumdem, quos neque persecutionum, neque « vexationum, neque saeva cruciatuum discrimina tanto unquam ab « incoepto deterruerunt, praesentibus necessitatibus pro re ac tempore « pro vidèrent ».

Cum autem qui Loca Sancta custodiunt, Franciscales opus in manibus habeant maximi impendii, cui quidem ipsi se inopes suppetere

non possunt, admiranda sane est divina benignitas quae catholicorum ex omni ordine largitatem in eorum subsidium excitare numquam destitit. Quo in genere Romani Pontifices nimirum ceteris anteire visi sunt, non solum pro sua ipsorum facultate opitulando, sed etiam vel praecipiendo ut in unaquaque orbis catholici dioecesi certae collationes pro Terrae Sanctae necessitatibus fierent, vel communi pietati in eamdem causam, propositis quoque Pontificalis Indulgentiae muneribus, stimulos addendo.

Haec Nos commemorata volumus, septimo iam exeunte saeculo, ex quo Seraphicus Patriarcha in Palaestinam venit; eo magis quod, considerantes quemadmodum his difticillimis temporibus Fratres Minores in Terrae Sanctae custodia se gesserint, eos videmus suorum maiorum laudibus omnino dignos exstitisse.

Quare cum sanctam et salutarem eorum operam magni a Nobis fieri profitemur, tum quam habent a decessoribus Nostris demandatam sibi curam Loca Sancta custodiendi, eam libentissime eisdem confirmamus cum omnibus iuribus, privilegiis et indulgentiis quibus usque adhuc usi sunt. Postremo tamquam *exclusivam* habentes normam a fel. rec. Leone XIII in Litteris, quas diximus, *Salvatoris ac Domini* traditam, Locis Sanctis subveniendi, quod is ibidem decrevit, idem Nos de Apostolica Nostra auctoritate decernimus « ut venerabiles fratres « Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii totius terrarum orbis loco- « rum Ordinarii, sub sanctae obedientiae vinculo curare teneantur, ut « respective in cuiuscumque dioecesis parochiali ecclesia, una saltem « singulis annis vice, nempe feria sexta maioris hebdomadae, vel alio « ad uniuscuiusque Ordinarii lubitum similiter tantum quotannis eligendo « die, fidelium caritati Sanctorum Locorum necessitates proponantur. «Pari autem auctoritate expresse interdicimus, atque prohibemus, ne «quis audeat vel praesumat eleemosynas pro Terra Sancta quomodo- « libet collectas in alios usus convertere atque immutare. Propterea « iubemus, collectas, et superius dictum est, eleemosynas parochum « Episcopo, Episcopum tradere proximiori Ordinis S. Francisci pro « Terra Sancta Commissario; hunc autem curare volumus ut eaedem « quam citius Hierusalem ad Sanctorum Locorum Custodem, ut moris « est, transmittantur ».

Has Litteras firmas et validas haberi volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv octobris, in festo S. Francisci Assisiensis, anno **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri quinto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

AD LUDOVICUM NAZARIÜM S. R. B. CARD. BÉGIN, ARCHIEPISCOPUM QUEBECENSEM, CETEROSQUE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS REGIONIS CANADENSIS: MUTUA INTER FIDELES CONCORDIA ITERUM COMMENDATA, DANTUR NORMAE QUOAD SCHOLASTICAM LEGEM A GUBERNATORIBUS ONTARII STATUS LATAM.

Dilecte fili Noster, venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Litteris apostolicis *Commisso divinitus,* quas ad vos dedimus die **VIII** septembris **MCMXVI**, clerum populumque catholicum regionis vestrae impenso studio hortabamur ut contentiones omnes animorumque simultates deponerent sive ratione stirpium exortas sive ex diversitate linguarum: simul autem monebamus ut si quas, his de causis, controversias in posterum agitari contingeret, eae caritate incolumi definirentur, *prout* scilicet *decet sanctos, sollicitos servare unitatem spiritus in vinculo pacis.*

Hortationem Nostram non in vacuum, tribuente Deo, cessisse gratulamur; ea etenim a fidelium coetu, non modo qua par erat observantia excepta fuit, verum etiam communi plausu ac laetitia, ut liceret ideo spem bonam concipere tranquillitatem et concordiam inter canadenses catholicos esse in posterum regnaturam.

At vero, haud multo post, quaedam infauste inciderunt, quae, etsi malae nullius menti tribuenda videntur, sed tamen initam perturbavere pacem ac nova discordiarum semina animis indiderunt. Hinc factum ut ex utraque parte concertantium iterum ad Nos appellaretur, Nosque, per sententiam Nostram, sequestri pacis invocaremur.

Agitur nempe de lege scholastica, quam Ontarii gubernatores iam inde ab anno **MCMXIII** sanciverunt pro scholis bilinguibus anglo-gallicis. Eam etenim- alii ut iniustam traduxere totisque impugnare viribus censuerunt: alii ex adverso nec adeo severe notandam nec tam acriter oppugnandam sunt arbitrati. Opinionum diversitatem sequutum est animorum discidium.

Cum igitur res tota sententiae Nostrae fuerit delata, Nos quaestionem, pro eiusdem gravitate, diligentissime perpendimus, et ab Emis etiam Patribus Cardinalibus S. Consilii Consistorialis perpendi mandavimus. Quapropter, omnibus considerate inspectis, hoc Nobis edicens dum duximus atque edicimus: Posse non iniuste Franco-Canadenses de dicta lege scholastica opportunas a Gubernio declarationes postulare,

simulque ampliora quaedam concedi sibi et desiderare et exquirere. Eiusmodi certe sunt: ut inspectores pro *scholis separatis* catholici destinentur; ut primis annis, quibus pueri scholas frequentant, in aliquibus saltem disciplinis tradendis, praesertim vero ac prae ceteris in christianae doctrinae institutione proprii ipsorum sermonis usus concedatur; ut liceat etiam catholicis *normales* quas aiunt scholas constituere ad magistros formandos. - Haec tamen omnia, et si quae utilia sunt alia, sic a catholicis petenda sunt ac persequenda ut rebellionis speciem ne habeant neque violentis aut non legitimis utantur modis; verum pacate ac modeste, ea videlicet adiumenta omnia adhibendo quae civium cuique ex lege legitimoque more permittuntur ad meliora assequenda quae sibi deberi autument. - Id autem, in re praesenti, eo securius ac liberius asserimus, quod suprema ipsa auctoritas civilis agnoverit et fassa sit legem scholasticam ab Ontarii gubernatoribus latam obscuritate aliqua laborare nec facile determinari posse quinam latae legis limites esse queant.

Hos ergo intra fines et modos Franco-Canadensibus libertas esto ad assequendas in lege scholastica interpretationes mutationesve quas optent. Nemo tamen, in posterum, in hac materia, quae ad catholicos omnes pertinet, tribunalia civilia adire ausit litesque inferre nisi conscio ac probante cuiusque Episcopo; qui quidem, in eiusmodi quaestionibus, nihil constituet nisi communicatis consiliis cum aliis sacrorum Antistitibus ad quos proxime res spectet.

Nunc autem ad universos Canadensis Dominii Episcopos fratres Nostros convertere sermonem libet, eisque hortationem, quam ante duos annos dedimus, toto studio imoque ex animo iterare; ut sint nempe *cor unum et anima una,* nec sit schisma inter ipsos neque ratione stirpium neque ratione sermonum. Unus enim atque idem Spiritus *posuit eos regere Ecclesiam Dei,* Spiritus videlicet unitatis et pacis. Sic utique, *forma facti gregis ex animo,*[1] maiore auctoritate et efficacitate fas erit vobis, venerabiles fratres, sacerdotibus vestris praescribere (et ut districte praescribatis praecipimus) ut animorum concordiam et ipsi servent et a fidelibus, verbo exemploque suo, servari contendant. Quem ad finem, placet hic iterum atque iterum commendare quae in prioribus Apostolicis Litteris commendavimus: *studeant* nempe *sacerdotes omnes in utraque lingua, anglica et gallica, peritiam usumque habere, invidiisque omnibus amotis, modo una modo altera utantur pro fidelium necessitate.*

Meminerint demum catholici fideles omnes nihil sibi antiquius esse

[1] I, PETR., v. 3.

posse ac debere quam caritatem servare invicem, sic enim se discipulos Christi probabunt: *In hoc cognoscant omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem;*[1] quod sane tum maxime'praestandum est quum dissensionum causae sive ex opinionum discrepantia sive ex utilitatum oppositione enascuntur. Severe autem moneri volumus tam e clero quam ex fidelium coetu universos, quicumque, contra Evangelium doctrinas ac praescripta Nostra, conflictationes, quibus Canadenses ad hoc tempus divisi fuerant, alere porro aut acuère ausint. Quod si, quod Deus avertat, parere quis detrectaverit, non dubitent Episcopi, antequam res ingravescat, eum ad Apostolicam Sedem deferre.

Divinorum munerum auspicem et peculiaris Nostrae benevolentiae testem, vobis, dilecte fili Noster ac venerabiles fratres, et gregi cuique vestrum commisso, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die **VII** iunii, in festo salatissimi Cordis Iesu, **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD R. P. D. IOANNEM IOSEPHUM KOPPES, EPISCOPUM LUXEMBURGENSEM, QUEM ANNOS L A SACERDOTIO SUSCEPTO COMPLENTEM GRATULATIONIBUS ET VOTIS PROSEQUITUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. - Variis sane animi sensibus afficimur tua causa; cum enim de natali sacerdotii tui quinquagesimo, qui appropinquat, tum de incommoda, qua laboras, valetudine facti sumus certiores. Ita, non sine Dei consilio, in humanis fit rebus ut gaudia interdum permisceantur doloribus. Nos vero qui tuam iampridem novimus vel constantiam in religione tuenda vel in apostolica colenda Sede pietatem, facere non possumus quin te simul gratulatione et consolatione prosequantur. Quare illud enixe a Deo petimus, quod est tuis omnibus optatissimum, ut, valetudine confirmata, istius ecclesiae bono, in quam studium, laborem, industriam diu contulisti, alacritate pristina prospicere possis: idque multos annos meritorum similiter plenos. Faustitatis eius autem augendae causa, tibi liceat cum libuerit, vel per te vel per alium, benedictionem praesentibus cum plenaria indulgentia nomine et auctoritate Nostra, usitatis condicionibus, semel impertire. Ac caelestium auspicem munerum praeci-

[1] IOAN., XIII, 35.

puaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et clero populoque qui tuis est curis concreditus, apostolicam benedictionem amanter in Domino largimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxi mensis augusti **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV

III

AD IACOBUM S. R. E. CARD. GIBBONS, ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM, CUI NATALEM EPISCOPATUS QUINQUAGESIMUM PROPEDIEM ACTURO GRATULATUR EX ANIMO.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. - Iucundum sane nuntium nuper accepimus: proximo mense octobri, cum fauste natalem ages episcopatus tui quinquagesimum, communibus laetitiae et amoris significationibus te tuos cives prosecuturos esse. Profecto tam illustri loco in Americae conspectu, ob merita, laus tua sita est, ut mirari haud liceat si, non modo dioecesis tuae clerus populusque, qui quidem sunt tibi beneficio devincti, sed etiam quotquot istic sunt, omnis ordinis, virtutis tuae spectatores honore te complectantur. Fruare igitur, tanta plaudentium stipatus corona, pietatis et observantiae fructu ; illud considerans maiorem certe tot laborum tuorum remunerationem ab eo tibi esse expectandam « qui reddet unicuique secundum opera eius ». Nos vero, cum grates tecum sospitanti te Deo persolvamus, tum libenter istam faustitatem ex gratulatione Nostra cumulatam esse volumus: siquidem gratum Nobis est eos praecipuis paternae caritatis officiis ornare qui diu boni pastoris partes, ut tu fecisti, expleverint. Quare laetabilis diei mnemosynon ad te mittimus, quod simul voluntatem in te Nostram testatur, Deumque precantes ut salutariter tuis optatis respondeat, facultatem tibi facimus ut eo die, sollemni sacro perfunctus, nomine Nostro praesentibus benedicas, plenariam eisdem admissorum veniam proponens, consuetis condicionibus, lucrandam. Ac caelestium auspicem munerum peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, tuisque omnibus apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die iv mensis septembris **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

IV .

AD R. P. D. HENRICUM REIG Y CASANOVA, EPISCOPUM BARCINONENSEM, CUI MUNUS SUAE GERENDAE PERSONAE IN PROXIMO MARIALI CONVENTU DEFERT.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. - Dum sacra sollemnia Barcinone in nobilissima urbe, ob institutum ante annos **DCC** Deiparae nutu Mercedarium Ordinem, celebrantur, optimum sane iniistis consilium conventus ibidem, uti accepimus, habendi, quo marialis cultus cotidie magis promoveretur. Equidem gaudemus id ipsum vobis impensae esse curae quod ad salutarem christianae vitae et morum instaurationem summopere conferre perpetuo Ecclesia sancta experta est: qui enim vere Mariam diligit, idem virtutum quoque laude floreat necesse est. Opportune autem accidit ut in hac maxime asperitate temporum magnum Virginis patrocinium laboranti humano generi conciliare studeatis. Itaque dignam prorsus pietate vestra vos rem propediem agetis. Hoc enim habet hispanus populus, tamquam hereditate a maioribus sibi traditum, ut cum profitendae fidei ardore, tum singulari . quadam in augustam Dei Matrem religione nobilitetur. Nos igitur, cum velimus conventum istum participando augere, Te his litteris eligimus qui eidem nomine Nostro praesideas. Tu vero, paterna qua sumus erga omnes qui convenient benevolentia, caelestium auspicem munerum apostolicam eis afteres benedictionem, quam tibi primum, venerabilis frater, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xi mensis septembris **MCMXVIII,** Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP! XV

V

AD VICTORIANUM S. R. E. CARD. GUISASOLA Y MENENDEZ, ARCHIEPISCOPUM TOLETANUM, NATALEM EPISCOPATUS QUINTUM ET VICESIMUM PROPEDIEM CELEBRATURUM.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quamquam in obsequio apostolicae Sedis concedere te nemini iam cognoveramus, valde tamen officium dileximus litterarum tuarum, in quibus significabas proxime tibi ob memoriam episcopatus tui abhinc xxv annis

initi haud plenum tibi fore gaudium, nisi Nosmet ipsi in tuae fausti - tatis partem veniremus. Venimus equidem perlibenter: idque non solum ut optato tuo, sed etiam ut mutuae voluntati in te Nostrae satisfaciamus. Novimus enim nihil te reliqui hoc toto tempore fecisse, quod ad agendam tuendamque Iesu Christi causam pertineret. Itaque haec tibi gratulantes promerita, illud magnopere a Deo petimus ut quam diutissime, ad suam gloriam animarumque salutem, pergat alacritatem tuam fovere. Quo autem in publicam pietatem fructuosior ista episcopalis tuae consecrationis commemoratio cedat, in eum diem tibi damus ut, sacro sollemniter peracto, papalem benedictionem adstantibus cum plenaria admissorum venia, usitatis condicionibus, largiaris. Ac caelestium auspicem munerum peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, cunctoque tuo clero et populo, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvn mensis septembris MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

VI

AD PETRUM S. R. E. CARD. LA FONTAINE, PATRIARCHAM VENETIARUM, CUIUS OFFICIOSIS LITTERIS EX SACRA SPIRITUALIUM EXERCITIORUM SECESSIÓNE DATIS RESCRIBIT.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae in proximis litteris, communiter cum pluribus de tuo clero ad Nos datis, significaveras, ea Nobis pergrata acciderunt, siquidem optimis digna filiis visa sunt. Cum enim statis divinarum rerum commentationibus una vacaretis, nihil fuit vobis antiquius quam conceptum inde animorum fervorem testimonio praeclarae vestrae in Nos pietatis cumulare. Profecto maxime in hac temporum inclinatione Nos consolatur sacerdotum bonorum diligentia; qui quidem sui memores officii, excitato saepius in secessione spiritu, incensiore in dies studio, cum Christi Vicario coniuncti, sancta obire ministeria contendant. In quo certe plurima etiam communis salutis spes continetur, itaque vobis gratulamur vehementer; in primisque tibi, dilecte fili Noster, in cuius laude merito singularis quaedam pastoralis sollertia atque cura ponenda est. Vestrum erit, ut certe facietis, istam retinere alacritatem : Nos vero ut propositi vestri constantiam salutarium copia fructuum consequatur,

datorem munerum Deum enixe rogamus. Quorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, et omnibus qui tecum convenerunt, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx mensis septembris **MCMXVIII,** Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

VII

AD R. P. D. FIDELEM OLIVAS ESENDERO, EPISCOPUM AYAGUQUENSEM, QUI DIOECESANAM SYNODUM PROPEDIEM COACTURUS ERAT.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Dioecesanam Synodum istic, te instante, propediem coactum iri, didicimus ex tuis litteris perlibenter. Gratulamur sane tibi hoc pastoralis sollertiae tuae documentum: experti enim novimus ex huiusmodi conventibus quam praeclara soleant, ad religionem fovendam disciplinamque roborandam, adiumenta exsistere. In id magnos certe usus afteret nuper promulgatus *Codex Iuris Canonici,* cui recte vos, ut scribis, synodales praescriptiones accommodare studebitis. Incumbite igitur alacriter in hoc tam salutare propositum, quod optime quidem auspicati estis insigni vestra in Vicarium Iesu Christi pietate observantiaque profitenda. Nos vero ut prospere, quod est in optatis, vestra consilia et studia cedant, opportunam vobis divinae benignitatis opem rogamus. Cuius auspicem praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et omnibus qui coetibus intererunt, apostolicam benedictionem amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die **II** octobris **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

VIII

AD R. P. DOMINICUM MARIAM TAVANI, ORDINIS FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM VICARIUM GENERALEM, DE S. FRANCISCI CORPORE ABHINC CENTUM ANNIS IN HYPOGEO ASSISIENSIS BASILICAE INVENTO.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum ad christianos spiritus vulgo refovendos permultum Nos, aeque ac decessores Nostri, in franciscanis institutis inesse putemus^ si quidem late in populis vigeant et floreant, - fuit enim miranda quaedam Iesu Christi imago Franciscus isque in perturbatione rerum huic non dissimili hominibus illuxit, - quidquid auspicato contingit quod memoriam renovet cultumque excitet sanctissimi Viri, id sane Nobis perlibentibus contingit. Praeclara huius generis occasio proxime aderit cum annus conficietur centesimus a sacro eius corpore invento; quod cum in hypogeo Assisiensis Basilicae, quae ecclesiarum vestri Ordinis mater est et caput, feliciter evenerit, recte vos quidem estis hanc rei faustitatem, quantum patiuntur tempora, commemoraturi.

Profecto dignissimi res est quae illustribus pietatis ac laetitiae significationibus celebretur; valdeque Nobis probatur consilium vestrum ea celebriora sollemnia differendi in annum **MCMXX**, saeculo exeunte ex quo decessor Noster Pius VII, fel. rec, per Apostolicas Litteras *Assisiensem Basilicam* edixit « constare de identitate corporis nuper sub ara maxima « inferioris Basilicae Assisiensis inventi, illudque revera corpus esse « sancti Francisci Ordinis Minorum Fundatoris ».

Nos interea quo sacra sollemnia in triduum quae proximo mense decembri, non solum in vestra Assisiensi Patriarchali Basilica, sed etiam in ceteris aedibus tum vestris tum ceterarum franciscanum familiarum agentur, augustiora exsistant, damus ut quicumque eis sollemnibus interfuerint, toties indulgentiam **VII** annorum totidemque quadragenarum lucrentur; qui vero, rite confessi, sacra de altari libaverint, plenariam peccatorum veniam semel adipiscantur. Faveat communibus votis Patriarcha sanctissimus, hoc suis et alumnis et cultoribus impetrando, ut, iuste et pie viventes, plurimum ad societatis humanae salutem, pro sua quisque facultate, conferant. Ac caelestium auspicem munerum praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, cunctaeque isti religiosorum familiae, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die iv mensis octobris, in festo sancti Francisci Assisiensis, **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

IX

AD R. P. D. IACOBUM STAMLER, EPISCOPUM BASILEENSEM ET LUGANENSEM, CETEROSQUE HELVETIAE EPISCOPOS, QUI PIETATIS IN APOSTOLICAM SEDEM TESTANDAE CAUSA COMMUNES DE MORE LITTERAS MISERANT.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Pro vestro Apostolicae Sedis studio fecistis ut,-cum in aliud tempus differre conventum annuum statuissetis, tamen pietatis observantiaeque sensibus non omitteretis per communes litteras Nos prosequi. In quibus ante omnia commemoratio sane tristis inerat de Sedunensis Episcopi, collegae vestri pientissimi, obitu, quem quidem Nos vehementer vobiscum dolemus. Tum facere non possumus quin laudibus sollertiam vestram ornemus; quandoquidem in omnibus, quae agenda praecepimus vel suasimus, alacres vos semper atque promptos experti sumus. Ut nuper cum *Codicem Iuris Canonici* promulgavimus cumque in festum Apostolorum Principum sollemnem supplicationem indiximus: quo die non modo vos vestrumque clerum Nobiscum litavisse, sed populum etiam, ut scribitis, frequentem sacra de altari libasse, pergratum Nobis est perque iucundum. Quod autem gratos Nobis animos profitemini de captivis qui, Nobis instantibus, in finibus Helvetiae valetudinis causa custodiuntur, gratiam vicissim habemus vobis, venerabiles fratres, qui, urgente Christi caritate, ad ipsorum «leniendos dolores mirificam Nobis operam navare consuevistis. Remuneretur vos Deus suorum copia munerum, precamur. Quorum auspicem praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, venerabiles fratres, vestrisque gregibus, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die xm mensis octobris MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS XV

X

AD LUDOVICUM NAZARIUM S. R. E. CARD. BÉGIN, ARCHIEPISCOPUM QUEBECENSEM, DE IIS QUAE SUMMUS PONTIFEX EX APOSTOLICI OFFICII CONSCIENTIA HOC BELLO GESSIT.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Animus tuus, Nobis et huic Apostolicae Sedi singulariter deditus, omnis in eis tuis litteris apparet, in quibus gratias Nobis agens diligenter quod clarissimo viro finem diuturnae captivitatis impetravimus, occasione uteris ut universam instituti Nostri rationem, quae adhuc bello fuerit, attingas. Ea quidem apertior cuilibet et clarior est quam ut illustranda videatur. Exarserat iam per Europam hic armorum furor, quando ad Pontificatum maximum evecti sumus: cumque id incendium circumscribere Nobis non liceret, nedum restinguere, conari coepimus quod unum restabat, ut coniuncta huic tanto malo incommoda, quantum esset in Nobis, mitigaremus. Hinc illa excogitata Nobis, alia ex aliis caritatis officia variis miseriis angoribusque sublevandis: quae tu officia enumerans, iure affirmas Nos in iis tribuendis nullum inter belligérantes fecisse discrimen. Eodem consilio, quod universitati gentium salutare foret, ut caedes vastationesque unirentur, Nos, quotiescumque tempus visum esset, pacem, scilicet cum iustitia cohaerentem, suasisse, egregie défendis, dolens Patris vocem hortationemque neglectam tum praesertim, cum ea, qiiae sola viderentur esse posse rei componendae capita proposuisset. Equidem isto pacto caritati Nostrae esse responsum moleste tulimus; nam quis crederet futurum, ut quod a Nobis profectum esset munus paterni amoris ad homines inter se reconciliandos, id ipsum con verteretur adversum Nos in materiam popularis odii? Quamquam hac in re non tam est miranda quorumdam improbitas qui Nos de studio alterutrius partis acriter in vulgus accusarint, quam multorum temeritas, qui vanissimae criminationi fidem adiunxerint. Iam vero hanc iudicii levitatem nequaquam in Ganadensibus utriusque linguae catholicis esse reprehendendam, qui Nobiscum semper de hoc bello una et mente et voce consenserint, libentissime ex tuis quoque litteris cognoscimus; idque consentaneum est eorum in hanc Apostolicam Sedem summae observantiae ac pietati quam tu Nobis diserte confirmas. De hoc igitur solatio, quod amantissimi filii Nobis afferunt, volumus ipse eis, nomine Nostro, gratias persolvas. Quod ad ceteros attinet, non desperamus fore ut demum intelligant quanto in errore versati sint; habet enim omnino hoc veritas ut

nulla unquam vi possit adeo obscurari et deprimi, quin aliquando pulcrior emergat. Nos autem nihil pensi habentes quid homines, praeiudicatis opinionibus addicti, de Nobis iudicent, perseverabimus, quidquid pro apostolico officio debemus, exsequi, Eius nimirum freti praesidia qui nobiscum « omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » se fore promisit. Auspicem divinorum munerum ac testem singularis Nostrae benevolentiae, apostolicam benedictionem tibi, dilecte filii Noster, universoque clero et populo Ecclesiae Canadensis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvi mensis octobris MCMXVIII,. Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

L

DESIGNATIO QUORUNDAM ORDINARIORUM PRO APPELLATIONE A METROPOLITIS.

Cum ex praescripto can. 1594, § % statutum sit ut « a causis in « prima instantia pertractatis coram Metropolita appellatio fiat ad loci « Ordinarium, quem ipse Metropolita, probante Sede Apostolica, semel « pro semper designaverit »,

Emus ac Rmus Archiepiscopus Mediolanensis designavit Ordinarium Papiensem.

Rmus Archiepiscopus Mutinensis, Ordinarium Regiensem in Aemilia,.

Rmus Archiepiscopus Syracusanus Ordinarium Netensem.

Rmus Archiepiscopus Montisregalis, Ordinarium Agrigentinum.

Rmus Archiepiscopus Tolosanus, Ordinarium Carcassonensem.

Rmus Archiepiscopus Strigoniensis, Ordinarium Jaurinensem.

SSmus D. N. Benedictus PP.*XV, audita relatione Emi Secretarii S. C. Consistorialis, designationes ut supra factas approbare dignatus est.

IL

PROVISIO ECCLESIARUM.

S. C. Consistorialis decretis, Ssmus D. N. Benedictus PP. XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

29 iulii 1918. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Amidensi praefecit R. P. D. Ioannem Bapt. Pitaval, hactenus archiep. de S. Fide in America.

3 septembris. — Cathedrali ecclesiae Pictaviensi R. P. D. Oliverium Mariam de Durfort de Civrac de Sorge, hactenus episcopum Lingonensem.

24 septembris. — Cathedrali ecclesiae Lublinensi (ritus latini) R. D. Marianum Fulman, parochum S. Sigismundi loci *Czestochowo.*

— Cathedrali ecclesiae Podlachiensi seu de *Janow* (ritus latini), R. D. Ignatium Puzézdziecki, protonotarium apostolicum, vicarium generalem archidioecesis Varsaviensis.

24 septembris 1918. — Cathedrali ecclesiae Cameneciensi (ritus latini) R. D. Petrum Mankowski, iam parochum in civitate Kamenetz et officialem Curiae episcopalis Zytomiriensis.

29 septembris. — Cathedrali ecclesiae Rigensi (ritus latini), nuper instauratae, R. D. Eduardum O'RourJce, parochum ecclesiae S. Stanislai in civitate Petropolitana.

30 septembris. — Titulari episcopali ecclesiae Eucarpiensi R. D. Ernestum Seydl, antistitem urbanum, parochum imperialis et regiae domus Austriae.

—- Metropolitanae ecclesiae Compsan., cui perpetuo unita est administratio ecclesiae Campanien., R. P. D. Carminem Cesarano, hactenus episcopum Octeriensem.

1 octobris. — Titulari episcopali ecclesiae Troadensi R. P. D. Antonium Bassani, hactenus episcopum Clodiensem.

7 *octobris.* — Metropolitanae ecclesiae Salisburgensi R. P. D. ignatium Rieder, hactenus episcopum titularem Surensem et in eadem Salisburgensi ecclesia auxiliarem.

23 octobris. — Cathedrali ecclesiae Vilnensi, R. D. Georgium Matuiewicz, moderatorem generalem Congregationis CC. RR. Marianorum ab Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis.

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

12 augusti 1918. — *Episcopus coadiutor cum futura successione Vicarii Apostolici Insulae Fidgis* R. P. Carolus Iosephus Nicolas, e Societate Mariae.

24 augusti. — *Vicarius Apostolicus de Kasai Superiore* R. P. Augustus de Clercq, e Congregatione Cordis Immaculati B. M. V.

— *Vicarius Apostolicus Nigeriae Occidentalis* R. P. Thomas Broderick, e Societate Missionum ad Afros.

— *Vicarius Apostolicus novi Vicariatus Apostolici « de Betafo » in insula Madagascar* R. P. Franciscus Dantin, e Congregatione Missionariorum « de la Salette ».

— *Vicarius Apostolicus «de Femando Poo* » R. P. Nicolaus Gonzalez Perez, e Congregatione Filiorum Cordis Immaculati B. M, V.

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

CAIETANA

MATRICITATIS

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio, die **10** *augusti anni* **1917,** *BR. PP. DD. Aloisius Sincero,* Ponens, *Fridericus Gattani-Amadori et Petrus Rossetti, Auditores de turno, in causa* Gaietana ***y*** Matricitatis, *inter Dnum* Valerianum Ferracci, *Abatem Parochum S. Angeli loci Valliscursae, repraesentatum per legitimum procuratorem Thomam Ambrosetti, advocatum, et Dnum* Hieronymum Ricci, *Abatem Parochum S. Mariae eiusdem loci, prius repraesentatum per procuratorem Thomam Ambrosetti, dein per seipsum iura sua dicentem, et Dnum* Ioseph De Bonis, *archispresbyterum S. Martini eiusdem loci, conventum, per seipsum iura sua dicentem, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

In oppido, cui nomen *Vallecorsa,* Caietanae dioeceseos, tres ab antiquo exsistunt ecclesiae parochiales, ecclesia scilicet S. Martini, ecclesia S. Angeli et S. Mariae: rector ecclesiae S. Martini archipresbyteri nomen obtinet, ceteri ecclesiarum rectores abbates vocantur.

Unicuique ecclesiae praeter rectorem duo alii sunt addicti sacerdotes, qui canonici appellantur, quique cum rectore quandam figuram capituli efformant; capitula autem trium ecclesiarum, veluti coalescunt in unum corpus seu capitulum.

Inter clerum trium ecclesiarum inde ab omni antiquitate adest quaedam societas seu communio, vi cuius clerici unius interveniunt in solemnitatibus alterius, alternative celebrant festivitates, et Missam canunt per turnum in singulis ecclesiis, certis tantum exceptis solemnitatibus. At quia communio est mater^discordiarum, antiquissimae et graves pariter sunt inter tres ecclesias earumque clerum discordiae, ita ut heic

applicari possint, quae in casu consimili iam animadverterat Cardinalis De Luca, nempe istam unionem seu societatem, quae antiquis temporibus charitatis, maiorisque cultus divini commendabilia habuit motiva, tractu temporis magnas attulisse discordias et aemulationes, adeo ut non solum ipsarum ecclesiarum clerici, sed etiam parochiani, seu illi de populo viventes inter cuiuslibet limites, ab infantia quandam naturalem contrahant aemulationem *(De Praeem. disc,* 42, n. T).

Cum enim augerentur abusus in functionibus ecclesiasticis, iam ab anno 1679, die vero 5 ianuarii, inita fuit quaedam concordia, approbata et subscripta a rectoribus et canonicis trium ecclesiarum circa consuetudines observatas et observandas in functionibus ecclesiarum Valliscursae.

At anno 1688, mense maio, occasione praetensidnis tunc excitatae ab abbate Sancti Angeli, Costantino Cimaroli, faciendi in dicta sua ecclesia functiones ecclesiasticas die Dominico Palmarum et Sabbato Maioris Hebdomadae, lis orta est, et plures testes, quorum testimonia infra expendenda erunt, formiter examinati fuerunt, donec, anno 1692, die 14 ianuarii, controversia composita fuit per concordiam seu transactionem, mediante publico instrumento exarato per acta notarii Bernardini Trapani, quo abbas et canonici Sancti Angeli perpetuis futuris temporibus observare ad unguem promiserunt quidquid servatum fuerat ab archipresbytero Sancti Martini, Andrea Cecio, et abbate Sancti Angeli, Andrea Cherubino eorumque antecessoribus « e a quello non contravenire, sì nelle funzioni di Sabbato Santo e Domenica delle Palme, quali « sempre si sono fatte e si fanno nella chiesa di S. Martino, come anche « in tutte le altre funzioni ecclesiastiche, prerogative e ricognizioni, che « *ab antiquo* le si sono osservate », etc.

Ad dignoscendas vero istas consuetudines observatas ab archipresbytero Cecio et abbate Cherubino, anno 1693, die 18 iunii, ad instantiam archipresbyteri .et canonicorum ecclesiae S. Martini rogata fuit a notario Francisco Dori attestatio abbatis et canonicorum S. Mariae, recensens praerogativas nonnullas et iura tunc usque servata favore ecclesiae S. Martini, quae attestatio maximi est momenti, ut infra patebit.

Deinde, ut praetermittamus quaestionem iam inde ab anno 1638 exortam circa sacras vestes, quibus induti abbates acciperent communes reliquias in ecclesia S. Martini easque processionaliter déferrent certis diebus, necnon alteram controversiam super iure exercendi iuria parochialia in domo gubernatoris Valliscursae et in ipso pro tempore gubernatore per abbatem Sanctae Mariae post sex menses a die accessus ad dictam terram Valliscursae, quae controversiae in possessorio in favorem

respective abbatum definitae fuerunt per sententiam A. C. die 1 decembris 1751 et sententiam S. R. Rotae die 26 februarii 1753 coram Canilliac, gravior eodem tempore existit controversia inter archipresbyterum •et abbates, ab archipresbytero excitata, eo quod contenderet suam ad parochiam pertinere incolas quotquot habitarent continenter ad portas, non modo superiores oppidi, sed ad eas quoque quae sine dubio in aliis parochiis erant positae. Archipresbyter, per sententiam A. G. die 1 decembris 1750 latam, obtinuit manutentionem in possessione, vel quasi privative perpetuo exercendi iura omnia parochialia in omnibus et singulis domibus, et habitationibus extra moenia, extraque omnes et qualescumque portas terrae Valliscursae et in toto territorio Valliscursae extra eius moenia, sicut in diversorio, laniario et hospitaii et eremitis, ac respective super advenis, et forensibus in praefato oppido intra ambitum illarum parochiarum, quae spectabant ad ecclesias Sancti Angeli et Sanctae Mariae spatio primorum sex mensium morantibus. Delata vero causa ad Sacram Rotam, quum sententia A. C. ob lapsum fatalium transiisset in rem iudicatam, disputatum est de causis restitutionis in integrum, ideoque acta est causa non solum super possessione, sed etiam super titulo, matricitatis nempe propriae vel impropriae titulo. At malo fato, non expectata decisione quae futuras quoque lite fortasse praecayisset, causa finem habuit per concordiam die 13 septembris 1753 initam, qua iura tum archipresbyteri tum abbatum aequo modo composita quidem fuerunt, sed novis discordiis et litibus patuit aditus.

Brevi autem abhinc tempore cum parochi Sancti Angeli et Sanctae Mariae postulassent a S. Congr. Concilii ut erigi posset in suis ecclesiis fons baptismalis, qui in una ecclesia S. Martini habebatur, latius et diffusius actum quoque est in ea causa de matricitate ecclesiae Sancti Martini; at S. Congregatio sententiis datis 28 februarii 1903 et 22 ianuarii 1904, parochiis Sancti Angeli et Sanctae Mariae fontem baptismalem concessit, salva tamen quaestione de matricitate.

Tandem, cum anno 1912 S. Congr. Concilii ad quaestiones componendas, quibus a saeculis clerus et populus Valliscursae divexatur, et ad pacem, si fieri posset, instaurandam inter archipresbyterum et abbates, visitationem apostolicam in dicto oppido indixisset, et apostolicus visitator inter alia proposuisset ecclesiam Sancti Martini non amplius appellandam esse matricem sed digniorem, modernus archipresbyter S. Martini querelas apud S. Congr. Concilii movit eo quod apostolicus visitator suae ecclesiae iura ac praesertim eiusdem matricitatem laesisset. Disputatum itaque est coram S. Congr. Concilii cum primis de matricitate sub dubio: *An constet de matricitate ecclesiae S. Martini, m casu;* at

S. Congregatio, die 14 martii 1914, respondit: *Ad mentem.* Mens est: « La chiesa di S. Martino continui ad aver l'appellativo di matrice, « salvo il diritto alle parti di far decidere la questione dal Tribunale « della S. Rota, *iuris ordine servato* ». Proposita autem iterum causa die 13 iunii eiusdem anni, S. Congregatio itidem edixit expectandam esse sententiam definitivam tribunalis S. R. Rotae circa matricitatem.

Commissa igitur N. S. O. hac causa, quae, ut ex dictis patet, implexa est atque difficilis, ea nunc definienda venit sub proposito et concordato dubio: *An et quo sensu constet de matricitate ecclesiae Sancti Martini, in casu.*

Nomen matricis non uno in sensu in iure accipitur, sed modo strictiorem modo largiorem habet significationem.

Ut autem praetermittamus matricitatem ecclesiae Cathedralis, quae in iure frequenter quidem appellatur matricitas propria, sed est potius ficta et privilegiativa, ut bene advertit De Luca *(Praeeminent.,* Summ. I, 13), tripliciter ecclesia solet dici matrix, quemadmodum idem De Luca explicat *De decimis,* disc. 12, n. 12-13;

« Primo nempe potius improprie quia ob parochiae amplitudinem « aliae erigantur vel destinentur ecclesiae inferiores, intra eius limites exi- « Stentes, quarum servitio praeficiantur vicarii vel clerici, pro commodiori « exercitio curae et administrationis sacramentorum absque tamen earum «formali erectione in titulum. Et tunc quamvis istae ecclesiae vulgo « dici soleant filiales ipsaque parochia antiqua comparative dicatur matrix, « attamen ista est impropria locutio, quoniam vere non adest haec dif- « ferentia matris et filiae, sed parochia remanet in eius propria unitate, « istae vero ecclesiae inferiores dicuntur adiiutrices seu membra... Altera « est species matricis comparative ad alias parochias in loco existentes, « ab ea tamen independentiam habentes, quae tales dicuntur ratione « antiquitatis sive alicuius maioris praeeminentiae, et pariter improprie « matrix dicitur, quum aliae ecclesiae non sint filiae; sed potius dicitur « ecclesia maior seu prima in loco ad effectum ut ibi maiores solemni- « tates celebrari debeant, atque ad eam aliae inferiores accedere. Tertia «demum est species... in qua proprie una dicitur matrix comparative « ad alteram uti filiam, ubi scilicet ex una parochia efficiantur duae « vel plures, quoniam prima revera est aliarum mater, dum ex eius « territorii ac populi parte aliae efformatae sunt. Ideoque isti tres ter- « mini distinguendi veniunt ob longam distantiam, quae inter unum et « alium dignoscitur: neque ex eo quod aliqua ecclesia matricis nomen « seu aliquas praeeminentias habeat, indefinite matricitatis effectus resul-

« tant, cum istud nomen ad alias causas, ut supra, valeat referri, ideoque « diversi sunt effectus ».

Ita matricitatis sensu explicato, dubium propositum duas habet partes, quarum prima, an constet de matricitate ecclesiae Sancti Martini, eo tantum spectat utrum ecclesia S. Martini ius habeat ad nomen matricis, praescindendo nunc a quaestione matricitatis propriae vel impropriae.

Porro primam dubii partem quod spectat, procul dubio constat de matricitate ecclesiae S. Martini, deque eius iure ad nomen matricis.

Ut enim ex fere munitis argumentis, quae in favorem matricitatis ecclesiae S. Martini militant, nonnulla tantum antingamus, testes omnes, qui annis 1689 et 1690 ex Commissione S. Congr. Rituum rite et recte examinati fuerunt, unanimi consensu ecclesiam Sancti Martini appellant matricem, ceteras autem filiales. Marcus Aurelius Rita, parochus ecclesiae S. Mariae, ita sub iuramento testatus est (14 martii 1690): « Depongo « come cittadino di detta terra, e sono più di 33 anni che sono abate «parroco di S. Maria di detta terra di Vallecorsa, so benissimo e ho « veduto che in detta terra sono tre chiese parrocchiali, una sotto il « titolo di S. Martino, che è la matrice così tenuta e stimata da tutti « i cittadini . . . . un'altra sotto il titolo di S. Angelo che è filiale, ed « un'altra similmente filiale sotto il titolo di S. Maria, ora retta da me, « testimonio... E so ed ho veduto che in detta chiesa matrice di S. Mar- « tino... E so che tutte le cose suddette sono notorie e da che io mi «posso ricordare le cose predette sono state sempre osservate, anzi da « persone più vecchie di me che sono state e sono in detta terra di « Vallecorsa ho inteso dire che così si è osservato da tempo immemo- << rabile...». Caesarius Ianucci: « che in detta terra vi sono tre chiese « parrocchiali, una sotto il titolo di S. Martino, che è la matrice e pri- « maria in detta terra di Vallecorsa, così da tutti comunemente tenuta «e stimata... e un'altra sotto il titolo di S. Angelo... che è filiale... e « un'altra similmente filiale sotto il titolo di S. Maria... ».

Idem deposuerunt Franciscus Quattropani et Franciscus Mattia, canonici ecclesiae S. Mariae, in testimonio quod una cum Marco Aurelio Rita ediderant die 3 aprilis a. 1689, Nicolaus Madeccia, Bonaventura Giuliani, Marcus Antonius Capirchio, etc. Et Honoratus Paganus, Notarius et Curiae Fundanae (cui tunc pertinebat Valliscursa) Cancellarius testatus est: « qualiter perquisitis libris Sacrarum Visitationim aliisque « originalibus scripturis Episcoporum Fundan, praeteritorum et prae- « sertim ab anno 1599 usque ad annum 1687 inveni pluries et semper « in iis descriptam et denominatam Ecclesiam S. Martini terrae Vallis-

« cursae Fundan, dioecesis Baptismalem parochialem, Matricem et « maiorem... ».

Dein supremi momenti est attestatio Abbatis et canonicorum Sanctae Mariae rogata a notario Francisco Dari die 18 iunii 1893, in sequelam transactionis initae die 14 ianuarii 1692 quam supra memoravimus •et Statuta anni 1725. In illa Marcus Aurelius Rita, Canonicus Franciscus Quattropani et Rocchus Meliori testati sunt: «Primo. Qualmente « la Chiesa Archipresbiterale... sotto il titolo di S. Martino, come la più << antica, maggiore, e unica Battesimale *è stata sempre rispettata, nomi- « nata e tenuta comunemente senza contradizione alcuna Matrice rispetto ^ alle altre due parrocchiali di S. Angelo e di S.. Maria di detta Terra,* « non solo da tutti universalmente ma anco da Vescovi *pro tempore,* e « come tale sempre ha goduto pacificamente... *ab immemoràbili tempore,* « di che non vi è memoria in contrario, e gode di presente rispetto alle « dette due altre parrocchiali... fra l'altre prerogative e recognizioni... ». In Statutis vero, quae sine contradictione referuntur ad annum 1725, quaeque inscribuntur: *Statuti, consuetudini, alternative e reciprocanze, che si praticano nelle Chiese di Vallecorsa...* legitur: « Del resto la verità « è che delle tre chiese parrocchiali più volte menzionate, la chiesa più « antica, primaria e maggiore, è stata sempre stimata quella di S. Mar- « tino, alla quale i Vescovi *pro tempore* hanno dato anche il nome di *« Matrice,* e per tale è stata descritta in più e diverse scritture... ». Iamvera cum attestatio illa producta fuerit ab ipsis parochis S. Mariae et S. Angeli anno 1748 coram A. C. Cincio et Amadeo, ab ipsis expetitam fuerit monitorium super dictae attestationis seu instrumenti executione et observatione, ab ipsis allegata fuerit in suo Summario in causa agitata penes Sacram Rotam anno 1753; cum item statuta haec fuerint: « Scritte e sottoscritte da noi al presente curati e canonici rispettiva- « mente delle, tre Chiese Parrocchiali di detta Terra, per ordine di « Mons. Carrara, vescovo di Fondi... », pronum est concludere et ipsos parochos S. Angeli et S. Mariae recognovisse in favorem ecclesiae S. Martini *denominationis Matricis.* Nec satis, id enim aperte fassi sunt in suis Scripturis, seu Restricta coram S. Rota anno 1753: « *nam ea denominatio* (Matricis) *rite et recte illi ecclesiae potuit attribui circa honorificum ».*

Denominationen! vero Matricis, qua ecclesia S. Martini gavisa est inde ab omni antiquitate *et a tempore immemorabili,* usque in praesens retinuit et retinet. Nam ut cetera argumenta omittamus, sicut antiqui Episcopi in relationibus Sacrarum Visitationum eam appellarunt Matricem, ut videre est in relationibus a. 1667, 1705, 1768, ita modernus archiepiscopus Caietanus eam Matricem denominat in ecclesiasticis pro-

visionibus a. 1914 et 1916. Statuta autem anni 1715, quae, uti supra notatum est, naturam induunt cuiusdam concordiae et conventionis inter partes usque in praesens vigorem obtinuerunt, et obtinent, salvis quibusdam modificationibus, quae ad quaestionem nostram non pertinent.

Enunciativae igitur per Ordinarios emissae in Sacris Visitationibus, et in provisionibus canonicis, testium depositiones et praedecessorum abbatum S. Angeli et S. Mariae repetitae confessiones sufficientem ad hunc effectum constituunt probationem (Pignatelli, *Consult.,* 109, n. 2, tom. 9; Scarfanton., tom. 3, addit.'21, n. 18 et seqq., addit. 22, n. 84; Rota, decis. 14, n. 1 et seqq.; decis. 483, n. 2 et seqq. coram Ansaldo, et *Recent, decis.,* 397, n. 2 et seqq., part. 13, etc.).

Ecclesiam vero S. Martini denominationem matricis obtinuisse et obtinere legitime, non vero per usurpationem, vel ex concessione abbatum, ex dictis evidens est, et constat ex ipsis Statutis atque praesertim ex immemorabili observantia. Nil enim tam certum est, quam quod in hac praeeminentiarum materia inspici, spectarique unice debent tum peculiaria cuiusque Ecclesiae statuta, Abb. in c. *Quod Clericis,* n. 23, *de Foro compet.,* Rota coram Innocentio X, decis. 265, n. 4, in *Hildesimen. - Comitiorum.,* 13 maii 1726, coram Gamasches, in *Bononien. - Statutorum,* 28 aprilis 1727 coram Ratto, etc. tum etiam speciales locorum antiquissimae consuetudines ex animadversis per Rotam in *Neritonen. - Praecedentiae,* super bono iure 3 iulii 1713 et *Cracovien. - Praecedentiae,* 15 februarii 1715 coram Scotto et in *Bisinianen. - Praeeminentiarum,* 27 ianuarii 1727, coram Calcagnino; nam observantia immemorabilis et consuetudo in hac praeeminentiarum materia totum facit et operatur, (Rota, decis. 102, n. 17 et 18, part. 10, dec. 87, n. 6, part. 17, decis. 781, n. 5, part. 18, decis. 99, n. 1.0, part. 19, tom. 1, ecc.), et consequenter observantia ista non solum attendenda est uti declarativa iuris ad nomen matricis, ut supra competentis ecclesiae S. Martini, sed tanquam eidem tribuens facultatem allegandi quemcumque titulum meliorem de mundo pro hac praerogativa matricitatis tuenda (Rota, coram Emerix, Iun. decis. 1188, n. 1, in *Troiana - Delationis Crucis super bono iure,* 10, dec. 1709 coram Aldrovando, in *Tranen. - Praeeminentiarum,* 23 iun. 1719, '•n. 9 coram Gamasches); atque vim legis obtinens (Rota, *Novarien.-Praeeminentiarum,* 26 iunii 1726, n. 25 coram Ratto).

Idemque ius ecclesiae S. Martini ad nomen Matricis confirmatur ex pluribus eiusdem praerogativis et praeeminentiis, quae etiam naturam specialis tituli praeseferre videntur. Ut enim nonnullas ex praecipuis «eiusdem praerogativis recenseamus, quas partim olim privative obtinuit,

partim nunc etiam privative obtinet: *a)* ecclesiae S. Martini usque ad annum 1903 et 1904 ius fuit habendi exclusive fontem baptismalem; id vero summopere confert ad arguendam matricitatem seu maioritatem eiusdem ecclesiae, Rota in cit. *Novarien. - Praeeminentiarum,* coram Ratto, n. 15; 6) in ecclesia S. Martini explebantur functiones Sabbati Sancti et Sabbati Pentecostes, ad quas convenire debebant alii duo parochi usque ad annum 1907, in ea exclusive fit etiam nunc celebratio festi et processionis in die Corporis Domini, quae processio in ecclesia S. Martini habet principium, ibique terminat. Processionem autem in solemnitate Corporis Christi praestantiorem omnium praerogativarum esse ad matricitatem convincendam, efficacissimumque argumentum matricitatis esse, firmat Rota in cit. decisione coram Ratto, n. 18 et 19; c) archipresbyter S. Martini usque ad annum 1914 exercuit iurisdictionem in incolas loci primis sex mensibus ex quibus advenerant, etsi hi résidèrent in territorio aliarum parochiarum: iste vero mos vigens in ecclesia parochiali comprobat illius Matricitatem respective ad alias ecclesias, ut firmat Rota in eadem decis. cit. coram Ratta n. 16-17.

Ad alteram dubii partem quod attinet, quonam sensu constet de matricitate ecclesiae S. Martini, utrum nempe sensu improprio an proprio, ante omnia animadvertere oportet iurisprudentiam canonicam sibi non constare in definienda matricitate proprie dicta.

Nam iuxta quamplurimas decisiones antiquae Rotae, matricitas vere et proprie dicta tunc habetur cum adest unica ecclesia, quae cum reliquis ecclesiis sibi subiectis et coadiutricibus unam ecclesiam formalem constituit, materialiter tantum divisam in praedictis subordinatis, erectis pro commodiore exercitio animarum, ita ut rector ecclesiae principalioris sit unicus habitualis parochus, ceteri vero Rectores simplices Vicarii in adiutorium curae animarum assumpti: Decis. 226, n. 1, 258, 272, n. 3. part. 1; 284, n. 10, part. 14; 281, n. 1, part. 15, etc., apud Scarfantonium, III, add. XXII, n. 39.

Iuxta alias vero decisiones rotales vera et propria matricitas speciem importat subiectionis et dependentiae unius ecclesiae, quae ab alia, tanquam e sinu matris processerit, et in eius adiutorium per viam dismembrationis nata fuerit; ut in *Nullius Putiniani - Praeeminentiarum, 7* decembris 1731, n. 2; *Tirasonen. - Iurisdictionis et Praeeminent.,* 25 ianuarii 1734, n. 20, coram Crescentio.

At verius propria matricitas habetur cum: a) filialis parochia per viam verae et propriae dismembrationis a parochia matrice processit,, ideoque ***b)*** filialis in titulum erecta est, et proinde c) omnino indepen-

dens est a matrice quoad exercitium curae animarum (De Luca, Cit., *de decimis,* disc 12, n. 12-13, *Summa praeeminent.,* I, n. 14-15, *Misceli.,* disc, i, n, 31; Berardi, *Ius eccl.,* lib. III, diss. III, cap. III; Sebastianelli, *De re beneficiali,* n. 238). Et hoc sensu matricitas distinguenda est a dignioritate, quae acquiri etiam potest a filiali ecclesia erga matricem (Berardi, Sebastianeiii cit., ib.).

Demum, iuxta plures alias rotales decisiones, matricitas vera et propria habetur quidem per viam dismembrationis ecclesiae filialis a matrice, sed insuper requiritur ut filialis dotata sit de redditibus et proventibus matricis. Ita coram Molines decis. 990, n. 3: « inter alia requi-« ritur quod sit dotata de redditibus et proventibus illius ». Et coram Crispo, decis. 28, n. 13: « ut autem aliqua ecclesia filialis dici possit, « deberet esse erecta praevia dismembratione partis parochiae, atque « cum participatione illius proventuum, his autem deficientibus, paro^-« chialis ecclesia Matrix proprie nuncupari non valet ». Ita quoque in *Gomen. - Funerum,* 17 aprilis 1702, n. 12, coram Mathoejo. Verum dotatip ecclesiae filialis ex parte matricis procedit tantum si reditus matricis sufficientes sint, nec aliquis reperiatur qui ecclesiam noviter ex dismembratione erectam velit dotare. Fagnano in cap. *Ad audientiam,* n. 31 et seqq. Quodsi matrix de suis bonis et redditibus filialem dotaverit, ius patronatus obtinebit, non quidem ratione dismembrationis seu matricitatis, sed ex causa dotationis, ad normam iuris communis (Fagnano, ib., n. 36, Santi, lib. III, tit. V, n. 102, etc.).

Stante igitur hac opinionum diversitate circa notionem verae et propriae matricitatis, caute procedendum est in alligandis auctoritatibus tum pro tunc contra veram et propriam matricitatem alicuius ecclesiae arg. De Luca, *De praeem.,* disc. 42, n. 14, etc.

Hisce praemissis, matricitatem veram et propriam eam intelligimus quae fit per veram et propriam dismembrationem alicuius ecclesiae, parochialis in casu nostro, vi cuius ecclesia parochialis noviter exurgens, erigitur in titulum, cum independenti exercitio curae animarum, sive filialis dotetur ex reditibus ecclesiae matricis, sive non, sive consequenter matrix ius patronatus in filialem habeat, sive non.

Porro hisce in definitis terminis contineri debet praesens controversia de matricitate ecclesiae S. Martini. Nam ecclesiae S. Angeli et S. Mariae omnino independentes sunt in exercitio curae animarum ab ecclesia S. Martini, ut ceterum ipsa Statuta anni 1725 agnoscunt: « I parroci delle altre due chiese non hanno veruna dipendenza dal-.« l'Arciprete di essa matrice in quelle cose, che riguardano il loro « ufficio, esercitando le loro funzioni curali indipendentemente da ogni

« altro ». Item nullum ius patronatus ecclesia S. Martini habet aut habuit in ceteras ecclesias, ut eadem Statuta innuunt: « Si suppongono bensì « erette e dotate tutte e tre queste chiese dalla comunità suddetta (Val- « liscursae), mentre queste le stima di suo *ius patronato* », ecc.

Quaestio igitur de matricitate vera et propria ecclesiae S. Martini huc tandem reducitur, utrum ab ea ecclesiae S. Angeli et S. Mariae per viam dismembrationis processerint.

Iamvero dismembrationis factum probatur primo quidem ab originario dismembrationis documento, atque hoc deficiente probari quoque valet ab aliis signis et argumentis. Attamen adeo clara et univoca esse oportet huiusmodi signa et argumenta, ut nec alium sensum aut interpretationem recipere nec ad aliam causam referri omnino possint, arg. cit. *Nullius Putiniani,* etc. coram Grescentio, n. 3, 4; De Luca, *De Decimis,* disc. 12, n. 13, in fine; *De Parochis,* disc. 27, n. 9.

Nam inter signa, quae pro matricitate alicuius ecclesiae afferri solent, distinguenda sunt signa quae indicant retentionem reliquiarum antiqui dominii et iurisdictionis ecclesiae matricis (De Luca, *De praeeminent.,,* disc. 42, n. 12) seu aliquorum iurium parochialium vel reliquiarum retentionem (De Luca, *Summa praeeminent.^* I, n. 15) uti sunt ius funerandi,, ius decimandi (De Luca, ib.) vel signa antiquae subiectionis et recognitionis erga Matricem uti praeter decimas etc., (De Luca, *De parochis,* disc. 36, n. I) sunt annuus canon seu census (Fagnanus, in cap. *Ad audientiam,* n. 8) oblatio cerei singulis annis in die solemnitatis (De Luca, *De praeeminent.,* disc. 42, n. 8, *De parochis,* disc. 36, n. 1 ; Wernz, *Ius Decret.,* tom. II, tit. XIII, n. 265), a signis simpliciter reverentiaiibus, quae nempe simplicem prerogativam et praeeminentiam important. Illa vocari possunt *signa recognitionis,* haec *simpliciter reverentialia,* arg. Scarfantón, II, lib. IV, tit. XI, n. 2 et 3; De Luca, *De parochis,* disc. 36, n. 8, etc.

Illa in genere et ut plurimum sunt signa univoca verae et propriae matricitatis, haec signa tantum aequivoca; iis accensentur, uti dictum est, ius funerandi et ius decimandi, ius census annui vel cerei et similia; his autem accensentur praerogativae Fontis baptismalis, functionum Sabbati Sancti et Sabbati Pentecostes, benedictionis Palmarum et processionis in die Corporis Christi et similia. Illa enim signa supponunt totum territorium antiquitus pertinuisse ad matricem, atque per dismembrationem eius partis de novo erectam esse aliam ecclesiam, intra cuius limites propterea mater aliqua iura parochialia prae suae dignitatis vel maiestatis conservatione retineat (De Luca, *De praeeminent.,* disc. 42, n. 12, *Summa de decimis,* II, n. 16); haec autem signa non necessario

arguunt veram et propriam dismembrationem ideoque veram matricitatem, sed explicari quoque possunt per matricitatem illam magis remotam et impropriam, resultantem ex eo quod vel ratione antiquitatis, vel ex alio respectu esset ecclesia maior in loco (De Luca, *De praeeminent^* disc. 42, n. 12, 14, 15; *Summa praeeminent.,* I, n. 16; Rota *in Novarien.* cit. *Praeeminent,* coram Ratto*, Scarfanton., tom III, add. XXII, n. 9 et seqq.). Hinc est quod illa signa dicantur quoque inducere quandam subiectionem et dependentiam remotam filialis erga matricem, scilicet tantum quoad superioritatis recognitionem, non autem quoad exercitium curae animarum, haec vero nullam prorsus subiectionem et dependentiam, sed tantum reverentiam importent (De Luca, *De praeeminent.,,* disc. 43, n. U, *Summa praeeminent.,* I, n. 14,15, Misceli., disc. 1, n. 31; *De parochis,* disc. 40, n. 4; Scarfanton., tom. II, lib. IV, tit. XI, n. 3, tom. III, add. XXII, n. 10).

Diximus superius *in genere et ut plurimum.* Nam sicut, absolute loquendo, fieri potest ut ecclesia matrix in filialem ab ipsa per dismembrationem procreatam, sibi in limine erectionis filialis non reservaverit, nec ius decimandi (De Luca, *Summa Decim.,* II, n. 16) nec ius funerandi,, nec ullum verum et proprium ius, De Luca, *Summ, praeeminent,* I, n. 15 ibi.: « In triplicem autem subalternam matricitatis, ac respective filia- « tionis speciem ista subdistinguitur, unam scilicet ubi sola ratio ori- « ginis et procreationis, alio iure non retento, hanc finalitatem indu- « eat » : ita fieri potest ut aliqua ecclesia, alio titulo et alia ex causa, puta ex praescriptione vel privilegio aliqua ex his iuribus obtinuerit. Ita e converso fieri potest ut ecclesia aliqua in filialem ab ipsa per dismembrationem procreatam sibi reservaverit tantum fontem baptismalem vel aliqua ex iis praerogativis, quae supra diximus signa aequivoca; Hinc est quod si.de facto dismembrationis aliunde constet, istae praerogativae, quamvis in se sint tantum signa aequivoca, referri debent ad dismembrationem, tamquam ad suam causam (De Luca, *De parochis,* disc. 40, n. 4 et seqq.); si vero de dismembrationis facto aliunde non constet, ex his tantum concludenter nequeat probari vera et propria matricitas.

Quare, si de facto dismembrationis non constet, probatio verae et propriae matricitatis ex signis et indiciis ita difficilis est, ut Scarfantonius, etsi ad notionem verae et propriae matricitatis non requirat dotationem ex parte matricis (tom. II, lib. IV, tit. XI, n. 2, tom. III, add. XXII, n. 40), tamen quoad probationem matricitatis ponat tamquam regulam generalem quod in casu quod aliqua Ecclesia sit certis limitibus separata et habeat proprium Rectorem cum titulo collativo et

perpetuo ... vel non constet de fundatione vel dotatione ipsius ecclesiae, praevia dismembratione partis parochiae et bonorum ecclesiae, quae iura matricitatis praetendit, numquam potest inferri quod verificetur prima vel secunda species matricitatis ... solumque maioritas et digniorítas ecclesiae operatur circa dicta reverentialia, iuxta normam consuetudinis, etc., tom. II, ib., n. 7-10; tom. III, ib., 47-48. Cui sententiae etsi subscribere ex dictis non possimus, tamen certum est hanc materiam non esse capacem regulae generalis, quae cuicumque casui pariformiter et indefinite applicanda sit (De Luca, *De praeeminent.,* dise. 42, n. 8), ideoque istas quaestiones facti potius quam iuris esse, certam ac uniformem non habentes regulam, pro singulorum casuum qualitate ac circumstantiis decidendas (De Luca, *De decimis,* Summ. II, n. 16, *De decimis,* disc. 12, n. 9, *De parochis,* disc. 40, n. 4, etc.).

Hisce positis, praesens controversia de matricitate proprie vel improprie dicta ecclesiae S. Martini paucis expediri potest.

Nam primo quidem nullum authenticum documentum de originario facto dismembrationis allatum est, nec afferri potest (Statuta a. 1725): attestationes vero quae huic facto referuntur, informes sunt vel inefficaces, atque satis eliduntur per contrarias attestationes, praesertim per relationem Visitationis Sacrorum Liminum anni 1728, ibi: « Aucto exinde « hac in Terra populo, aedificiisque dilatatis, *adiunctae* fuere aliae Paro« chiales duae », etc.

Quoad signa vero et indicia, ecclesia S. Martini nullum praesefert ex iis signis quae superius diximus esse in genere et in plurimum univoca in favorem Matricitatis verae et propriae. Non enim habet vel unquam habuit ius decimandi, vel ius funerandi intra limites aliarum parochiarum; numquam item habuit ius ad canonem vel censum annuum, vel ad annuam recognitionem eius remotae superioritatis per oblationem cerei, vel similia (Statuta anni 1725). Nec tamquam signum recognitionis seu tributi considerari potuerunt vel possunt fasciculi palmarum, quos abbates S. Angeli et S. Mariae relinquebant in ecclesia S. Martini in Dominica Palmarum post benedictionem, ut ceterum agnovit et saltem extraiudicialiter confessus est, dum agitabatur causa apud S. Rotam a. 1750-1753, archipresbyter S. Martini Horatius Gaioni in sua epistola die 22 sept. anni 1750 data, ibi: « il lasciare che si fa portione di palme « a S. Martino non potrà mai essere segno di tributo ... ed al più dovrebbe « essere segno di preeminenza... e c'è un'altra ragione naturale di lasciare « le dette Palme ... ».

Ceterae vero praerogativae quibus gaudet, vel antiquitus gavisa est ecclesia S. Martini, per se et absolute loquendo, sunt signa aequivoca,

seu probant quidem et demonstrant Matricitatem saltem impropriam, non vero rigorose demonstrat Matricitatem vere et proprie dictam.

Ita nomen Matricis et respective filialis in quo summe contendit modernus archipresbyter; nam vocabulum matricis « est aequivocum id « non concludens pernecesse, utpote referibile ad quamdam maiorem « praeeminentiam, quod scilicet esset ecclesia ratione antiquitatis vel «ex aliis circumstantiis maior», De Luca, *De parochis,* disc. 27, n. 9, et *De decimis,* disc. 12, n. 13, in nn., Rota in cit.; *Novarien.,* coram Ratto n. 4, 5.

Idem dicendum de retentione fontis baptismalis usque ad a. 1904. Nam etsi fons baptismalis plerumque accenseatur signis matricitatis (Fagnano cit., in cap. *Ad audientiam,* n. 8, Berardi cit. ib., Scarfanton., tom. III, add. XXII, n. 40, etc.), tamen non concludit necessario nisi matricitatem impropriam seu maioritatem, De Luca, *De parochis,* disc. 38, n. 10; S. G. Concil, in *Boianen,-Iurium parochialium et praeeminentiarum,* 24 maii 1732; *m Fer entina-Matricitatis et fontis baptismalis,* 18 martii 1797, Scarfanton., tom. II, lib. IV, tit. XI, n. 12, tom. III, add. XXII, n. 20; Rota in cit. *Novarien.;* coram Ratto, n. 15, etc.

Item matricitatem tantum impropriam non vero matricitatem vere et proprie dictam demonstrant coeterae praerogativae, quas archipresbyter S. Martini urget, uti quod archipresbyter S. Martini agnoscatur tamquam caput cleri et capituli, si tamen vere et proprie nomen capituli meretur unio illa sociativa cleri trium ecclesiarum (Statuta anni 1725) et quod archipresbyter praesideat et ceteris rectoribus praeferatur in sessionibus seu coetibus (Scarfanton., tom. II, lib. IV, tit. XI, n. 4, tom. III, add. XXII, n. 43, Rota in cit. *Novarien.,* coram Ratto, n. 21, etc.); uti quod in ecclesia S. Martini unice explerentur functiones Sabbati Sancti et Sabbati Pentecostes, ad quas convenire deberent alii duo parochi usque ad annum 1907 (Scarfanton., tom. III, add. XXII, n. 20, Rota, ib. cit., *Novarien.,* n. 13, etc.); quod festum Ssmi Corporis Christi cum solemni processione fiat tantum ab ecclesia S. Martini (Scarfanton., tom. III, add. XXII, n. 18, Rota in cit. *Novarien.,* n. 19, etc.), quod processiones generales aut indictae a Superioribus, incipiant vel inciperent ab ecclesia S. Martini, cuius unica crux elevatur vel elevabatur (Attestatio 18 iunii 1893; Statuta anni 1725), De Luca, *Summ, praeeminent.,* I, n. 16; Rota, in cit. *Novarien.,* n. 22, 23; quod usque ad annum 1914 archipresbyter exerceret iurisdictionem in incolas loci primis sex mensibus ex quibus adven erant, etsi hi résidèrent in territorio aliarum parochiarum, Rota in cit. *Novarien., n.* 16 et 17, etc., et. similia.

Nec dismembrationem concludenter probat quod in una ecclesia

S. Martini asservatum fuerit, ut asseritur, SSmae Eucharistiae Sacramentum; nec quod in signum huius praerogativae Confraternitas Sanctissimi Sacramenti, quae in ecclesia S. Martini erecta est, subministret vel subministraverit oleum, etc., aliis ecclesiis, sicut ceterum iam recognoverat archipresbyter S. Martini Horatius Gaioni in sua epistola diei 19 septembris 1750: «La Confraternita del Santissimo è corpo sepa-« rato, e se dà l'olio e la cera alle altre chiese pei* le lampade del ciborio « e del santo Viatico, fa la questua per tutte tre le parrocchie... che « può sopportare questo peso, che non puoi indurre mai rigorosa matri-« cita in S. Martino ».

Nec idem assumptum probat iurisdictio, quam praetendebant archipresbyteri in ecclesiis ruralibus, et ius quod nunc habet praedicandi in iisdem ecclesiis, nam iterum Gaioni, ibi: «Ne le prerogative che ha « nelle chiese rurali possono militare a favore... posciachè in esse non « v'ha alcun dominio l'arciprete, ma sono padronali della Comunità e « recettizie dei preti semplici, che le governano ed offiziano, anche indi-« pendentemente dal capitolo, e benché in alcune feste vi assista l'arci-« prete nel primo luogo tra suoi, questo non avviene *ratione dominii,* « ma precede *ratione facultatis* che ha il capitolo d'intervenirvi in corpo; « ... per questo fa lui la funzione di predicare per l'invito dell'offerta », etc. Sicut nil probat unio beneficii S. Rochilli: «L'unione dei beneficio di « S. Rochillo non merita alcuna considerazione, mentre è cosa, che *est « in facultatibus* dell'Ordinario in conformità del Concilio Tridentino » (Gaioni, in epistola diei 22 septembris 1750).

Nec dismembrationem probat iurisdictio archipresbyteri quoad domum gubernatoris, advenas, vectigalium, et milites extra stationem degentes, quam S. Congr. Rituum, die 22 ianuarii 1841 confirmavit ad formam constitutionum anni 1725 et decis. S. Rotae diei 26 febr. 1753. Haec enim iurisdictio referri potest ad alium titulum ex gr. ad praescriptionem, ut sat innuitur in ipsa sententia S. Rotae.

Neque postremo dismembrationem concludenter probat sententia A. C, *d.* 1 dec. 1750, supra allata, qua ecclesia S. Martini obtinuit manutentionem in possessione seu quasi privative perpetuo exercendi omnia et singula iura parochialia in omnibus ët singulis domibus et habitationibus ubicumque positis et in posterum aedificandi^ extra moenia et extra portas omnes et qualescumque terrae Valliscursae et in toto ipso territorio extra moenia, etc, cuius iurisdictionis nullam aliam dari posse rationem archipresbyter putat, quam reservationem in limine dismembrationis. Nam: 1) non potuit haec reservatio fieri in limite dismembrationis, quae praetenditur, quia, ut advertebant statuta anni 1725:

« È da sapersi ancora come da pochi anni in qua ai tempi nostri sono « state fabbricate molte case suburbie, site e poste fuori il recinto della « terra, le quali se mai venissero ad essere abitate, nascerebbe lite fra « i parroci sopra i giussi parrocchiali; stante che alcune di dette case « stanno più vicino alla chiesa di S. Martino, altre più vicino a quella «di S. Angelo, ed altre più vicino a quella di S. Maria. Onde si aspetta « che Monsignore dichiari a qual chiesa appartenghino, etc.»; 2) Reservatio illa absurda fuisset, quia aperte contraria ipsi causae dismembrationis; 3) Sententia A. G. lata fuit in solo possessorio, in quo non quaeritur de iustitia vel iniustitia, sed attenditur nudum factum possessionis: cum autem lis transacta fuit per concordiam initam die 13 septembris a. 1753, in ea non tantum praetensa dismembratio nec explicite nec implicite recognita fuit, sed iura trium parochiarum aequo modo inter se quoad domus illas composita fuerunt.

Illud tamen concedendum est archipresbytero, dismembrationem esse valde verisimilem, nam loci trium parochiarum, aliaeque circumstantiae hanc possibilitatem reddunt verisimilem, iuxta casum quem pondérât De Luca, *de decimis,* disc. 10, n. 10. Immo, quod mirum est, abbates ipsi in controversia penes Rotam a. 1753 admittebant quod « haec parum commoda terrae conditio, simulque magna frequentia « populi... a tempore, cuius nulla extat memoria, tulit exegitque ut «animarum cura *divideretur,* in tres distinctas parochias...... Verum praetermissa hac assertione quae ad vim probationis non assurgit, haec possibilitas minuit quidem aut aufert resistentiam iuris ad matricitatem ecclesiae S. Martini, quae ita antiquitus potuerit esse unica et consequenter matrix per viam dismembrationis, at non dat certam probatio" nem antiqui status et dismembrationis (De Luca, ib.), neque per se ut patet, quia ab esse ad factum non valet illatio, neque iuncta simul cum praerogativis et signis supra allatis, quae utpote solum reverentialia, sunt aequivoca, et probant tantum matricitatem impropriam.

Neque stante hac possibilitate sequitur quod minus stricte et rigorose procedendum sit in probanda matricitate ecclesiae S. Martini, nec sint rigorose criticandi sint singuli actus praeminentiales iuxta ea quae idem De Luca disputât in casu ponderato per discursum 40, *De parochis,* n. 4 et 7, nam hoc in casu respiciente ecclesiam S. Laurentii in Damaso, constabat aliunde de facto dismembrationis, ideoque introibant termini causae universalis, ut probatio et possessio aliquorum actuum sufficiat pro aliis cadentibus sub eadem causa universali tamquam sub eadem radice. At in casu nostro agitur de probanda ipsa universali causa, seu dismembratione et matricitate.

Ceterum etiam si daremus ecclesiam S. Martini esse vere et proprie Matricem per viam dismembrationis, non tamen plus iuris ipsa pro se praetendere posset, quam nunc habet. Matricitas enim alicuius ecclesiae, illa quoque quae vere et proprie est talis, seclusis iuribus quae matrix sibi in limine dismembrationis reservaverit, honorificam tantum importat praeeminentiam (De Luca, *Miscellanea,* I, n. 31, *De parochis,* disc. 33, n. 8, disc. 36, n. 6, *De benefic,* Summ. XXVIII, n 219, etc.).

Cum autem praerogativae, quibus gaudet ecclesia S. Martini, honorificam tantum importent praeeminentiam, factum originariae dismembrationis fit quaestio mere historica, nullam particularem habens iuridicam consequentiam, quae proinde a foro nostro est aliena.

Quae cum ita sint, supervacaneum est expendere argumenta quae tum contra matricitatem propriam, tum contra impropriam ecclesiae S. Martini affert egregius advocatus abbatis S. Angeli.

Is enim matricitatem propriam impugnat potissimum quia filiales ex reditibus matricis dotatae non sunt: quamvis autem hoc argumentum non sit concludens necessario, certum tamen est quod, deficiente dotatione, deficit argumentum potissimum pro matricitate vera et propria.

Dum autem impugnat etiam matricitatem impropriam « in quanto « la chiesa di S. Martino non ha la prerogativa delle solennità mag- « giori... e se le abbaziali accedono a S. Martino, per il principio delia « reciprocanza, S. Martino deve accedere alle abbaziali » ipse praeterit omnes praerogativas quae citra quamlibet « *reciprocane* », aut « *alternativa* » indubie competunt ecclesiae S. Martini, quasque supra expendimus.

Ceterum vel ipsi abbatum praedecessores in causa acta coram S. Rota, a. 1753 non impugnabant matricitatem hanc latiorem et impropriam, continentem dumtaxat ius honorificum.

Hisce omnibus in iure et in facto rite diligenterque perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine) invocato, dicimus, declaramus et definitive sententiamus, proposito dubio respondentes: ad primam partem, *affirmative,* seu *constare de matricitate ecclesiae S. Martini in casu;* àd secundam partem: *quatenus importat honorificam tantum praeeminentiam*,* seu *constare de matricitate ecclesiae S. Martini, quatenus importat honorificam tantum praeeminentiam.*

Expensas autem compensatas volumus inter archipresbyterum et abbatem S. Angeli.

Ita pronunciamus et definitive sententiamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni man-

dent hanc nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim cap. 3 Concilii Tridentini, sess. XXV, ***de Ref.,*** iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.[1]

Romae, in sede Tribunalis die 10 augusti 1917.

Aloisius Sincero, ***Ponens.***
Fridericus Cattani-Amadori.
Petrus Rossetti.

L. © S.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae
Sac. T. Tani, ***Notarius.***

[1] **Ab hac sententia neutra pars appellavit.**

BIARIÜM ROMANAE eüßlAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

I° ottobre 1918. Mons. Sebastiano Nicotra, arcivescovo titolare di Eraclea e Nunzio Apostolico del Cile, ***Nunzio Apostolico presso la Beai Corte del Belgio.***

10 » » Il Revmo P. Ladislao Marszalkiewicz, dei Resurrezionisti, ***Consultore della Commissione Pontificia per la interpretazione del Codice di Diritto Canonico.***

26 » » L'Emo signor Cardinale Tommaso Pio Boggiani, ***Protettore delV Istituto delle Figlie di N. S. di Misericordia di Savona.***

30 » » Mons. Giovanni Tacci, arcivescovo titolare di Nicea, Suo Maggiordomo, ***Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici.***

» » » Mons. Giuseppe Guerri, ***Reggente della Dataria Apostolica,*** con diritto a far parte della Nobile Anticamera Pontificia in qualità di Cameriere Segreto Partecipante.

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

18 giugno 1918. Mons. Giorgio Hilpisch, della diocesi di Limburgo.

2 ottobre » Mons. Casimiro de Skirmunt, residente a Roma.

15 » » Mons. Giuseppe de Preitas Machado, delParchid. di Olinda.

Prelati Domestici di S. S.:

18 giugno 1918. Mons. Francesco I. Van Antwerp, della diocesi di Detroit.

» » Mons. Emanuele B. Ledvina, della diocesi d'Indianapoli.

21 » Mons. Pietro I. Sheridan, della diocesi di Erie.

17 settembre Mons. Giuseppe Stourton, della diocesi di Nottingham.

27 » Mons. Pietro Cisco, del Patriarcato di Venezia.

29 » Mons. Matteo Damm, della diocesi di Spira.

18 ottobre Mons. Bartolomeo Giuganino, dell'archidiocesi di Torino.

Mons. Giuseppe Costa, della medesima archidiocesi.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Cróce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

24 settembre 1918. Al sig. barone Hans von Lassberg, Gran Ciambellano della Corte di Baviera.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

23 settembre 1918. Al sig. Alessio Lira Infante, dell'archidiocesi di Santiago del Cile.
5 ottobre » Al sig. Giovanni Tietmann, della* diocesi di Paderborn.

La Commenda dell'Ordine di 8. Gregorio Magno, classe civile:

10 settembre 1918. Al sig. Girolamo Gozo, della diocesi di Savona.
15 » » Al sig. Giovanni Truijen, della diocesi di Ruremonda.
29 » » Al sig. prof. Guglielmo Killing, della diocesi di Munster.
2 ottobre » Al sig. Annibale Marsigli, dell'archidiocesi di Bologna.
23 » » Al sig. avv. Nazareno Ferrata, di Roma.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

2 settembre 1918. Al sig. Pietro Martinucci, di Roma.
4 » » Al sig. Pietro Federici, di Roma.
23 » » Al sig. Ignazio Irarrázaval, dell'archidiocesi di Santiago del Cile.
1 ottobre » Al sig. dott. Celestino Baldi, dell'archidiocesi di Bologna.
9 » » Al sig. Armando de la Villardière, della diocesi di Grenoble.
11 » » Al sig. Giovanni Gommaire van der Linden, della diocesi di Harlem.
12 » » Al sig. Eugenio Goulmy, della diocesi di Bois-le-Duc.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare :

7 settembre 1918. AI sig. Francesco Tedeschi, sottotenente della Guardia Palatina d'onore.
5 ottóbre » Al sig. Carlo Schleppinghoff, della diocesi di Paderborn.
» » » Al sig. Pietro Weinen, della medesima diocesi.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

24 settembre 1918. Al sig. Alessandro Gallinai, dell'archidiocesi di Montevideo.

La Commenda dell' Ordine di S. Silvestro Papa :

16 settembre 1918. Al sig. Girolamo De Avellar Figueira De Mello, Segretario della Legazione del Brasile presso la S. Sede.
19 ottobre » Al sig. Ottavio Stanislao Dorchot, dell'archid, di Cracovia.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

13 agosto 1918. Al sig. Norberto Iedina, dell'archici ioeesi di Serajevo.

MAGGIORDOMATO DT SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S.:

29 maggio 1918. Mons. Elia Violoni, della diocesi di Serajevo.
7 giugno » Mons. Augusto Guadagnini, della diocesi di Trento.
27 settembre » Mons. Ferdinando Nöthen, della diocesi di Münster.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

15 giugno 1918. Mons. Michele Paolinovié, della diocesi di Macarsca.
» » » Mons. Vladimiro Bakotió, della medesima diocesi.
» » » Mons. Matteo Biovié, della medesima diocesi.
» » » Mons. Antonio Sare, della diocesi di Sebenico.

NECROLOGIO

11 maggio 1918. Mons. Ernesto Angiulli, vescovo titolare di Augusta.
19 luglio » Mons. Giuliano Tommasuolo, vescovo titolare di Efesto.
4 ottobre » Mons. Edoardo Gastone Pöttickh de Pettenegg, arcivescovo titolare di Damiata.
6 » » Mons. Giovanni Regine, arcivescovo di Trani e Barletta.
12 >> » Mons. Giovanni Battista Biolley, vescovo di Tarantasia.
15 » » Mons. Lorenzo Chieppa, vescovo di Lucerà.
21 » » Mons. Carlo Francesco Turinaz, vescovo di Nancy e Toul.
24 » » Mons. Pietro Paolo Camillo Moreschini, arcivescovo di Camerino.
» » » Mons. Tiburzio Hajdu, O. S. B., arciabate di S. Martino in S. Monte di Pannonia (Ungheria).

Annus X - Vol. X 5 Decembris 1918 Num. Ì2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES, PER QUAS PUBLICAE INDICUNTUR PRECES PRO CONVENTU DE PACE COMPONENDA.

BENEDICTUS PP. XV

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod iam diu orbis terrarum anxie expetebat, quod christianae gentes omnes magnis precibus implorabant, quod Nos, ut communium dolorum interpretes, paterno erga omnes studio instanter quaerebamus, id momento factum cernimus ut arma tandem conquieverint. Nondum quidem crudelissimo bello finem solemnis pax imposuit; sed tamen pactio illa, qua caedes et vastationes terra mari caeloque intermissae sunt, ianuam aditumque ad pacem feliciter patefecit. Quae rerum subita commutatio cur evenerit, multiplices variaeque sane possunt caussae afferri : verum si ultima et summa ratio quaeritur, ad Eum demum mens attollatur oportet, cuius nutu moventur omnia, quique, sollicita bonorum comprecatione ad misericordiam inductus, dat humano generi ut a tam diuturno angore luctuque respiret. Itaque pro tanto beneficio ingentes benignissimo Deo

agendae sunt atque habendae grates : gaudemusque ob eam rem in orbe catholico crebras et celebres pietatis publicae significationes factas esse. Nunc autem illud est a Dei benignitate impetrandum ut collatum mundo beneficium ac munus cumulet quodammodo et perficiat. Scilicet propediem in unum convenient qui, populorum mandato, debent iustam mansuramque pacem orbis terrae componere. Deliberatio iis habenda est talis, qua nec maior unquam nec difficilior in ullo hominum consilio habita esse videatur. Nimium quantum igitur divini luminis ope indigent, ut recte possint mandatum exsequi. Quum vero communis salutis hoc vehementer intersit, profecto catholicorum omnium, qui, e sua ipsorum professione, humanae societatis bono et tranquillitati student, officium est « assistricem Domini sapientiam » eisdem delectis viris comprecando conciliare. Huius officii Nos, quotquot sunt catholici homines, commonefiant volumus: quare, ut e proximo conventu magnum illud Dei donum exsistat quod est vera pax, christianis iustitiae principiis constituta, vos, Venerabiles Fratres, ***Patri luminum*** propitiando- publicas ad arbitrium vestrum supplicationes in unaquaque vestrarum dioecesium paroecia indicere maturabitis. Nostrum vero erit, cum Iesu Christi ***Regis Pacifici*** vices, quamquam nullo merito, geramus, pro apostolici muneris vi et auctoritate contendere, ut quae ad tranquillitatem ordinis et concordiam toto orbe perpetuandam consulta erunt, ea volentibus animis ubique a nostris excipiantur, inviolateque serventur.

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die i mensis decembris MDCCCCXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

LITTERAE APOSTOLICAE

L

ECCLESIA S. IOANNIS FLORENTINORUM IN URBE TITULO BASILICAE DECORATUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Molis amplitudine praestans et mirandis summorum artificum operibus decorum, exstat hac alma in Urbe templum, quod iussu Leonis PP. X, Nostri decessoris, archisodalitas a Pietate, gentis Florentinae, Deo in honorem S. Ioannis Baptistae et Ss. martyrum Cosmae et Damiani, conlato aere a solo excitandum, in regione Pontis, prope Tiberis oram, munifice curavit. Eo quidem tempore germani, hispani et galli, in Urbe morantes, sacram quisque suae gentis aedem, vel inchoatam vel absolutam, pia quadam aemulatione, obtinebant. Erigendi aedificii architectura, eius denique exornandi partes, attributae sunt clarissimis, illius aevi bonarum artium felicissimi, artificibus, uti plurimum e schola Hetruriae, quorum vel ipsa nomina praecellentem aedis formam luculenter testantur. Et sane Raphael Sanctius, Michael Angelus Bonarrotius, Iacobus Tattius sive Sansovinius (cuius ingenio totius molis debetur diagraphes), Carolus Madernus aliique eximii structoriae et marmoreae artis magistri, suis operibus aedem condecorarunt. Deficiente autem soli spatio, ne stati fines longitudini deessent, fabricae auctores, nulli sumptui parcentes, in ipsius fluminis alveo fundamenta iacere ausi sunt. Quamquam vero unius fere et alterius saeculi diutino intervallo, publicis rebus saepe turbatis, ipsaque Urbe a Borbonio obsessa et vastata, structurae opus interceptum, ideoque pluries denuo coeptum fuerit; tandem, redeunte Paulo PP. V, rec. mem. Decessore Nostro, immane templum omnibus numeris absolutum est feliciter, ibique ad tramitem decretorum Leonis PP. X et Clementis PP. VII, rec. mem. Praedecessorum Nostrorum, paroecia constituta fuit. Insequente demum saeculo decimo octavo, Clemente XII, Pont. Max. Praedecessore Nostro, supremum Ecclesiae clavum obtinente, conspicua frons, quae urbanam viam spectat, quam vocant « Iuliani », Alexandro Galilaeio architecto, addita fuit illi Florentinorum templo, quod pulcherrimis

almae huius Urbis sacris aedibus merito recensetur. A clero exinde ecclesiasticis officiis munusque ibidem peragendis attributo, nomen templi denique ocius in dies adauctum. Siquidem inter priscos ecclesiae domusque continentis rectores honestissime numeratur divus Philippus Nerius, Romanorum apostolus, eiusque simul asseclae commorati ibi sunt, viri doctrina vitaeque sanctimonia insignes, qui primi sodales fuere ineuntis Congregationis Oratorii, ipsum Philippum patrem suum legiferum feliciter sortiti. Nec minus aetate nostra sacris muneribus aedes Florentinorum enitet. Capitulo enim Conlegiato Summorum Pontificum benevolentia privilegiis atque honoribus largiter praedito, olim ad Ss. Celsi et Iuliani ecclesiasticis muniis fungenti, per Literas sub plumbo die XXIV octobris anni MCMVI datas, fel. rec. Pius PP. X, Decessor Noster, largitus est, ut quae officia suis Constitutionibus praescripta atque imposita iamdudum ibi fuere, ea omnia in posterum ad S. Ioannis Baptistae gentis Florentinae rite Canonici persolvere teneantur, ipsius Capituli archipresbytero Parochiae cura perpetuo concredita. Nec, praeter eundem,* arbitramur quod plurimae Sanctorum Coelicolum relliquiae (quarum nonnullae insignes) ibidem religiosissime asservantur ac templum copiosa itemque divite supellectili refertum est nec non indulgentiis ac privilegiis ab hac Sancta Apostolica Sede abunde ditatum. His omnibus permoti, dilecti filii Florentinae archisodalitatis a Pietate moderatores Nos enixis precibus rogarunt, ut urbano templo gentis suae, tot ac tantis omnigenae artis operibus praestantissimo et Praedecessorum Nostrorum singularibus beneficiis honestato, Basilicae titulum ac dignitatem conferre perpetuo dignaremur; Nosque, memoria repetentes tam illustres inclytae ipsius aedis memorias, votis his annuendum libenti quidem animo aestimavimus. Quae cum ita sint, collatis consiliis cum V V. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi pro Sacris Ritibus tuendis praepositis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, templum in honorem S. Ioannis Baptistae ac Ss. martyrum Cosmae et Damiani, gentis Florentinae, hac alma in Urbe Deo dicatum, simplici Basilicae appellatione sive titulo donamus, atque illius archisodalitati a Pietate itemque Capitulo et clero privilegium largimur deferendi tintinnabulum et conopeum, cui liceat addere ecclesiae ipsius insigne, vulgo *stemma,* non tamen auro vel argento exornatum. Porro haec concedimus, decernentes praesentes Literas semper validas, firmas atque efficaces exstare et permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super

his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xrx augusti **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

II

SEMINARIO PATRIARCHALI VENETIARUM PRIVILEGIA ET INDULGENTIAE CONCEDUNTUR, ET ECCLESIA MATRIX MURIANENSIS S. DONATI TITULO ABBATIAE DECORATUR, ADDITO CONTITULARI S. CYPRIANO EP. M.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — Affert ad Nos dilectus filius Noster Petrus S. R. E. presbyter cardinalis La Fontaine, patriarcha Venetiarum, velle se, die quarto decimo proximi mensis, sollemni ritu centesimum recolere annum ex quo Seminarium Patriarchale ab aedibus abbatiae Murianensis S. Cypriani sedem suam ad locum transtulit prope templum S. Mariae a Salute, quem hodie etiam obtinet. Propositum sane dignum cui et commendatio accedat Nostra et nonnullarum largitio gratiarum. Quae quidem eiusmodi translationem, Seminario Patriarchali utilem, consecuta sunt tristia, ea profecto videntur ab Apostolica Sede aliquid postulare levaminis. Dolendum enim ex eo tempore non modo abbatiale illud templum, vetustate, marmorum varietate et pretiosis musivae artis operibus insigne, spoiiatum eversumque omnino esse, sed etiam incliti martyris Cypriani in Seminario ipso oblitteratam sensim memoriam. Placet igitur, quantum in praesenti fieri potest, utrique afferre incommodo remedium, ut direptae dirutaeque abbatiae recordatio apud Vénetos aliquo pacto reviviscat et, in Patriarchali Seminario, sancti Patroni, qui olim tanto in honore fuit, posthac et nomen et cultus denuo vigeat ac revirescat. Itaque, apostolica Nostra auctoritate, harum Litterarum vi, omnibus qui ad Seminarium Patriarchale hodie quoquo modo pertinent vel antehac pertinuerunt, si hoc anno, die quarto decimo proximi mensis, quo die centesimus translationis annus, uti supra diximus, recoletur, rite confessi ac sacra Synaxi refecti, Seminarii templum visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, indulgentiam plenariam, defunctis quoque applicabilem, benigne in Domino concedimus.

Liceat praeterea quotannis, in eodem Seminario, feria v post octavam Paschatis, quo fere tempore S. Cyprianum episcopum et martyrem tradunt e superstitione ethnicorum in Ecclesiae sinum receptum esse, Missam de eodem sancto peragere, eoque ipso die quotquot de Seminario sunt vel fuerunt, ut superius diximus, iisdem servatis condicionibus, quotannis, plenariam peccatorum suorum remissionem indulgentiamque consequantur. Ecclesiam denique matricem Murianensem, quae a S. Donato nuncupatur,, quaeque olim S. Cypriani abbatiam subiectam habuit, perhonorifico abbatiae titulo honestamus, eidemque sanctum Cyprianum episcopum et martyrem contitularem designamus. Praesentibus perpetuo valituris. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die n mensis octobris **MCMXVIII**, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD PETRUM S. R. E. CARD. GASPARRI, A SECRETIS STATUS, POST PACTAS ITALIAM INTER ET AUSTRIAM INDUTIAS.

Signor Cardinale,

Dopo gli ultimi fortunati successi delle armi italiane, i nemici di questa Sede Apostolica, fermi nel loro proposito di sfruttare a suo danno tanto i tristi quanto i lieti avvenimenti, hanno procurato e procurano di eccitare contro di essa l'opinione pubblica italiana esultante per la ottenuta vittoria, quasi che il Sommo Pontefice ne fosse invece in cuor suo dispiacente.

Ella, signor Cardinale, ben conosce per quotidiana consuetudine i Nostri sentimenti, come altresì quale sia la prassi e la dottrina della Chiesa in simili circostanze. Nella lettera del I° agosto 1917 ai Capi delle diverse Potenze belligeranti Noi facemmo voti, ripetuti poi anche in altre occasioni, perchè le questioni territoriali fra l'Austria e l'Italia ricevessero soluzione conforme alle giuste aspirazioni dei popoli ; e recentemente abbiamo dato istruzione al Nostro Nunzio in Vienna di porsi in amichevoli rapporti colle diverse nazionalità dell' Impero Austro-

Ungarico che ora si sono costituite' in Stati indipendenti. Egli è che la Chiesa, società perfetta, che ha per unico fine la santificazione degli uomini di ogni tempo e di ogni paese, come si adatta alle diverse forme di Governo, così accetta senza veruna difficoltà le legittime variazioni territoriali e politiche dei popoli.

Crediamo che se questi Nostri giudizi ed apprezzamenti fossero più generalmente conosciuti, nessuna persona assennata vorrebbe insistere nell'attribuirci un rammarico che non ha fondamento.

Non possiamo peraltro negare che una nube turba ancora la serenità nell'animo Nostro, perchè non sono cessate dovunque le ostilità, ed il fragore delle armi cagiona ancora in più luoghi e preoccupazioni e timori. Ma, sperando che la lieta aurora di pace, spuntata anche sul Nostro diletto paese, non tardi ormai a rallegrare gli altri popoli belligeranti, Noi pregustiamo la dolcezza di quel giorno, non più lontano, in cui la carità tornerà a regnare fra gli uomini e la universale concordia stringerà le Nazioni in lega feconda di bene.

Ci è caro intanto di confermare a lei, signor Cardinale, la Nostra particolare benevolenza, e vogliamo che di questa Le sia nuovo pegno la benedizione apostolica che le impartiamo con effusione di specialissimo affetto.

Dal Vaticano, 8 novembre 1918.

BENEDICTUS PP. XV

II

AD LUDOVÍCUM THEISSLING, ORDINIS PRAEDICATORUM MAGISTRUM GENERALEM, DE « SUMMA CONTRA GENTILES », EDITA A COLLEGIO SODALIUM DOMINICIANORUM, QUI OPERUM S. THOMAE AQUINATIS LEONIANAM EDITIONEM CURANT.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod nuper obtulisti Nobis, vulgatum sodalium collegiatorum studio, qui omnium operum S. Thomae Aquinatis Leonianam editionem curant, volumen XIII, quo *Summa contra Gentiles* continetur, grato accepimus libentique animo, praesertim cum esset Nobismet ipsis eximia pietatis significatione dedicatum. Idem perdiiigenter exactum videmus ad eam normam quam editionis huius curatoribus decessor ille Noster fel. rec. dederat: nihil enim hic emendatius desiderari potest, quod ad lectionem attinet, nihil, quod ad formas litterarum, elegantius. In quo non solum habetur ex probatissimis codicibus manu scriptis atque ex ipso autographo

expressum, quicquid scripsit Doctor Angelicus, sed etiam, cum, appendicis loco, collecta proponantur quaecumque is semel iterumque corrigendo mutavit, mirari licet ac discere quemadmodum ad perfectionem absolutionemque hoc opus adduxerit. Etenim tamquam in suo genere absolutissimum, ubi prodiit in lucem, celebrari coeptum est, cum ab iis qui christianam sapientiam via et ratione ignaris exponerent, tum ab iis qui ab infidelium et acatholicorum impugnatione tuerentur. Et merito : siquidem Scholasticorum ratio seu methodus certis principiis positis subtiliter et presse concludendi quod sit consequens, mirifice accommodata est ad illustrandam veritatem ac tuendam: atque huius disciplinae Thomas, propter divinam quamdam vim et facultatem ingenii, facile princeps habetur. Hic autem liber, cuius incredibilem ubertatem et copiam praeclaris commentariis Ferrariensis explicavit, adeo vetustatem non sensit, ut, si pauca exceperis, in usum horum temporum admodum factus esse videatur: quam ob causam optandum ut omnino omnes, quotquot catholicae fidei defensioni dant operam, inde maxime sumant arma quibus utantur felicissime. Vobis igitur, qui in demandato munere exsequendo egregie Apostolicae Sedis exspectationem sustinetis, remque adhuc confecistis et Pontificatu maximo et vestro Ordine plane dignam, vehementer gratulamur. Nostis enim non minus, quam sapientissimum decessorem Nostrum Leonem XIII, Nos Aquinatis gloriae studere, ac velle ut hic tantus Doctor, quo inimicius ab haereticis huius aetatis appetitur, eo impensius ab alumnis Ecclesiae in philosophiae cultu sacrisque disciplinis, tamquam dux et magister, observetur. Auspicem divinorum munerum et paternae benevolentiae Npstrae testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, Leoniano sodalium\ollegio operibus S. Thomae edendis, praecipue dilectis filiis Gonstantio Suermondt et Petro Paulo Mackey, qui sollerter docteque inde ab initio in hoc opere elaborarunt, atque universae dominicianae Familiae amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvn rìrensis novembris MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

DE CLERICIS E MILITIA REDEUNTIBUS

Redeuntibus e militari servitio clericis, oportet ut Ordinarii omnes maximo cum studio nitantur eos omnes a mundano pulvere detergere, quo inter armorum strepitus et quotidiana pericula pronum est etiam religiosa corda sordescere, eosque ab irregularitatibus et ab impedimentis quae dimicando contraxerint liberare. Hoc sane exigit ipsorum clericorum bonum, fidelium animarum salus et Ecclesiae utilitas.

Itaque Beatissimus Pater Benedictus PP. XV, dum cum Episcopis universis impense dolet grave vulnus ecclesiasticae disciplinae illatum clericos adigendo ad militare stipendium faciendum, quod, praeter reliqua, tot paroecias spiritualibus subsidiis et Seminaria suis alumnis magno cum christianae plebis detrimento privavit; in praesenti cum pax diu desiderata in eo iam sit ut lucescere videatur, ad sanctum finem assequendum renovandi in sacerdotibus a militia reversis ecclesiasticum spiritum et diluendi noxas quas forte contraxerint, auditis haud paucis Archiepiscopis nationum omnium quae inter se praesenti bello dimicarunt, de consulto peculiaris coetus Emorum Cardinalium, haec quae sequuntur, statuit ac decrevit:

CAPUT I.

De irregularitatibus.

1. Omnibus Ordinariis locorum et religiosorum facultas conceditur dispensandi aß irregularitate ex defectu corporis cum suis sacerdotibus e militari servitio revertentibus, quoties ex testimonio scripto magistri caeremoniarum, qui sacerdotem examini subiecerit, plane constiterit ipse posse sine alieno auxilio servare cum decore omnes ritus necessarios

in Missae celebratione praescriptos; onerata super hoc ipsorum Ordinariorum conscientia.

In casibus vero gravioribus vel dubiis, et quoties agatur de non promotis ad sacerdotium, recurrendum erit ad S. Sedem.

% Pariter omnibus Ordinariis facultas conceditur dispensandi, saltem ad cautelam, ex irregularitate, quae a canonistis olim dicebatur *ex defectu lenitatis,* quoties sacerdotes, clerici et seminariorum seu religionum alumni in eam incurrerint non ex facto proprio sed ex necessitate, coacti nempe ad arma capessenda et mortem vel mutilationem forte inferendam. Quoties vero agatur de clericis in sacris qui, non legum necessitate coacti, sponte sua se obtulerunt ad arma suscipienda, aut ea susceperunt, pro dispensatione ad S. Sedem erit recurrendum, firmo tamen praescripto can. **1.88,** n. **6°.**

Quapropter Ordinarii, praevio examine in singulis casibus, decernant cum revertentibus e militia quos ab irregularitate absolvere possint, quos ad S. Sedem remittere debeant.

Ipsi autem sacerdotes qui e militia revertuntur et sciunt se irretitos esse irregularitate S. Sedi reservata, ne audeant sacris ministrare ante obtentam dispensationem.

CAPUT II.

De dandis et assumendis informationibus.

3. Singuli locorum Ordinarii de clericis et Seminariorum alumnis alterius iurisdictionis, qui in sua dioecesi militare servitium obeuntes per notabile tempus cornmorati sunt, vel adhuc commorentur, notitias, quantum fieri potest plenas, propriis illorum Ordinariis quam cito praebere accuratissime satagant: idque gravissimum conscientiae officium esse reputent, quo neglecto, haud modica christianae rei oriri poterunt detrimenta.

Notitias autem, quas Ordinarii de suis clericis et alumnis receperint, complere studeant per informationes ab aliis fontibus ac personis, ad rem quam diligentissime assumptis, ac demum per examen etiam personale de quo infra.

CAPUT III.

De sacerdotibus saecularibus et regularibus.

4. Sacerdotes, sive saeculares siye religiosi, redeuntes e militia, intra decem dies a reditu tenentur se sistere coram Ordinario suo eique exhibere litteras Ordinarii Castrensis vel saltem militaris cappellani sui,

aliaque documenta quae testimonium reddant de eorum vita et moribus; quae omnia proinde secum afferre curabunt. Ordinario autem eos percontari de iis quae pertinent ad externam seu publicam vitae rationem quam in militia duxerunt, de operibus ibi actis, de locis ubi commorati sint, respondere ex conscientia secundum veritatem iubentur.

Qui intra tempus superius praefixum Ordinarium suum non adibunt, suspensi manent ipso facto a divinis : a qua censura non relevabuntur, nisi quum quae supra mandata sunt impleverint.

5. Omnes sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, intra tempus ab Ordinario suo designandum (quod sine iusta et necessaria causa nimium protrahere non licebit), secedere debebunt in aliquam piam domum ab Ordinario designatam ad spiritualia exercitia peragenda, iuxta ipsius Ordinarii praescriptiones.

Qui huic praecepto non satisfecerint, manebunt pariter ipso facto suspensi a divinis, a qua censura non liberabuntur, nisi quum exercitiorum domum ingredientur,

6. Quum spiritualia exercitia, ut fructuose fiant, peragi debeant in aliqua pia domo a mundanis rumoribus remota, in silentio, sub ductu prudentis ac pii directoris et cum subsidio praedicatorum et confessariorum, qui cum doctrina et prudentia vitae sanctitatem coniungant, necesse est ut Ordinarii multo cum studio haec omnia comparent.

Sed quum vix possibile sit ut singulae dioeceses et religionum provinciae domum pro spiritualibus exercitiis plene instructam habeant; Episcopi curent cum aliis eiusdem provinciae aut regionis Presulibus convenire ad communem aliquam domum designandam et instruendam. Idem ut Ordinarii religiosorum peragant praecipitur.

* 7. Quum sacerdotum reversorum a militia non eadem sit conditio, neque par necessitas abluendi conscientiam et renovandi ecclesiasticum spiritum, Ordinariorum prudentiae relinquitur breviorem vel longiorem spiritualium exercitiorum cursum pro singulis statuere; ita tamen ut nemo minus quam octo integros dies spiritualis recessus impleat.

8. Ob eamdem causam in singulis casibus Ordinarii definient, utrum, post spiritualia exercitia peracta, sacerdotes ad pristina officia sive curae animarum, sive magisterii aut regiminis in Seminariis aut similia sint statim restituendi, vel secus.

Ad hunc finem tribuitur facultas Episcopis removendi ad tempus ab animarum cura, ab officio confessarii, a regimine et magisterio alumnorum in Seminario, qui durante militia non bene se gesserint, sive iidem suspensi fuerint a divinis, sive non; eosque adigere poterunt ad vivendum ad tempus vel in aliqua religiosa domo, vel sub ductu

pii et prudentis sacerdotis cum obligatione pia aliqua exercitia ex praescripto faciendi.

Idem in paribus casibus statuant Ordinarii religiosorum pro suis subditis, quos etiam voce activa et passiva ad tempus privare poterunt et ad vivendum in aliquo strictioris observantiae conventu adstringere. Superioribus autem generalibus facultas insuper tribuitur removendi superiores provinciales et locales, quoties ex eorum agendi ratione in militia id necessarium esse ducant.

Caveant tamen Ordinarii, quantum fieri potest, ne sacerdotes sive saeculares sive regulares sedem figant in locis ubi, militare servitium obeuntes, diu eo m m orati sint.

In casibus vero dubiis vel gravioribus, Ordinarii ad S. Sedem recurrant.

9. Denique, attentis peculiaribus nostri temporis conditionibus, conceditur Ordinariis dioecesanis facultas ad quinquennium valitura, qua, exigente animarum necessitate, si desint sacerdotes unicuique paroeciae proprii, committere possint uni eidemque sacerdoti curam duarum vel etiam trium paroeciarum, et transferre parochos a paroecia sua ad aliam magis centralem ex qua facilius succurrere possint fidelibus ipsorum curae commissis.

CAPUT IV.

De alumnis Seminariorum.

10. Omnes Seminariorum alumni, qui post militare servitium ad pium locum redire volent:

a) Ordinario suo se sistent, eodem prorsus modo ac de sacerdotibus superius est dictum.

b) Ordinarius circa examen et notitias assumendas eadem ratione se geret ac cum sacerdotibus.

c) Si ex hoc examine aliisque argumentis et documentis constiterit aliquem haud bene se gessisse in militia. Episcopus, habito cum deputatis super disciplina et cum rectore Seminarii consilio, eum a regressu in Seminarium repellat.

d) Si aliter constiterit, Episcopus, habito cum iisdem deputatis et rectore Seminarii consilio, petitionem admittat; sed sub modo et conditionibus quae in sequentibus indicantur.

e) In primis alumnum iubeat spiritualia exercitia peragere et quoad locum, tempus et modum spiritualis recessus Episcopus statuat ac decernat quod magis in Domino expedire in singulis casibus censeat, servatis, quantum fieri poterit, iisdem regulis ac cum sacerdotibus.

f) Post spiritualia exercitia, videat pariter, pro sua prudentia et cum consilio ut supra, utrum expediat alumnum a militia reversum cum ceteris statim admittere, an per aliquod tempus seorsim sub speciali vigilantia eum cum aliis a militia reversis detinere.

tl. Alumni in Seminarium reversi studia prosequentur inde adamussim incipiendo ubi ea abruperunt, et integrum cursum perficiant.

12. Quoad ordinationem, Episcopi, memores plus quam alias apostolici illius praecepti *[ad Thim.,* **I,** cap. **V):** « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis », caveant a promovendis suis alumnis, praesertim ad maiores Ordines, antequam per aliquot menses eos rite comprobaverint, onerata super hoc gravissime eorum conscientia.

CAPUT Y.

De novitiis clericisque religiosis.

13. Quoad novitios et clericos diversarum religionum, qui post militare servitium ad religionem suam revertuntur, eaedem cum proportione serventur regulae ac de Seminariorum alumnis praescriptae sunt.

14. Transitus religiosorum, post militare servitium, ad clerum saecularem eorumque admissio in Seminarium prohibita manent iuxta communis iuris praescriptum.

CAPUT VI.

De laicis aut conversis variarum religionum.

15. Qui fratres conversi vel laici in variis religionibus nuncupantur et post militare servitium ad conventum redeunt, consueto ut supra examini Superiores subiiciant; et si bene in militia eos se gessisse constet, praeviis spiritualibus exercitiis, cum cautelis et regulis in superioribus articulis nuntiatis, eos denuo in communitatem admittant.

Si vero constet eos se male gessisse et votis solemnibus ligati non fuerint, dimittant et hoc ipso a votis omnibus, etiam castitatis perpetuae absoluti erunt.

Quod si votis solemnibus obstricti fuerint, Superiores casum deferant ad S. Congregationem de Religiosis, et interim eos iubeant penes consanguineos suos, vel in monasterio, sed seorsim, vivere.

CAPUT VII.

De clericis in sacris, saecularibus vel regularibus, qui in graviora crimina prolapsi fuerint.

16. Cum clericis in sacris, qui forte in aliquod ex maioribus delictis, durante militari servitio, misere lapsi forent, quum redeunt, Ordinarii paterne quidem se gerant, sed ad eorum emendationem et salutem et in publicum Ecclesiae bonum, non omittent in singulis casibus iuxta criminum naturam procedere, prout in lib. V Codicis praescribitur, praesertim si in infamiam iuris vel facti incurrerint.

Cum iis vero qui per lugendum nefas a suis votis vel etiam a religione apostatae ad saecularem statum transiverint, iidem Ordinarii boni pastoris officium, quantum in ipsis est, agere non omittant, errantes oves opportune quaerendo. Curent insuper pro viribus ut, saltem in aliorum fidelium scandalum et perniciem* eorum prava exempla ne cedant.

Meminerint praeterea officii sui esse in relatione de dioecesis vel religionis statu aperte innuere an et quot apostatae deplorari apud ipsos debuerint.

*
* *

Haec omnia Sanctitas Sua districte ab omnibus Ordinariis servari mandat, nec plane dubitat, attenta singulari rei gravitate, quominus omnes et singuli peculiarissimum impensuri sint studium, ut quae praescribuntur plene et ad unguem impleantur.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 25 Octobris 1918.

C. **CARD. DB LAI**, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. * S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

II

DE RELATIONIBUS DIOECESANIS

FORMULA A PRIMO ANNO QUINQUENII III, HOC EST AB ANNO 1921, SERVANDA IN RELATIONIBUS IPSIS CONFICIENDIS.

Per decretum *A remotissima,* datum die 31 decembris 1909, determinata fuerunt tempus et ratio, quibus ab Ordinariis conficiendae forent relationes dioecesanae ad Apostolicam Sedem; simul autem dabatur *Formula,* quam Episcopi sequi deberent in eiusmodi relationibus exarandis. Verum, promulgato, superiore anno, novo Codice canonici iuris, quo nonnulla innovata sunt aliaque aliter ordinata, expedire visum est ac porro oportere ut memorata *Formula* aliquantum immutaretur, quo eiusdem Codicis praescriptionibus plenius responderet atque omnimode cohaereret.

Itaque, de mandato SSmi D. N. Benedicti PP. XV, nova haec *Formula,* ab ipsa Sanctitate Sua revisa et approbata, ab universis Ordinariis in posterum adhibenda erit in relationibus conficiendis, incipiendo scilicet a primo anno quinquennii tertii, hoc est ab anno 1921.

#

I. Relatio ***latina lingua*** conscribenda est, et ab ipso Ordinario subsignanda, adiectis die, mense et anno quibus data fuerit.

II. In prima cuiusque Ordinarii relatione ad singulas quaestiones, quae infra ponuntur, accurate ac plene responderi debet.

III. In relationibus; quae primam sequentur, Ordinarii omittere poterunt ea omnia, quae partem materialem status dioecesis respiciunt et immutata manserint.[1]

[1] **Ad Ordinariorum commoditatem sequentes canones *Codicis iuris canonici* hic referuntur :**

CAN. 340.

§ 1. ***Omnes Episcopi tenentur singulis quinquenniis relationem Summo Pontifici facere super statu dioecesis sibi commissae secundum formulam ab Apostolica Sede datam*** **(cfr. can. 215, § 2; 319, § 2).**

§ 2. ***Quinquennia sunt fixa et communia, atque computantur a die 1 Ianuarii 1911; in primo quinquennii anno relationem exhibere debent Episcopi Italiae, insularum Cor-***

CAPUT 1.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est *religionem,* si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit.

Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.

2. Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora;

si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta *Codicem,* can. 1594 § 2, teneat;

si vero suffraganea sit, quem Metropolitam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro *Conferentiis episcopalibus* conveniat;

si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro Concilio provinciali, pro *Conferentiis* et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.

3. Dicat praeterea :

a) quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;

sicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae, et aliarum minorum adiacentium; in altero, Episcopi Hispaniae, Portugalliae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus; in tertio, ceteri Europae Episcopi, cum insulis adiacentibus; in quarto, Episcopi totius Americae et insularum adiacentium; in quinto, Episcopi Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium.

§ 3. ***Si annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito dioecesis regimine, Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest.***

CAN. 341.

§. 1. ***Omnes et singuli Episcopi eo anno quo relationem exhibere tenentur, ad Urbem, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi, accedant et Bomano Pontifici se sistant.***

§ 2. ***Sed Episcopis qui extra Europam sunt, permittitur ut alternis quinquenniis, idest singulis decenniis, Urbem petant.***

CAN. 342.

Episcopus debet praedictae obligationi satisfacere per se vel per Coadiutorem, si quem habeat, aut, ex iustis causis a Sancta Sede probandis, per idoneum sacerdotem qui in eiusdem Episcopi dioecesi resideat.

b) quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;

c) quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;

d) qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum Seminarii;

e) utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;

/) in quot *vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus* aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;

g) utrum et quaenam *religiones* virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;

h) utrum et quaenam *religiones* mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

CAPUT II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.

4. An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae Ecclesiae propria est, sarta tectaque sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.

5. An institutum sit penes curiam *Consilium administrationis* et quibusnam constet : et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.

6. An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.

7. An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi;

can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia;

can. 1527 de abstinendo ab actibus ordinariam administrationem excedentibus;

et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum fundationum, aliaque.

8. An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servent quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.

9. In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542 : et si non, quae remedia adhibita.

Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.

10. Circa decimarum et primitiarum solutionem serventurne laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.

11. Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis serventurne praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineantne a vexatoria et odiosa requisitione.

12. Circa missarum stipem quomodo serventur quae can. 831 praescribit de taxa synodali;

quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant;

quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium;

quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.

13. An inventaria immobilium, mobilium et sacrae supellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio prò pio opere, alio pro Curia episcopali habeantur iuxta cann. 1296, 1522.

Cautum ne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis mobilia et supellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302.

14. An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum; et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur : catalogine confecti sint;

an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.

15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta, sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum;

et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.

CAPUT IJI.

De fide et cultu divino.

16. Utrum graves errores contra fidem serpant inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiose aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quaenam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa.

Adsitne *Consilium a vigilantia,* quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat.

An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.

17. Utrum divinus cultus libere exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda, et num adhibeatur.

18. An Ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaque sint, et canonicae de his leges servari possint, et serventur. Cann. 1205 seqq.

19. Utrum in cultu divino, in Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione; nec non in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae serventur.

An in his, et quaenam, irrepserint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerentur, et quanam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq.

Adsintne in ecclesiis picturae, statuae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur. Arceanturne semper a domo Dei profani conventus, et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

20. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat.

21. An generatim ecclesiae mundae sint, decenter ornatae et supellectili sufficienti instructae.

Adsintne egentes, squalidae, fatiscentes, et an et quid agatur ut reficiantur.

Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa supellectili insignes : et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

22. An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.

23. An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant :

et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266 :

quomodo observentur : cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem;

can. 1269 circa tabernaculi statum;

can. 1271 circa lumen coram SSmo.

CAPUT IV.

De iis quae ad Ordinarium pertinent.

24. Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis : et an sibi sufficientes sint;

qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat :

an et quale cathedraticum exigat iuxta can. 1504 :

an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505,1506 :

utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius exstinctioni consulat.

25. An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483,1299 § 3 et 1301.

26. An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis : et res bene gestae fuerint iuxta canm 432, 433.

27. Quomodo residentiae legi satisfaciat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter serventur. Can. 336.

28. Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat.

Serventurne in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.

29. Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis ***a)*** qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969; 6) qui saltem integrum theologiae curriculum in Seminario non peregerint. Can. 972 § 1.

An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis.

An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.

30. An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi;

et can. 893 seqq. circa casus reservatos.

31. Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi.

An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.

32. An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis eum acatholicis, infidelibus, ant impiis iuxta cann. 1060, 1064,1065,1071.

33. An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346.

An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc.

An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844.

Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.

34. Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.

35. ***Si sit Metropolitanus aut Conferentiarum, episcopalium Praeses :*** an et quando Concilium et quando Conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292.

Ceteri Episcopi: an Concilio provinciali, et Conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.

36. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio.sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.

CAPUT V.

De Curia dioecesana.

37. Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat.

Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinatoribus, parochis consultoribus, censoribus librorum, aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.

38. De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.

39. Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis : et quomodo erogentur.

CAPUT VI.

De Seminario.

40. Si dioecesis Seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis.

An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu: et ubinam educentur. Can. 1353.

41. Si Seminarium adsit, referatur enucleate :

a) de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;

b) de statu aedium, et rusticationis domus;

c) de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;

d) de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.

42. Distinctum ne sit Seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2.

Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat Seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educentur : num in Seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constitutum iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.

43. An servatae sint regulae :

can. 1356 circa tributum seminaristicum;

can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas;

cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem;

can. 1359 circa deputatos;

can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos;

" can. 1371 circa dimittendo^ aut expellendos;

cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae;

can. 1367 circa pietatis exercitia;

can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.

44. An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria Urbis Collegia, vel Universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.

CAPUT VII.

De clero generatim.

45. An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit.

An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.

46. An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis : an etiam quo poenitentes recipiantur.

47. Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent :

can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia;

can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia;

can. 13Ò circa examina annualia novorum sacerdotum;

cann. .131 et 448 circa *conferentias* cleri;

can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus;

can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parocho, can. 476 § 5;

can. 135 circa recitationem ofiicii divini;

can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem;

can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione;

can. 137 circa fideiussiones cavendas;

cann. 188-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

48. An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus :

an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent :

an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedeceat sacerdotem in iis partem habere :

an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae :

an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint : et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggérât.

49. An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem : et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciet.

Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas : et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.

50. An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit :

an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt :

si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servent leges a S. C. Consistoriali ad rem Statutas :

et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.

51. An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant, vel ea moderentur : et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.

52. An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent :

qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant :

qui ad statum saecularem redacti sint, ant per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214 :

et quid fiat ad horum maiorum remedium.

53. An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit : et casus graviores referat.

CAPUT VIII.

De Capitulis.

54. *Si desit Capitulum cathedrale,* dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventurne circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.

55. *Si adsit cathedrale Capitulum,* dicatur quot dignitatibus et canonicis constet;

adsintne officia canonici theologi et poenitentiarii; et serventurne ab ipsis quae cann. 398-401 iubent;

habeanturne alii beneficiati minores, et quot.

56. Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum.

In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.

57. Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.

58. Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.

59. Quot adsint canonici ad honorem : et serventurne de ipsis regulae can. 406.

60. Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini :

servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.

61. Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.

62. Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel *Communiae* cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.

CAPUT IX.

De Vicariis foraneis et parochis.

63. Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque;

an paroeciasjmxta normas ab Ordinario datas visitent;

et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.

64. An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae : et serveturne lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.

65. An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa.

An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae : et in hoc casu utrum serventur le-

ges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1.

Et si religiosus sit parochus, an sarta, tectaque sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.

66. An et quot adsint patronatui obnoxiae : an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451 : sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.

67. An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.

68. Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione.

An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant.

An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.

69. An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt :

can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt;

can. 465 circa residentiam;

can. 466 circa applicationem missae pro populo;

can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum;

can. 468 circa infirmorum curam;

can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepant;

et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda;

can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos;

circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali;

can. 785 circa ***sacra olea*** a parochis loco decenti ac tuto custodienda.

70. Circa ***baptismum:*** an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774 : et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorem ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.

71. Circa ***SSmam Eucharistiam:*** an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur;

ut iuxta can. 865, infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant;

ut iuxta cann. 1273,1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragendam, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo;

ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subrepant.

72. Circa *extremam unctionem: gm* parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

73. Circa *matrimonii* celebrationem : an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.

74. Circa *catechesim:* an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit :

can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communione et pro confirmatione puerorum;

et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.

75. Circa *evangelii* explanationem : an ab omnibus lex servetur can. 1344;

circa *sacras conciones:* an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones iecum habeant iuxta can. 1349.

76. An vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.

CAPUT X.

De religiosis.

77. An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513 : et quae notabiliora adnotanda habeat.

78. Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure;

quae sit in utroque casu eorum fama;

quaenam pro dioecesi utilitas;

an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334;

quo habitu incedant.

79. Si quaestuantes adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicae praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint : an aliquod inconveniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.

80. Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.

81. Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.

82. Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui *exclaustrati, saecularizati* aut *dimissi* a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.

83. *De religiosis mulieribus* in specie Ordinarius referat :

a) an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;

b) si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;

c) quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;

d) si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis obversantur, et an aliquid habeatur deplorandum.

CAPUT XI.

De populo fideli.

84. Dicatur quinam sint generatim populi mores : quaenam vita christiana privata in familiis : quaenam publica in oppidis et civitatibus : an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur.

Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.

85. Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.

86. Quae sit observantia :

can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis;

cann. 1252, 1254 circa abstinentiam et ieiunium;

can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus;

can. 859 circa communionem paschalem : quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenis fidelium;

can. 863 circa frequentem communionem;

cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta : an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant : et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenis;

cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera : dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur : an id contigat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.

87. Circa ***matrimonium:*** an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione;

an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint;

quid fiat ut haec mala removeantur.

88. Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta : quaenam exinde detrimenta religioni proveniant :

an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.

89. ***De christiana educatione prolis:*** quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372 : et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.

90. ***De scholis:*** an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum.

Et si non, ***qualibet de causa;*** an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.

91. De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur : quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa :

et dicatur, an per varia opera- post-scholaria, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve modis, cantum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.

92. De religiosis et piis laicorum *associationibus;* an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim *SSmi Sacramenti* et *Christianae doctrinae,* aliaeque, piae uniones potissimum pro iuvenibus : quo numero et quo religionis profectu.

93. An hae associationes servent omnes praescripta :

can. 690 de subiectione erga Ordinarium;

can. 691 de administrationis modo.

94. An adsint inter catholicos associationes illae, quae *sociales* vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro in? venibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc. : quo spiritu agantur : an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint : quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.

95. An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.

96. An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberaba dioecesim pervadant :

an libri quoque huius generis diffusi sint :

quid fiat ad tantum malum coèrcendum et quo fructu.

97. An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur : quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur : quid fiat ad occurrendum huic malo.

98. An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa : et quid fiat ad hanc avertendam.

99. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et Ecclesiae libertati pro viribus consulant.

CAPUT XII.

Iudicium sintheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit : et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi : et quaenam de eo censeantur causae.

Datum Romae, ex aedibus S. C. Consistorialis, die 4 Novembris 1918.

)$(**C. CARD. DE LAI**, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. 83 S.

f V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

S. C. Consistorialis decretis, Ssmus **D.** N. Benedictus XV has, quae sequuntur, ecclesias de proprio pastore providit, scilicet:

d novembris 1918. — Cathedrali ecclesiae Arianensi praefecit R. **D.** Iosephum Lo Iacono, canonicum metropolitanae ecclesiae Beneventanae.

9 novembris. — Titulari episcopali ecclesiae Lorymensi R. **D.** Adulphum Iosephum lelowicki, antistitem urbanum, parochum Sanctissimae Trinitatis in civitate Varsaviensi, quem deputavit in Auxiliarem R. P. **D.** Mariani Fulman, episcopi Lublinensis.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DIOECESIS *N.*

MISSARUM MANUALIUM

15 iunii 1918

SPECIES FACTI. - Nonnulli parochi civitatis *N.*, datis supplicibus ad H. S. G. libellis, exponunt in suis ecclesiis complura colligi Missarum stipendia a fidelibus oblata, ad rationem 1,70-2 francorum seu libellarum, quum taxa dioecesana ibi vigens sit libellae unius cum dimidia (L. 1.50). Hactenus poterant reperiri sacerdotes qui Missas illas celebrarent, et inde provideri ne deficerent sacra in suis ecclesiis, ad quas magna semper multitudo fidelium concurrit. Nunc vero id fere impossibile evasit, quum singulis sacerdotibus diebus ferialibus dentur in ea civitate pro Missa lib. 2,50 et diebus festivis lib. 5 saltem ; quamobrem magnus iam cumulus stipendiorum Missarum non celebratarum in manibus Oratorum excrevit. Deficientibus hinc aliis reditibus legatorum aut capellaniarum quibus stipendii defectus fortasse compensari posset, urgente inde necessitate ne Missae, statis horis, populo ecclesiam celebranti deficiant, postulant Oratores facultatem, qua ex cumulatis stipendiis atque ex colligendis in posterum, possint capellaniae creari, ita ut quivis capellanus accipiat pro Missis 5-7 libellas diebus festis, 2,50 - 3 ceteris diebus.

Adnuit quidem precibus, de expositorum veritate testatus Ordinarius, ea tamen lege ut reducendi facultas offerentibus nota fiat per publicum monitum in sacristiae tabella ponendum, et singulis annis ratio reddatur Curiae de Missis collectis et celebratis, a cumulatione autem excipiantur Missae quarum prompta celebratio ob specialem causam aut pro re gravi petitur.

ANIMADVERSIONES. - Quoad petitionem hisce supplicibus libellis contentam, primo loco habenda prae oculis est specialis quaedam difficultas, quam praesefert cumulatio Missarum *manualium* **a** diversis fidelibus oblatarum, earumque reductionem ad pauciorem numerum, prae cumulatione ac reductione Missarum *fundatarum* aut piorum lega-

toram. Nam Missae fundatae et pia legata pro plurimarum Missarum celebratione continent obligationem ad *unam* determinatam intentionem pro qua fundator aut testator voluit Missas celebrari: reductio igitur solum fit in *numero* Missarum, nec idcirco gravem praesefert difficultatem, cum Ecclesia numerum reducendo suppleat in reliquis ex spirituali thesauro cuius est dispensatrix; atque ita ex minori Missarum numero detrimentum non capiat *finis* ob quem Missae fundatae vel relictae sunt. E contrario, quum res est de Missis manualibus, singillatim collectis, cumulatio et consequens reductio in eam impingit gravissimam difficultatem, quod singulae Missae oblatae sint *in finem distinctum,* expresse intentum et determinatum ab oblatore, qui in offerendo stipendio, intendit contractum quemdam inire, vi cuius Missa sit applicanda pro sola intentione designata, non cumulatim cum aliis intentionibus. At vero, si cumulantur stipendia manualia singillatim collecta et deinde reducuntur ad minorem numerum, nulla Missa determinate offertur pro intentione postulata, sed omnes, ad pauciorem quantitatem reductae, cumulatim pro omnibus intentionibus offeruntur. Igitur videtur inito cum oblatore contractui minime satisfieri: adeo ut facile praesumi debeat,si ipsi dixisset quis ita satisfactum iri oneri imposito, vix non abstinuisset oblator a dando stipendio, quaesiturus potius alium sacerdotem qui pro particulari necessitate et intentione vellet celebrare.

Haec quidem non evincunt defectum potestatis in Romano Pontifice ad cumulanda et reducenda etiam stipendia manualium Missarum singillatim collecta, quum infinitus sit thesaurus Ecclesiae ei concreditus, ad quascumque necessitates supplendas idoneus: sed utique ostendunt longe graviorem causam requiri in Missarum manualium quam in legatarum aut fundatarum reductione. Haec autem gravior causa in casu adesse non videtur, quoties finis seu utilitas ab Oratoribus intenta alia via et ratione obtineri possit.

Et revera causa allegata non est propria ac particularis ecclesiarum Oratorum, sed communis omnium ecclesiarum dioecesis, immo complurium dioecesium: quod nempe sacerdotes nunc facilius stipendia constituta dioecesana taxa potiora inveniant, ac propterea nolint sese obligare ad celebrandas Missas statis loco et hora pro inferiore stipendio, igitur, loco accedendi singularibus petitionibus, opportunius videtur generale remedium quaerere, quod ceterum in promptu est: immutatio videlicet taxae dioecesanae, cuius actualis constitutio in L. 1,50 solummodo, parochis vetat ne ab oblatoribus maius stipendium exigatur (cfr. can. 831, § 1), eiusque elevatio ad eam, quae, teste Ordinario, in dioecesi iam est usualis, in L. 2,50. Qua in re, animadvertere iuvat,

licet verum omnino sit, non necessarium esse ut eleemosyna pro Missa oblata tanta sit, quanta ad integram sustentationem sacerdotis, ea die qua celebrat, requiritur, quia, ut optime animadvertit Benedictus XIV ex Suarez, « actio sacrificandi non requirit integrum diem nec maiorem « eius partem, ideoque non est cur sacerdos propter hoc solum mini« sterium integre alatur ab eo, pro quo sacrificium offert » *(De synodo dioecesana,* lib. V, cap. 8; cfr. *Quaest, canon.* 506); attamen non minus verum est, stipendium sacerdoti celebranti vere dari ob partialem sustentationem ipsi procurandam, huncque esse titulum, propter quem ex mente Ecclesiae recipi atque adeo exigi stipendium possit. Inde autem efficitur, stipendium debere esse proportionatum illi partiali sustentationi, pro qua datur, ita ut sufficiens sit pro illa comparanda; ideoque in illius taxatione habendam esse rationem circumstantiarum loci et temporis, et signanter caritatis vel vilitatis annonae, uti, plurimis allegatis, prosequitur Pasqualig. *De sacrif. N. Legis* quaest. 925. Et consequenter ubi victualia pluris veneunt, requiritur maius stipendium, et ubi minoris veneunt, sufficit minus stipendium: ex quo criterio resolutionem dedit haec S. Congregatio in una *Nullius Lerinae* 7 dec. 1675.

Iamvero communis est sententia Doctorum, quantitatem eleemosynae et iustam eius taxam desumendam esse, *vel* a communi consuetudine quae vigeat in dioecesi, *vel* a lege synodali, aut a decreto episcopi. Quam communem sententiam saepius firmarunt huius Sacrae Congregationis decisiones, v. gr., in causa *Aprutina,* 15 nov. 1698, ac in praesentiarum legis firmitate donavit Codex I. C. canone 831. Quum igitur hinc taxatio exsistat in dioecesi *N.* facta per statutum synodale in quantitate libellarum 1,50 pro diebus feriatis ; inde vero taxa usualis * seu consuetudine inducta, iam sit ab ipsa difformis, et attingat saltem libellas 2,50 pro missis diebus feriatis et libellas 5 pro missis diebus dominicis et festis celebrandis, idque effectum sit, testante Episcopo, urgente iam habituali et ordinaria annonae caritate, dicenda est *de facto* taxae synodali substituía alia ex consuetudine seu usu, et quidem rationabili: itaque non restat nisi quod substitutio fiat quoque *de iure.*

Et id quidem necessarium est omnino et sufficiens ad removendum inconveniens quod praesentibus petitionibus causam dedit. Quamdiu enim decreto Episcopi non definiatur illam taxam usualem esse in dioecesi tenendam, non facile poterunt induci fideles ut in postulanda celebratione Missae *usualem* stipendii taxam solvant, et ex adverso *exactio* stipendii supra taxam sacerdoti non est permissa, licet non prohibeatur uberiorem eleemosynam *a sponte dantibus* accipere. At si per decretum episcopale mutaretur taxa atque elevaretur ad eam,

quae de "facto est usualis, sacerdotes tuto possent stipendium ita taxatum *exigere;* quo facilius adducerentur fideles, ac paulatim assuesceerent, in postulandis Missis, maius seu congruum stipendium offerre, praesertim si decretum Episcopale publice in sacristia cuiusque ecclesiae proponeretur.

Nec si taxa synodalis in synodo fuit approbata, idcirco caret Episcopus potestate illam per novum decretum immutandi. Nam decreta synodi dioecesanae sunt mutabilia, sicut ceterae leges; et cum illa decreta suas vires et efficaciam unice mutuentur ab auctoritate et iurisdictione Episcopi, quae eadem prorsus est sive in synodo sive extra synodum exerceatur (Benedictus XIV, *De syn. dioec.*, lib. XIII, cap. 5), poterit itaque Episcopus per suum decretum constituere novam taxam, revocata antiqua; et sicut decreta synodi promulgantur audito consilio Capituli Cathedralis, ita ad hoc decretum episcopale promulgandum consultum esset prius Capitulum audire, quamvis id de rigore iuris non requiratur.

RESOLUTIO. - Propos tis itaque cum supradictis animadversionibus Oratorum precibus in plenariis comitiis diei 15 iunii 1918 in Palatio Apostolico Vaticano habitis, Emi Patres rescribendum super his censuerunt :

Non ex edire et ad mentem. Mens es *ut Ordinarius N. studeat elevare taxam synodalem, et quoad Missas non celebratas vel cumulatas, nisi agatur de Missis oblatis ob urgentem causam, provideat ad tramitem can. 841* Cod. Iur. Can.

Facta subinde relatione de praemissis SSmo Dno Nostro Benedicto Div. Prov. Pp. XV in audientia infrascripto Secretario concessa die 16 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbare et confirmare dignata est.

I. MORÍ, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

ET

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

NOTIFICATIO CIRCA MISSIONES AD DELEGATIONES APOSTOLICAS CONSTANTINOPOLIS, AEGYPTI, MESOPOTAMIAE, PERSIAE ET SYRIAE PERTINENTES.

In attesa delle disposizioni che la S. Sede darà a suo tempo in riguardo alle Missioni comprese nei territori delle Delegazioni Apostoliche di Costantinopoli, dell'Egitto, della Mesopotamia, della Persia e della Siria,

in relazione ai decreti e alle istruzioni precedenti date dalla S. Sede circa l'invio di Missionari e l'apertura di Missioni di rito latino nelle regioni dell'Oriente,

al fine che le opere del sacro ministero tornino a fiorire in Oriente con la ordinata e zelante cooperazione dei Missionari latini e per provvedere al necessario e regolare riordinamento delle Missioni medesime;

la S. C. di Propaganda Fide e la S. C. per la Chiesa orientale chiamano l'attenzione di tutti i Superiori degli Ordini e Istituti Religiosi latini, siano maschili, siano femminili, sulle seguenti disposizioni:

1. Non è permesso, fino a nuova disposizione, inviare nei confini delle Delegazioni Apostoliche sopraindicate alcun religioso o religiosa, per qualsiasi fine, senza l'esplicito permesso scritto della S. C. di Propaganda Fide o della S. C. per la Chiesa orientale, secondo la loro destinazione.

I permessi rilasciati prima della guerra ai Missionari non si intendono revocati. I rispettivi Superiori però son tenuti ad inviare alla S. Sede i nomi di tali Missionari che già si trovano nelle Missioni o che intendono ritornarvi.

2. 1 Delegati Apostolici e gli Ordinari sia latini che orientali non permetteranno nel territorio della propria rispettiva Delegazione e Ordinariato la celebrazione dei divini unici e l'esercizio di qualsiasi ministero ai religiosi latini che non abbiano il permesso prescritto

delia S. Sede, ne senza tale permesso consentiranno ai medesimi religiosi ed alle religiose di esercitare qualsiasi altro ufficio, e parimenti non permetteranno che nella propria Delegazione e Ordinariato dai Religiosi Missionari e dalle Religiose Missionarie, senza l'autorizzazione scritta della S. Sede, si apra alcuna nuova Missione, Opera o Residenza.

Quelle Missioni, Opere e Residenze che già esistevano regolarmente prima della guerra non potranno riaprirsi senza il consenso del rispettivo Delegato Apostolico.

Roma, 15 novembre 1918.

G. M. CARD, VAN ROSSUM,
Prefetto della S. C. di Prop. Fide.

NICOLA CARD. MARINI,
Segretario della S. C.per la Chiesa Orientale.

SACKA CONGREGATIO RITUUM

I

GORE ANA ET GOGINGINEN.

DECRETUM INTRODUCTIONIS CAUSAE BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII SERVORUM DEI STMEONIS BERNEUX, EPISCOPI CAPSENSIS ET VICARII APOSTOLICI COREAE, PAULI CHAU EORUMQUE SOCIORUM IN ODIUM FIDEI, UTI FERTUR, AB IDOLOLATRIS INTERFECTORUM.

Societas Missionum ad Exteros, cuius domus princeps exstat in civitate Parisiensi, die 27 maii anno Iubilaei 1900, quadraginta novem Venerabiles Dei Servos, martyres suos beatorum caelitum albo adscriptos congruisque cultus honoribus decoratos a Summo Pont. Leone XIII, cum sacris caeremoniis in Patriarchali Basilica Vaticana solemniter peractis, grato et iucundo pietatis affectu vidit et concelebravit. Aucta deinde a Pio Papa X anno 1909 nova corona triginta trium Beatorum Martyrum, aliis et similibus triumphis Ipsa se adornare atque augere disposuit per alios quadraginta novem héroes de quorum Causa beatificationis et declarationis martyrii ineunda, praesenti tempore, non obstante rerum publicarum perturbatione, actum est. Ex hisce Dei Servis, qui in odium Fidei, uti fertur, mortem obierunt, viginti novem passi

sunt anno 1866-1867, in regione Coreana, ceteri viginti anno 1860-1861 et 1862 in regione Cocincinensi. Prioris agminis novem et praecipui sunt e natione gallica et e Societate Missionum ad Exteros, nempe duo Episcopi et Vicarii Apostolici Coreae, et septem sacerdotes missionarii, reliqui fideles laici Coreani. Ex altero agmine adnumerantur quatuor sacerdotes, duo acolythi, duae moniales, undecim viri et una mulier. De praecipuis pauca referre iuvat. - Simeon Berneux, **Ortus** in loco *Ohateau-du-Loir,* Cenomanensis dioecesis, studiis in seminario dioecesano absolutis et ad sacerdotium evectus, paulo post seminarium Missionum ad Exteros ingressus, circa annum 1840 ad Tunquinum mittitur. Vix illuc pervenit, de christiana religione propaganda accusatus, comprehenditur et plura tormenta patitur, signis cruciatus in corpore impressis. Capite damnatus, auxiliante Deo, a navi gallica liberatur et in Manciuriam transit, ubi per duodecim annos sacrum ministerium peragit cum apostolico zelo, salutifera illarum gentium conversione et christianorum obedientia legitimis pastoribus coronato. Illius regionis Vicarius Apostolicus Verrolies sibi elegerat Berneux in coadiutorem et rite consecraverat episcopum, sed, instante Vicario Apostolico Coreae et auctoritate Sanctae Sedis, Dei Famulus, assumpto episcopali titulo Capsensi, Vicarii Apostolici Coreae coadiutor **fuit** renuntiatus; donec demortuo titulari Ipse successit. Misericors, benignus, catechista, confessarius et, pro suo munere Episcopi et Vicarii Apostolici, christianitatis visitator, nulli unquam perpecit industriae ac labori, cunctisque e clero et populo sibi concreditis, uti bonus Pastor, prodesse sategit. Ineunte anno 1866, die 28 februarii, dum a visitatione ad christianos redierat, a satellitibus in domo captus et ad praetorium adductus, tres dies mansit in carcere, compedibus vinctus et canga onustus. Deinde, coram utroque Praetore dextero et sinistro atque Regis Administro interrogatus, strenue respondit se in Coream venisse ut servaret animas et Christi religionem diffunderet. Hac de causa Ipse eiusque Socii ad supplicium damnati sunt, hisce verbis a Tribuno prolatis: « Vos « omnes audite: Religio, quam vos propagatis in Corea, severe prohi- « bita est. Vos autem hoc nescientes in alieno Regno propagatis vestram « perversam doctrinam, quapropter Rex Coreanus übet vos necari; «scite hoc et moriemini ». Tum in Episcopum eiusque Socios irruunt satellites et, **cum** clamoribus circumagentes gladios, singulis Dei Famulis caput obtruncant. Per tres dies Praesulis eiusque Sociorum corpora permanent publice exposita. Mox a paganis collecta et prope locum supplicii sepulta, dein a christianis, auctoritatis ecclesiasticae interventu, in alium locum benedictum religiose translata sunt. - Alter Dei Famu-

Ius Antonius Daveluy, Ambiani in Gallia natus et in Parisiensi Seminario Sancti Sulpitii, theologicis studiis expletis, sacerdotio nsignitus, in suam dioecesim rediit, ubi parochiali munere, Vicarii titulo, functus est, Christifidelibus apprime carus et beneficus. Anno circiter 1846 in Coream se contulit, ibique missionarius primum et deinceps Episcopus Aconensis et Vicarii Apostolici Coreae coadiutor per vicennium, singulari pietate et ardenti studio, ministerium suum gessit; illasque gentes ad humanitatem et ad christianam religionem assiduis laboribus redegit. Anno 1866, persecutio contra catholicam religionem eiusque missionarios et christianos in civitate Seoul exorta, alia quoque eiusdem regionis loca furenter invasit. Mense martio Episcopum Daveluy eiusque Socios aggrediuntur satellites in vico *Kentori,* eosque triduo detentos in carcere, mox ad civitatem Regis sedem perducunt. De christiana religione interrogatus a tribunali, Episcopus elata voce et animo invicto loquitur, atque Evangelicam fidem ac egèm tuetur ac vindicat. Quare, varia et saeva tormenta passus et capite damnatus, ter gladio percussus, in Fidei catholicae confessione occumbit feria **vi** in Parasceve, qua die in eadem Fide et passione Socii, pro nomine Iesu Crucifixi, interfecti sunt. Episcopi et Sociorum corpora, triduo in publicum exposita, a christianis acquisita, reverenter ac devote sepulta sunt. - Tertius heros, cuius nomen in titulo Causae honoratur, exstitit Paulus Chau, e parentibus christianis, natus in loco *Go-Thi,* Cocincinae Orientalis. Studiis in patria incoeptis et alibi absolutis, ab Episcopo Cuenot munera catechumenos instituendi et seminarii alumnos edocendi accepit. Ab eodem Episcopo ad sacerdotium promotus, Seminario vici *Lang-Song* regendo per quatuor circiter annos praepositus fuit. Comprehensus, in carcerem civitatis *Birih-Dinh* coniectus est, canga adstrictus. Quum in adoratione Ssmi Eucharistiae Sacramenti in eodem carcere asservati devotus oraret, mori pro Christo iam paratus, ex sententia Mandarini, praesertim quia sacerdos, capite plexus est; eiusque Socii, in eadem professione catholica fortes, pariter necati sunt. Pauli Chau et Sociorum corpora, a christianis prope ipsum caedis locum sepulta, postea semel iterumque translata, furente bello, misere fuerunt per incendium absumpta; exceptis exuviis ipsius Pauli Chau, uti asseritur ad Collegium in Insula *Pinang* perductis, ubi Servus Dei virtutis et sanctitatis fama pollebat. - Itaque de fama martyrii praedictorum quadraginta novem Servorum Dei, qui in regionibus Coreana et Cocincinensi, in odium Fidei, uti fertur, interempti fuerunt, Inquisitiones Informativae a Vicariis Apostolicis utriusque regionis, auctoritate Ordinaria, adornatae sunt et Romam ad Sacrorum Rituum Congregationem

transmissae. Quum vero, servato ordinis iure, omnia in promptu sint, nihilque obstet, quominus procedi possit ad ulteriora, instante Rmo P. Eugenio Garnier, Societatis Parisiensis Missionum ad Exteros postulatore generali, attentisque epistolis postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Archiepiscoporum, Episcoporum et Vicariorum Apostolicorum Missionum necnon Praepositorum Generalium Ordinum et Congregationum religiosarum aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Albanensis et huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*.Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei promotore generali, omnibus maturo examine discussis ac perpensis, rescribendum censuerunt: *Signandam esse, si Sanctissimo placuerit, Commissionem de sex et quadraginta Servis Dei,* quorum viginti sex in Corea, annis 1866 et 1867, capite plexi; nempe: Simeon Berneux, Episcopus Capsensis, et Antonius Daveluy, Episcopus Aconensis, ambo Vicarii Apostolici Coreae ; Iustus Ranfer de Bretenières, e dioecesi Divionensi, sacerdos et missionarius apostolicus Coreae ; Ludovicus Beaulieu, e dioecesi Burdigalensi, sacerdos et missionarius apostolicus Coreae; P. Henricus Dorie, e dioecesi Lucionensi, sacerdos et missionarius apostolicus Coreae ; Carolus Pourthié, e dioecesi Albiensi, sacerdos et missionarius apostolicus Coreae; Michael Petitnicolas, e dioecesi Sancti Deodati, sacerdos et missionarius apostolicus Coreae; Petrus Aumaitre, e dioecesi Engolismensi, sacerdos et missionarius apostolicus Coreae; Martinus Huin, e dioecesi Lingonensi, sacerdos et missionarius apostolicus Coreae (isti omnes sunt membra Societatis Missionum ad Exteros); - Petrus Ryou Tjyeng-Ryoul, ioannes Baptista Nam (Tjyong-Sam), Petrus Tchoi Tchi-Tchyang, Ioannes Baptista Tjyen Seung-yen, Marcus Tyeng, catechista, Alexius Ou Syei-hpil, Lucas Hoang Tjai-ken, Ioseph Tjyang Nak-syo, catechista, Thomas Son Tja-Syen, Petrus Tjyo Hoa-sye, Petrus Ni Myeng-sie, Bartholomaeus Tjyeng Moun-ho, Petrus Son Syen-tji, catechista, Iosephus Han, Petrus Tjyeng Ouen-tji, Iosephus Tjyo et Ioannes Ni (hi omnes ex Corea) ; viginti alii e Cocincina Orientali, qui annis 1860, 1861 et 1862 in ipsa Cocincina Orientali morte cruenta mulctati sunt, nempe: Paulus Chau, sacerdos, Iosephus Stephanus Chung, sacerdos, Dominicus Canh, sacerdos, Ioseph Thu, sacerdos, iacobus

Tuyen et Petrus Quon, clerici ordines minores adepti, Ioseph Trinh, catechista, Ioachim Bao, Ioseph Huu, Hua, Nam, Tan, Siao, loachim Qua, Ioseph Nghiem, Thaddaeus Qui, Petrus Me, Agnes Soan, monialis, Anna Tri, monialis, et Magdalena Luu. - Quoad reliquos tres Famulos Dei e Coreana regione, nempe: Petrum Ni Syeng Tchyen, Philippum Ni Syeng Ouk et Augustinum Song Syeng-po *dilata* et coadiuventur probationes. Die 12 novembris 1918.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae quadraginta sex praefatorum Servorum Dei, die 13, eisdem mense et anno.

!$(• A. **CARD. VICO**, Ep. Portuen. et S. Rufinae,

S. R. G. Praefectus.

L. © S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

ÜRBINATBN.

DECRETUM CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE EXHIBITI SERVO DEI IOANNI PELINGOTTO, TERTII ORDINIS S. FRANCISCI, SANCTO ET BEATO NUNCUPATO.

Ioannes Pelinus Gothus, vulgo Pelingotto, vir saecularis e tertio Ordine S. Francisci, Urbini claro genere ortus anno 1240, paterna in domo christianis virtutibus, potissimum'ab anno aetatis duodecimo, eluxit. Id enim constat ex testimoniis et scriptoribus coëvis, qui eius quoque vitam et sanctitatem illustrarunt. Praecipuus fons historicus recensetur *Vita* ab Urbinate saeculi xiv scriptore in vulgus edita, ex qua Bollandiani Patres aliique agiographi auctores haud paucas de Servo Dei hauserunt notitias et in suis operibus inseruerunt. Adolescens, mercaturae a patre addictus, non tam suae suorumque rei familiari quam aliorum fortunae augendae prospexit; qua agendi ratione ab inita negotiatione se alienum palam ostendit, et paulo post, patre annuente, mercaturam reliquit. Tum Deo se tradidit atque solitudini, orationi et eleemosynis

vires opesque suas impendit. In christiana perfectione proficiens et S. Francisci Assisiensis exemplo permotus, terrena animose despiciens et ad caelestia ferventer aspirans, Iesum Christum pauperem et humilem secutus est. In tertium Franciscalem Ordinem cooptatus, sodalibus et civibus clariora virtutis incrementa et exempla patefecit. Parentibus et cognatis, qui eum domum revocare tentabant, respondisse fertur: « Nolite, « quaeso, fratres mei, nolite mihi molesti esse. Sentio enim me thesaurum « reperisse absconditum, quem cupio, venditis omnibus, acquirere et « quaesitum conservare: habeo enim Dominum Iesum Christum, qui « pretiosior est omni lapide, pulchrior omni luce, suavior omni odore, « dulcior omni sapore, superior omni thesauro et excelsior omni virtute ». Videns quod eos quietare non posset, parentibus insistentibus, etsi reluctans, cessit, et cum eis domum rediit ea conditione, ut iam nil sibi cum mundo commune esset. Revera, domi degens, Christo Domino servire ac placere constanter studuit in variis poenitentiae, pietatis et charitatis operibus, omnium aedificatione et admiratione, Deo ipso Servi sui, adhuc viventis, sanctitatem mirifice probante. Vertente anno 1300 cum Iubilaeo a Pontifice Maximo Bonifacio VIII indicto, Ioannes Romam venit peregrinationis gratia ad spirituales indulgentias lucrandas; eique cum duobus sociis per urbem incedenti obviam occurrit homo quidam extraneus et incognitus, qui Servum Dei indigitans in haec verba erupit: « Nonne hic est ille vir sanctus de Urbino?». Obstupescentibus sociis, Peiingotto, ad partem conversus, flevit amare, satis demonstrans suae humilitatis sensus suaeque mentis elevationem ad Deum, ore et corde ingeminans: « Soli Deo honor et gloria». Postquam vero sacra Apostolorum limina visitaverat, accessit cum aliis peregrinis et civibus ad eleemosynam recipiendam quam'Summus Pontifex pauperibus quotidie erogari iusserat; at quum dispensator eum intuitus esset, distribuenti sic ait: « Noli huic sicut et aliis partem minimam dare, sed, ut petierit, quantum « et quanto semper impende ». Superno enim lumine viderat in illo paupere peregrino interiorem hominem et quandam virtutis perfectionem. Tandem Dei Famulus, iam meritis bonisque operibus dives, vitae austeritate fractus gravique infirmitate correptus, quum proximum sibi obitum praesentiret, sacramentis Ecclesiae devotissime receptis, sanctos tutelares, Deiparam Virginem et Iesum Christum frequenter invocabat: quibus praesidiis maligni spiritus aggressiones reiecit et ad imminentem transitum pacificum se paravit. Adstantibus et petentibus confratribus: « Quo ibis, Pater?», «Ad gloriam Paradisi», respondit; atque, haec dicens, sereno atque hilari vultu ad caelestem patriam migravit die I[a] iunii 1304. Magna cleri et populi frequentia exequiae, praesente cada-

vere, persolutae sunt; ipsumque corpus in communi coemeterio et in sepulcreto Fratrum honorifice conditum. Quod statim signis seu prodigiis clarescere visum est; et, confluentibus undique fidelibus, Fratres statuerunt sacras exuvias exhumare et in ecclesiam S. Francisci deferre, prouti Ioannes vivens elegerat atque iusserat. Deinceps, auctis signis seu prodigiis, piorum oblationibus super ipsum loculum Servi Dei altare rite erectum fuit, in quo Missarum solemnia ad eius commendationem et gloriam celebrari coepta sunt. Super cultu immemoriali Servi Dei Ioannis PeMngotto Processus Informativus in Curia Urbinatensi, auctoritate Ordinaria, die 11 augusti 1911 inceptus, die 15 iulii subsequentis anni, favorabili Ordinarii sententia, absolutus fuit. In eo continentur necessariae et opportunae testium depositiones et documenta multa et varia compulsata, diligenter selecta ex scriptoribus coëvis aliisque antiquis et recentioribus, ex archiviis conventus S. Francisci, Illrñi Municipii, Curiae et Secretariae Archiepiscopalis et Capituli Ecclesiae Metropolitanae Urbinatensis, quibus argumentis suffulti Causae actores cultum immemorialem Servo Dei Pelingotto exhibitum ab anno 1486 ad annum 1866 et ad haec usque tempora comprobare student. Speciatim vero ex statutis Illmi Communis Urbini afferunt quae sequuntur: « Per « eosdem Dominos Priores, cum assistentia Potestatis et civium, alia « fiat luminaria et oblatio in honorem S. Pelingotti die ultima maii, de « sero, honorifice discedendo ab ecclesia S. Augustini et eundo ad « ecclesiam S. Francisci, ubi illius sanctissimum corpus residet ». Addunt quoque acta triplicis canonicae recognitionis exuviarum Servi Dei ab Archiepiscopis Urbinatensibus peractae annis 1666, 1753 et 1910; nec non acta visitationis a tribunali factae tum domus natalis eiusdem Servi Dei, tum altaris sub quo quiescit eius corpus. In praedicta domo •exstat cubiculum, ab antiquo tempore conversum in sacellum, in cuius superiori parte interna habetur haec inscriptio: « B. Pelingottus hic in « lucem venit anno 1240 ex nobili familia Urbinatensi, mercaturae addicta, « ortum duxit, hac in domo habitavit annis circiter 64. Sanctitate et « miraculis clarus, obiit kal. iunii anno 1304. Eius corpus in templo « S. Francisci sub ara maxima iacet, ab immemorabili publico cultu « honoratus fuit ». Ad ecclesiam autem S. Francisci tribunal accessit et, ex auditu et visu, authenticum testimonium reddidit de cultu publico immemoriali et perseverante ad exuvias Servi Dei translatas ab altari principe Familiae Albani, simulque retulit se adspexisse signa cultus et pietatis fidelium, nempe vota argentea, cereos et similia cum notis P. G. R. (pro gratiis receptis). Perpensis itaque testimoniis et documentis supradictis. Iudex Ordinarius, sub die 15 iulii 1912, suam protulit sententiam

de cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito, id est ante annum 1534, nunquam interrupto ad hanc usque diem feliciter continuato, Servo Dei Ioanni Pelingotto, seu de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII. Actis omnibus processualibus Romam ad Sacram Rituum Congregationem transmissis atque obtento decreto diei 16 ianuarii 1918 servandi in hac causa ordinem iuris ante decreta dierum 11 novembris 1912 et 31 ianuarii 1913 praescriptum, cum altero decreto diei 8 maii 1918 de non reperitione scriptorum Servi Dei et de nullo obstáculo quominus procedi possit ad ulteriora, instante Illíño et Rmo Dno Dominico Jacquet, archiepiscopo tit. Salaminae, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium et Causae Postulatore, universae suae Familiae religiosae vota depromente, attentisque supplicibus precibus hodierni Rmi Archiepiscopi Urbinatensis una cum Capitulo Ecclesiae Metropolitanae ceteroque clero et cum conspicuo Ordine et populo civitatis et archidioecesis Urbinatensis, infrascriptus Cardinalis Antonius Vico, Episcopus Portuen. et S. Rufinae, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinario sacrorum rituum Congregationis coetu ad Vaticanas aedes subsignata die coadunato sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia lata a Rmo Vicario Capitulari Urbinatensi super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Servo Dei, seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi,, post relationem ipsius infrascripti Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani Fidei promotore generali, omnibus accurate, perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu sententiam esse confirmandam.* Die 12 novembris 1918.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papae XV per ipsum infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, die 13, eisdem mense et anno.

j$(A. **CARD. VICO**, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R C. Praefectus.

L. $ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA ROMANA ROTA

BUSCODUCEN.

NULLITATIS MATRIMONII (iURGENS-DE HOOG).

Benedicto Pp. XV feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, die 7 ianuarii 1918, BR. PP. DD. Guilemus Sebastianeiii, Decanus, Ponens, *Seraphinus Many et Raphael Ghimenti, Auditores de turno, in causa* Buscoducen. - Nullitatis matrimonii, *inter* Victorem lurgens, *repraesentatum per legitimum procuratorem Angelum d'Alessandri, advocatum, et* Ioannam De Hoog, *interveniente et disceptante in causa vinculi Defensore ex officio, sequentem in gradu appellationis definitivam tulerunt sententiam.*

Die prima aprilis anni 1910 Victor lurgens, aetatis suae annorum viginti novem, sponsalia inivit cum Ioanna De Hoog in vigesimo quinto suae aetatis anno constituta. Durantibus sponsalibus, vir non solum nullo Ioannae amoris signo fuit recreatus, sed animadvertere potuit sponsam tristem esse, taciturnam et virium lassitudine ac capitis dolore affectam. Autumans Victor hoc provenire ex familiaribus circumstantiis et ex aliquo morbo neurasthenieo facile medendo, sponsam induxit, ut per mensem curis medicorum se subiiceret in nosocomio Nassoviensi. At eaedem manserunt infirmae conditiones, adeo ut sponsus iam nupturus anceps haereret de matrimonio contrahendo. Praevaluit tamen in sponsam pietas, cum spe coniuncta vitam coniugalem eidem profuturam. Contracto matrimonio die 30 Augusti 1910, coniuges statim iter nuptiale arripuerunt, quod tamen ob mulieris infirmitatem breviatum est, et ad 15 dies redactum. Ioanna domi a doctore Beckman curata est; semper autem ingravescente morbo, in plura nosocomia, seu sanatoria, ducta est, et tandem in manicomium dictum *Gondewater,* prope oppidum *Rosmalen,* ubi adhuc hodie plena amentia misere languens commoratur. Interea sponsus, consilio habito a viris in iure nostro et in scientia medica praestantibus, petiit a Summo Pontifice, ut eius cum Ioanna

matrimonium nullum declararetur ex defectu consensus ex parte sponsae insania laborantis. Obtenta pontificia commissione, de mandato H. S. Auditorii processus instructus fuit ab Ordinario ßuscoducensi, et die 15 maii 1915 sententia prodiit actori favorabilis. Interposita, prouti de iure, appellatione, iam causa erat iterum decidenda, quando ad aures Revmi vinculi Vindicis quaedam pervenerunt querelae adversus rotalem sententiam. Hinc pro sui muneris ratione petiit et obtinuit processum suppletorium; quo rite confecto, nunc causa rursus dirimenda proponitur sub assueta formula dubii: *An sententia rotalis diei 15 maii 1915 sit confirmanda vel infirmanda in casu ?*

Ius quod spectat. - Neminem latet christianorum matrimonium rationem habere contractus, quo iura mutua traduntur et acceptantur; hinc ad validum coniugium ineundum necessario requiritur sponsorum consensus ex plena advertentia ac libera voluntate procedens. Nulla autem advertentia in iis est, qui morbo mentis laborant, quo functiones intellectuales impediuntur. Et nil refert, si ius positivum in novo Codice sileat de amentia et Decretales Gregorii IX loquantur tantum de furioso a nuptiis arcendo in cap. 24, tit. 1, lib. IV. Cum enim consensus sit id, quod dat esse matrimonio, non uni furioso prohibendum est matrimonium, sed iis omnibus, quorum mens in actu contractus ita impedita est, ut eiusdem contractus iura et obligationes intelligere nequeat.

Difficultas vero tota exurgere potest in singulis facti speciebus. Etenim, praeter eos, qui in omnibus et per omnia amentes sunt, adesse possunt qui plene compotes mentis non sunt, sed eorum morbus illam non attingit gravitatem, qua ratiocinandi potentia omnino privantur, et hi semi-fatui dicuntur. Accidere etiam potest aliquos non semper in agendis insaniam prodere, et ita quietam ducere vitam, ut non possit facile eorum infirmitas cognosci. Hoc locum habet in insania progressiva, sive appelletur dementia praecox, hebefrenia, aut paranoia. In hac postrema insaniae specie infirmi gradatim lumine mentis destituuntur, et difficile est probare, an tempore celebrationis contractus, aut matrimonii illa fruantur advertentia, quae requiritur ad peccatum mortale formaliter constituendum." Hinc necessitas recurrendi ad medicorum peritias. Iudicis tamen non est peritorum conclusiones admittere, quin eorum dicta cribraverit, perpendens scilicet, an facta, quibus peritiae innituntur, vera sint, iuridice probata et ab aliis non contradicta; an peritus extra propriam peritiam vagaverit; an in casu, quo plures habeantur peritiae, concordes sint, vel, ipsis discrepantibus, cui sit fides praestanda, attenta peritorum doctrina, aliisque inspectis circumstantiis;

quae uni potius quam alteri favere videntur. Ita in *Parisien,* 10 iulii 1909;. e. Prior; *Romana, %8* augusti 1911, c. Sincero; *Massilien.*, 11 augusti 1913, c. Many, etc.

Modo ad factum. - In primis Patres perpendere voluerunt agendi modum Ioannae, eius ingenium, loquutiones, quas proferebat et infirmitates, quibus lamentabatur; haec enim omnia ostendere possunt mentalem statum Ioannae. Qua in re testes adhibendi sunt familiares et propinqui, quia melius prae ceteris omnia animadvertere potuerunt; praetereunda quoque non est actoris depositio, cum constet ipsum reiigiosissimum esse, et causam hanc intentasse unice ductum a factorum veritate, uti refert Rev. P. Aloysius Koppendrayer, S. I.

Itaque testes quamplurimi, uti conventae mater, fratres Hermannus et Ioannes, et A. Vogel-Steinweg, quae cum Ioanna saepius conversabatur, referunt eam valde malincholia laborasse. Erat insuper « fredda, « apatica con totale assenza di energia, indolente... tribulosa ed inso- « ciabile;... s'infocava ogni tanto adiratamente,... cipigliosa,... di umore « stizzoso senza ragione », quare quam maxime erat omnibus gravis et fastidiosa. Saepe animum mutabat ex improviso et absque causa: «se « alle 11 del mattino (ait frater Hermannus) la malinconia era sparita, « alle tre dopo pranzo era eccessivamente allegra ». Et P. Ioseph Mohrmann, 0. P.: « Spesso passava da briosa allegria subitamente alla più « svagata distrazione, ovvero alla sfrenatezza senza cagione esteriore ». Hic addendum est quod Ioanna « non mostrava diletto di cosa alcuna » et testatur Dna Vogel: «Non aiutava mai nelle faccende di casa». « Non aveva affatto attitudine o interesse a farlo », uti deponit ancilla Ondeyans et confirmat frater Ioannes his verbis: « Era in uno stato « continuo d'indolenza, di storditezza di cervello di far niente, di sognare». Modus loquendi Ioannae clarius pandit proprii intellectus functiones; ipsi enim mos erat continuo et veluti ex necessitate vacua verba centies repetere. « Stava talvolta per lungo tempo a ripetere una medesima « parola insignificante », testantur mater, frater Hermannus, Dña van Kekem Steinweg et famula Ondeyans, cui Ioanna dicebat « di non poterne « fare a meno ». Aliquando propria verba moderare nesciebat. Nam, ait mater, « faceva tutto ad alta voce, come diceva anche ad alta voce le « cose più estranee ¡ed impossibili... Essa, quando uno la voleva far « lavorare, pronunciava delle parole non tanto civili, non tanto conve- « nienti ». His, quae Ioannam mente infirmam ostendunt, addi debent timores atque ideae persecutionum: « Mia figlia - ait mater - negli anni « prima dei suo matrimonio, ha più volte fatto capire la sua paura di

« diventare pazza un giorno... si lagnava spesso di pensieri orribili ». Et a fratribus, prouti ipsi deponunt, petebat: « Un bel giorno diventerò «pazza? Non sono una trovatella? Non vi sarà veleno nella mia « bevanda? », etc. Tandem, referentibus eadem matre ac fratre Hermanno : « Era talvolta stordita e stanca nella testa,... si lagnava peraltro « molto di storditezza e stanchezza di testa ».

Haec omnia, cum post inita sponsatia animadvertisset sponsus, a Ioanna obtinuit, ut se medicorum curis obiiceret in sanatorio Nassoviae sito pro aegrotis neurastenicis medendis. Hoc autem remedium, uti in specie dictum est, incassum cessit: haec enim scribebat Dr. Auholt in epistola diei 23 maii anni 1912 ad Victorem lurgens: « In queil'occa- « sione (i. e. in inspectione medica in sanatorio Nassoviensi peracta) « mostrò di avere una quantità di idee folli e pazze. Principalmente « credeva di essere perseguitata e danneggiata; così per esempio diceva « che il suo padre la faceva osservare per mezzo della Chiesa e dei « Gesuiti. Poi faceva allusione a ciò che sarebbe di alta nascita, che « insomma era una creatura del tutto speciale... Ora si sentiva sempre « osservata e sapeva che anche prima era stata sempre osservata. Gli « uomini per la strada avrebbero parlato di lei, avrebbero riso di lei. « Una volta, quando dalla strada abbastanza lontana e coperta di alberi, « si sentivano ridere i bambini, diceva che questi bambini si ridevano « di lei. Si credeva riconosciuta e osservata dalla gente, che passava « per la strada; il che era impossibile a causa della distanza della strada. «Come già dissi sopra, aveva sempre il sentimento chiaro di essere « malata, il che la faceva essere riservata anche verso di me, mentre « d'altra parte spesso diceva che era pazza o che diventerebbe pazza, « che non potrebbe sposarsi, che avrebbe paura del matrimonio e cose « simili ».

Hisce in adiunctis nuptiae celebratae fuerunt. Quomodo autem se gessit Ioanna in ipso voluptuario aut nuptiali itinere ita describit actor in sua depositione. « Niente *V* interessava, nè musei, nè bei edificii, ne « oggetti d'arte. Si mostrava indifferente persino nell'acquisto di regali « per sè o per altri destinati, nonostante la piena libera disponibilità, « che le davo del denaro... Di più continuamente si lagnava di stan- « chezza e storditezza in testa. Era come se essa sentisse la sua propria « impotenza... La sua consueta maniera di discorrere e di agire, o piut- « tosto di non dire, e di non far niente affatto, mi faceva profondamente « sventurato. Per tutte queste ragioni abbiamo [accorciato di molto il « viaggio », etc. Domum autem coniugalem ingressa rerum domesticarum curam suscipere non potuit, ita ut ipsa mater ancillam Annam

Arts obsecraverit, ut loco filiae omnia ageret: « Non farmi vergognare, «"mentre io sto qui, la figlia mia non sa fare niente». Ulterius, uti refert praefata ancilla: « Si lagnava spesse volte di stanchezza e stor- « ditezza di testa... Più volte diceva che alcune persone avrebbero detto « una volta che era matta, ma temeva essa stessa di diventare final- « mente pazza». Nec satis; non obstantibus curis omnibus, quibus ex parte Victoris circumdabatur: « Si lagnava spesso - prosequitur ancilla - « che era stanca di vivere, persino una volta, nel marzo 1911, ha potuto « impadronirsi di veleno e cercò, o parve tentare, di privarsi della vita ». Hinc necesse fuit eam ponere sub custodia infirmariae; ingravescente autem infirmitate inclusa fuit variis in sanatoriis et ad praesens commoratur in Nosocomio Condewsater plena insania laborans.

Porro, iuxta Auctores, qui de mentalibus morbis ex professo scripserunt, omnia praefata phenomena superius descripta, signa et characteres sunt dementiae praecocis aut hebephreniae (insania puberum vel iuvenum). Eugenius Tanzi ita tunc morbum describit: « Le demenza * precoce è psicologicamente un processo di disorganizzazione mentale * a decorso irregolare e progressivo, che coglie individui predestinati, « ma fino allora intelligenti e dopo una serie di episodi tumultuarii li «lascia in uno stato spesso incompleto, ma sempre tipico di deficenza, « che inaridisce gli affetti, perverte la volontà e rende stolida la con- « dotta » *(Psichiatria forense,* pag. 401). In opere autem, cui titulus *Trattato di medicina pubblicato sotto la direzione di Gharcot, Bouchard, Brissaud* (vol. 6, p. 276) hebephreniae constitutiva dicuntur esse: « Una « tendenza alla malinconia, a vaghe idee di ambizione o di persecu- « zione, scatti di collera e di violenza, una modificazione dell'umore, « che diventa instabile ed irritabile, accessi di risa insensate ». Conferri quoque potest Kraepelin, *Trattato di Psichiatria,* voi. 2, p. 48, et Rossi, *Medicina legale,* p. 297.

Non solum testium, sed et medicorum attestationes praecipue attendendae sunt. Decem medici Ioannam curaverunt, tres ante matrimonium, Doctores videlicet Anhalt, Muthman et van Vayenburg; septem post matrimonium, i. e. D. Bekman, qui eam domi a mense aprili ad diem 1 augusti anni 1911 curavit. Doctores Vilhelmy, Wassenmayer et Thomson, qui in sanatorio civitatis Bonn, tum a die I° augusti ad diem 20 novembris 1911, tum ab exeunte februario 1912 usque ad diem 20 decembris eiusdem anni eius curam egerunt ; doct. van de Hägen, qui eam in eodem sanatorio Bonn, tempore aestivo an. 1912 inspexit; doct. Stigter, qui in sua « clinica neurologica » in oppido *Schveningen,* Ioannae curae praefuit a medio decembris 1911 ad finem februarii 1912; tandem doctor

Hoogwold, director manicomii dicti *Gondewater* in quo a die 26 decembris an. 1912 usque nunc Ioanna rationis lumine destituta detinetur.

Itaque ex decem medicis septem sunt, qui non solum concordant circa diagnosim morbi, quo Ioanna laborat, scilicet quod sit dementia praecox seu hebefrenia, sed declarant quoque illam eodem morbo iam ante matrimonium affectam fuisse. Duo ad quaesitum de insania Ioannae ante matrimonium affirmative respondere non audent, sed nihil contra asserunt. Hi sunt doctores Hoogwold et Stigter. Primus ad praefatum quaesitum respondet: « Non posso dire niente di positivo a questa « domanda ». Alter dicit se non posse quidem affirmative respondere, sed possibilitatem insaniae ante matrimonium excludere nolle. Unicus igitur peritus, qui hoc expresse denegat est doct. Wayenburg, qui Ioannam curavit ante matrimonium a mense novembris an. 1909 ad initium iunii 1910. Hic in processu suppletorio excussus sub iuramento deponit: Putabam agi de psychasthenica, non vero de morbo phisico pro« grediente; ita ut putarem matrimonium ei non esse contra-indicatum ». Verum discrimen hoc opinionum inter doct. Wayenburg et ceteros doctores facile explicatur, si observetur doct. Wayenburg curam assiduam Ioannae non habuisse, nec habere potuisse. Nam eam domi recipiebat (et septies tantum eam excepit) inter horas solitis aegrotantium consultationibus assignatas, ideoque eam nec videre nec audire potuit in iis diebus et horis, in quibus, gravius morbo suo afflicta, domi retinebatur; unde plures notitiae utiles de mentali Ioannae statu ipsi doctori defuerunt. Revera, uti patet ex eius depositione, illum latuerunt plura gravia phaenomena, de quibus supra dictum est; v. g. vana illa phantasmata de propria regis nobilitate, de persecutione semper ipsi imminente, illi anxii et frequentes timores, ne veneno necaretur, illa absoluta et continua rebus domesticis vacandi incapacitas, etc. Unde mirum non est doctorem illum aliam morbi diagnosim statuisse, aut benigniorem interpretationem paucis illis phaenomenis, quae cognovit, dedisse.

At, posito etiam, quod Ioanna ante nuptias hebephrenia laboraverit, cum agatur de morbo progressivo, videre interest, an tempore, quo contractum fuit matrimonium, insania illum gradum attigerat, qui consensum matrimonialem excludit. Qua in re periti audiendi sunt. Doct. Anhalt, qui Ioannam, uti dictum est, curavit ante matrimonium in nosocomio Nassoviensi, interrogatus a iudice: « Ella è convinto che « essa già in quel tempo non poteva dare conto nè del suo dire, nè dei « suoi atti, cioè che allora non è stata capace di esercitare anche un « atto di libera volontà?», respondet: « Sono convinto che in quel tempo « non poteva rendersi conto completo del suo fare e dire; non era

« capace di agire con libera volontà (fare atti di libera volontà) ». Et ad quaesitum 5: « Ella ha la ferma convinzione che essa non è stata « atta a dare con chiara intelligenza e libera volontà il consenso chiesto « per il matrimonio cristiano?», respondet: « Sì ». Hanc eamdem opinionem tenet doct. Muthman praefati nosocomii director; iudici enim interroganti: « Putasne eam eo tempore tali insaniae morbo laborasse, « ut non posset liberae voluntatis actus elicere, ita quidem ut non « valeret liberum consensum praebere, qualis requiritur ad matrimo- « nium christianum? », respondet: « Il libero atto della volontà era « impedito anche alla conclusione nuziale (al matrimonio) ». Doctor Beckman in suo primo interrogatorio diei 28 octobris 1913 haec habet: « La consideravo come non responsabile del suo fare ed agire, e credo « dunque perciò che, benché forse conscia, ha dato il richiesto consenso, « nondimeno non ha potuto sufficientemente capire l'intera estensione « (tutto il significato) del suo consenso ». Nec difficultatem facere possunt verba: « Forse conscia ha dato il richiesto consenso », quia haec doctor non intelligit nisi de quadam conscientia et de quodam consensu partiali et quidem ad valorem matrimonii non sufficienti; dicit enim antea « la considerava come non responsabile del suo fare ed « agire ». Quod confirmat in secundo interrogatorio 13 iunii 1916; nam ad quaesitum 3: « Manesne igitur in sententia tua existimans dominam « Iurgens de Hoog matrimonium ineuntem consensus sui plenam signi- « ficationem non sufficienter intelligere potuisse? », respondet: *Affirmative.* Clarius doct. Wilhelmy: « Ho la persuasione che essa, all'atto del « matrimonio, già non era più in stato di prestare un simile consenso, « quale deve essere richiesto per la valida celebrazione di un matri- « monio cristiano. Come causa posso allegare tanto il fatto, che di solito « simili malattie si sviluppano lentamente, quanto l'asserzione degna di « fede di un altro medico (dott. Anchalt) che ha curato la signora Iur- **te** gens prima del matrimonio ». His accedit doct. Wassenmayer, qui declarat: « Secondo le notizie partecipatemi d'altra parte medica e dalle « mie proprie osservazioni ho la convinzione che la signora Iurgens, al « tempo della celebrazione del matrimonio non poteva prestare un valido « consenso ». Eadem habet doct. van der Hagen: « Opino che la Chiesa « cattolica per un valido matrimonio esige un consenso ragionevole « risultante da una libera volontà ed ispirato da sana mente. Basan- « domi su questo ho la convinzione che la malattia della signora esisteva « già prima del suo matrimonio in tale misura ch'essa era incapace, « alla celebrazione del suo matrimonio di dare un simile consentimento « ragionevole ». Tandem doct. Thomson director nosocomii siti in civi-

tate Bonn ita mentem suam pandit: «Ho la persuasione scientifica, « che questa insania già prima del matrimonio era tanto progredita, « che da essa era cagionato un serio restringimento della padronanza « della propria libera volontà, quale deve chiedersi necessariamente « per la conclusione di un matrimonio cristiano. ... Secondo la mia per- « suasione scientifica la signora Iurgens alla celebrazione del matri- « monio si è fatta guidare molto più da certe insane immaginazioni, « sentimenti ed impetuosità di volontà morbosa, che da motivi mentali « normali. Se alla celebrazione del matrimonio la facoltà della libera « volontà fosse completamente esclusa, non può essere asserito in base « della propria osservazione con certezza infallibile, ma può essere « ammesso come probabilissimo ». Utique hic doctor non videtur admittere in Ioanna, die matrimonii exclusionem liberae voluntatis, nisi ut probabilissimam; sed, uti patet ex ipsis eius verbis, haec summa probabilitas aequivalet morali certitudini, cum ea opponat certitudini infallibili, quae in his rebus nec haberi potest, nec requiritur; et cum dixerit in sua responsione ad 4, arbitrium *(padronanza)* liberae voluntatis necessario ad consensum matrimonialem requisitum notabiliter in Ioanna fuisse restrictum.

Post haec remanent solvendae praecipuae difficultates, quas solers vinculi vindex profert adversus testium depositiones et doctorum peritias. Relate ad testes ait quamplurimos, matrem praesertim Ioannae, declarasse se Ioannam ante matrimonium semper uti mente sanam habuisse, et phenomena supra relata nonnisi in indolem mutabilem et tantisper insolitam refundenda essse. Quod adeo verum est, ut die matrimonii in ecclesia, et tempore coenae, uti placidam verbis et gestis se exhibuit. Respondetur hanc eandem difficultatem propositam fuisse peritis, qui dixerunt hoc suetum esse in huiusmodi morbis, in quibus aegroti possunt et solent propriam infelicem conditionem legere. Ita doct. Beckman: « Di gran lunga presso la maggioranza dèi profani esiste « la propensione a considerare i fenomeni anormali, come difetti di « carattere, ovvero come conseguenza di circostanze particolari; cosicché « noi vediamo sovente, se non regolarmente, che la malattia esisteva già « da lungo tempo prima che fosse conosciuta come tale ». Pariter doct. van der Hagen: « Spiego ciò (difficultatem propositam) in questo « modo, che la signora era effettivamente strana, e non raramente faceva «l'impressione di essere sofferente dell'isteria, e che, se non la riguar- « davano come demente, è un fenomeno occorrente assai comune « in queste simili malattie, perchè i profani per il solito giudicano, « secondo il comportarsi, e le azioni, in quanto che son pericolose pel

« paziente stesso, oppure fastidiose e pericolose per altri e ciò non era « qui il caso ». Ita etiam doct. Anhalt, et doct. Thomson, qui speciatim quoad matris depositionem haec habet: « Le osservazioni della madre « che la figlia prima del matrimonio non fosse stata insana, ma che « solamente per malignità di carattere, si è voluta procurare, per sè '< e per altri dispiaceri, è di nessuna importanza qualsiasi, perchè la « madre stessa è una personalità decisamente patologica di mente e « partecipa all' insania della demente figlia, e perchè l'asserito peggio- « ramento di carattere nel senso di contegno maligno contro coloro « che la contornano, appartiene ai sintomi caratteristici di quella forma < di perturbazione mentale, della quale la signora lurgens è sofferente « nel modo già indicato ».

Mirandum etiam non est iuxta peritos Ioannam die matrimonii in ritu religioso explendo, et in coena nuptiali verbis et gestis mente sanam se exhibuisse. Deponit enim doct. Wilhelmus: « È del tutto « conforme alla esperienza quotidiana professionale dei medici degli « insani, il fatto che precisamente tali malati, come la signora lurgens, « sanno nascondere alle persone, che li circondano, le loro insane fanta- « sie, ed inclinazioni di sentimento, di volontà, che influiscono in modo < decisivo sulle loro azioni». Et doct. Anhalt: «La sua malattia *(sci- « licet Ioannae)* si è sviluppata poco alla volta. In tali casi il malato, «particolarmente il bene educato, suole conservare ancora lungo « tempo un contegno corretto. Aveva un sentimento vivaee della malat- « tia, che le cagionava di nascondere le sue idee morbose il più possi- « bumente ».

Adversus peritias opponitur certo non constare quonam tandem morbo mentali Ioanna laboraverit; periti enim modo loquuntur de paranoia, modo de dementia praecoci, seu hebephrenia. At I° cum fere omnes periti nos doceant de morbi gravitate, et quidem tempore, quo nuptiae celebratae fuerunt, parum refert de nomine, quo morbus vocetur. 2" Si hodie, testante doct. Hoogveld, Ioanna affecta sit paranoia, quod admittere videtur etiam doct. Anhalt in suo interrogatorio, dum e contra in quadam epistola scripsisset quod Ioanna « era dominata da fan- « tasmi vaneggianti d'indole ebefrenica », adnotandum est quod paranoia et hebephrenia 'iuxta doctorem Borri « non hanno individualità *« clinica, trattandosi di differenze superficiali di forma, spesso concor- « renti di un unica e sostanziale modalità psicopatologica, consistente « nella labilità di equilibrio, o addirittura nello squilibrio, o addirittura « nello squilibrio funzionale di un cervello costituzionalmente imperfetto » *(Nozioni elementari di medicina legale,* pag. 297).

Quibus omnibus rite consideratis Nos infrascripti Auditores de turno pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, dicimus, declaramus ac sententiamus sententiam diei 15 maii esse confirmandam; i. e. ad propositum dubium respondemus: Ad I *Affirmative,* ad II *Negative.*

Mandamus autem Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim cap. 3, sess. XXV, *De reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna, pro rerum adiunctis, esse iudicaverint.

Romae in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 7 ianuarii 1918.

Guilelmus Sebastianeiii, Decanus, *Ponens.*
Seraphinus Many.
Raphael Chimenti.

L. % S.

Ex Cancellaria S. Romanae Rotae

Sac. T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 29 ottobre 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con *V* **intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati e dei Consultori teologi, componenti la S. Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione** *Preparatoria* **per discutere il dubbio intorno al martino, alla cagione del martirio ed ai segni di questo, o miracoli per la Causa di Beatificazione, ossia dichiarazione del martirio, delle Serve di Dio Maria Maddalena Fontaine con tre Compagne, Figlie della Carità, e di Maria Clotilde Angela di San Francesco Borgia con dieci Compagne, Orsqline di Valenciennes.**

Martedì 12 novembre 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione *Ordinaria* **dei Sacri Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie:**

1) introduzione della Causa di Beatificazione, ossia dichiarazione del martirio, dei Servi di Dio Simeone Berneux, Vescovo di Capsa e Vicario Apostolico della Corea, e di Paolo Chau e loro rispettivi Compagni uccisi, come si asserisce, in odio alla Fede nella Corea e nella Concincina;

2) conferma di culto prestato da tempo immemorabile al Servo di Dio Giovanni Pelingotto, Terziario Francescano, detto Santo o Beato;

3) intorno alla revisione degli scritti del Servo di Dio Ugolino da Gualdo Cattaneo, dei Romitani di Sant'Agostino;

4) e degli scritti del Servo di Dio Angelo De Scarpetti, dei Romitani di Sant'Agostino.

5) e degli scritti della Serva di Dio Filomena Genovese, Terziaria Francescana.

Martedì 26 novembre 1918, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Consultori teologi, si è tenuta la Congregazione dei Riti *Nuova Preparatoria* **per discutere il dubbio sul martirio, la causa del martirio ed i segni o miracoli del Ven. Girolamo detto della Rocca delle ventiquattr'ore, ucciso, come si asserisce, in odio alla Fede, in Giulia Cesarea o Algeri.**

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre si è degnato di nominare:

31 ottóbre 1918. L'Emo signor Cardinale Andrea Fmhwirth, *Protettore dell'Istituto delle Terziarie Domenicane della Congregazióne di Santa Caterina di Springfield.*

4 novembre » L'Emo signor Cardinale Lodovico Billot, *Protettore dell'Istituto delle Suore " Guardiane Adoratr'ici dell'Eucaristia „.*

7 » » L'Emo signor Cardinale Raffaele Scapinelli, *Membro della Sacra Congregazione Concistoriale.*

» » » L Emo signor Cardinale Donato Sbarretti, *Membro del Supremo Sacro Tribunale della Segnatura Apostolica.*

12 » » L'Emo signor Cardinale Oreste Giorgi, *Protettore delle Suore della Croce, di Siviglia.*

13 » » L'Emo signor Cardinale Michele Lega, *Protettore della Venerabile Arciconfraternita di S. Maria del Buon Consiglio.*

21 » » Il Revmo P. Giuseppe Drehmanns, della Congregazione del Santissimo Redentore, *Consultore della Commissione Cardinalizia per lOpera " Praeservationis Eidei „.*

1 dicembre » Mons. Raimondo de la Porte vescovo tit. di Berisa, *Consultore della S. Congregazione dei Sacramenti.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di nominare:

Protonotario Apostolico di numero partecipante:

30 novembre 1918. Mons. Domenico Iorio.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

21 ottobre 1918. Mons. Nicola Sa vinetti, Gran Priore di San Nicola di Bari,

12 novembre » Mons. Nicola Farina, dell'archidiocesi di Gaeta.

29 » » Mons. Giovanni M. Emilio Sahut, della dioc. di Montpellier.

Prelati Domestici di S. S.:

23 ottobre 1918. Mons. Giuseppe Barbero, dell'archidiocesi di Torino.

26 » » Mons. Stefano Mata Pascual, della diocesi di Osma.

25 novembre » Mons. Camillo Fornari, della diocesi di Rieti.

» » » Mons. Luigi Camboni, della diocesi di Ozieri.

» » » Mons. Tommaso Miley, dell'archidiocesi di Edimburgo.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

1 novembre 1918. Al sig. Massimo Gérard, console generale del Belgio nelle isole Canarie.
6 » » Al sig. Giovanni Zaccone, della diocesi di Saluzzo.
8 >• » Al sig. avv. Luigi Giordano, deirarchidiocesi di Torino.
20 » > Al sig. ing. Rodolfo Sella, dell'archidiocesi di Torino.
» » > Al sig. barone Luigi Rodino, dell'archidiocesi di Napoli.
28 » » A lord Skerrington Campbell Guglielmo, dell'archidiocesi * di Edimburgo.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

25 ottobre 1918. Al sig. dott. Francesco Natucci, della diocesi di Pescia.
6 novembre » Al sig. Luigi Serse Grilli, di Roma.
28 » » Al sig. Giovanni Patrizio Boland, residente a Londra.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

13 novembre 1918. Al sig. Giuseppe Feliciano da Costa, già Ministro Plenipotenziario ed Inviato Straordinario del Portogallo presso la Santa Sede.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

Con Biglietti di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, il Santo Padre si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S.:

12 ottobre 1918. Mons. Augusto Strenghetto, della diocesi di Adria.
25 » » Mons. Francesco Gardini, dell'archidiocesi di Bologna.
» » » Mons. Antonio Piccinelli, della diocesi di Como.
26 » » Mons. Pietro Ciriaci.
31 » » Mons. Tommaso Migliore, dell'archidiocesi di Torino.
4 novembre » Mons. Paolo No varo, della diocesi di Albenga.
7 » » Mons. Antonio Lira Pessôa de Maria, della diocesi di Sobral.
9 » » Mons. Giovanni Battista Cavallotti, della diocesi di Saluzzo.
20 » » Mons. Francesco Mennini, dell'archidiocesi di Firenze.
22 » » Mons. Giovanni Brianda, della diocesi di Ozieri.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa di S. S. :

18 novembre 1918. Il sig. Adolfo Zaleski, della diocesi di Luceoria e Zytomir,
27 » » Il sig. conte Giuliano Gambaro, dell'archidiocesi di Genova.
» » » Il sig. conte Agostino Ravano, della medesima archidiocesi.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

25 ottobre 1918. Mons. Cesare Ferreira dos Santos.
» » » Mons. Giovanni di Francesco Filippucci.
26 » » Mons. Pietro Pirri.
29 » » Mons. Ermanno Winter, dell'archidiocesi di Colonia.
11 novembre » Mons. Luigi Mazzarelli, della diocesi di Mondo vi.
13 » ^ » Mons. Santiago Garrote Amigo, della diocesi d'Avana.
20 » » Mons. Giuseppe Menghi, della diocesi di Tivoli.

Cappellano d'onore extra urbem ***di S. S. :***

1 giugno 1918. Mons. Giuseppe Augusto Ferreira, dell'archidiocesi di Braga.

Cameriere d'onore di Spada e Cappa soprannumerario di S. S.:

6 novembre 1918. 11 sig. comm. Piero Umberto Giaj-Levra, dell'archidiocesi di Torino.

NECROLOGIO

9 ottobre 1918. Mons. Carlo Arsenio Bourdon, vescovo titolare di Dardano.
» » » Mons. Pietro Broyer, vescovo titolare di Polemonio.
dicembre » Mons. Giovanni Giuseppe Koppes, vescovo di Lussemburgo.

Quaedam *corrigenda* in vol. X (1918) Commentarii *Acta Apostolicae Sedis* :

Pag. 25	**lin. 22**	***legatur:***	**diei**
» 26	**» 3**	»	**diei**
» 26	**» 16**	»	**n. 1247**
» 132	**» 27-28**	»	**Sancti Columbae Abbatis**
» 179	**» 13-14-15**	»	**Tandem iisdem, si uno cuiusque mensis die ad sacram Synaxim accedant iuxta Pontificis mentem, plenariam, *etc.***
» 238	**» 3**	»	**mancipatus**
» 238	**» 7**	»	**ad religiosos**
» 382	**» 28**	»	**etiam suppressis et duplicibus I et II classis, *etc.***

INDEX GENERALIS RERUM

(ANN. X — VOL. X)

INDEX DOCUMENTORUM

CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

L - ACTA BENEDICTI PP. XV

V. - EPISTOLAE.

ANNO	MENSE	DIE	
1918	Iul.		*Litterarum tuarum.* - Ad R. P. D. Michaelem Felicem Eorum, episcopum Trevirensem, qui praeclarum pietatis testimonium et pignus dederat, gratias agens rescribit . • . . . .
			Pastoralis sollertiae. - Ad R. P. D. Michaelem 0'Doherty, archiepiscopum Maniianum, ceterosque Episcopos Insulam tu Philippinarum, qui de actis conventus Manilani communem epistolam dederant .
		10	*Iucundus Nobis.* - Ad regem Rajah Rama Vurmah, cui de sexagesimo eius natali gratulatur . . . .
		19	*Anniversarium diem.* - Ad R. P. D. Natalem Gabrielem Moriondo, episcopum Cuneensem, natalem quintum et vicesimum ab inito sacerdotio celebrantem . .
		31	*Quoniam dena.* - Ad R. P. D. Iacobum Gostamagna, episcopum tit. Coloniensem, vicarium apostolicum de Méndez ac Gualaquiza, quem, ob sacerdotii natalem L, gratulationibus et votis prosequitur . .
	Aug.		*Varie sane.* - Ad R. P. D. Victorem Arrien, archiepiscopum Platensem,'ceterosque Episcopos Boliviae, quorum communi epistolae rescribit . . . .
			Quod Nobis. - Ad Catharinam Schynse, sodalitatis « Catholicarum mulierum missionibus iuvandis » praesidem generalem, xxv redeunte natali, ex quo eadem pium opus condiderat . . . .
		21	*Variis sane.* - Ad R. P. D. Ioannem Iosephum Koppes, episcopum Luxemburgensem, quem annos L a sacerdotio suscepto complentem gratulationibus et votis prosequitur. . . . .
	Sept.		*Ineundum sane.* - Ad iacobum S. R. E. card. Gibbons, archiepiscopum Baltimorensem, cui natalem episcopatus quinquagesimum propediem acturo gratulatur ex animo. . . . .
		11	*Dum sacra.* - Ad R. P. D. Henricum Reig y Casanova, episcopum Barcinonensem, cui munus suae gerendae personae in proximo mariali conventu defert
		17	*Quamquam in obsequio.* - Ad Victorianum S. R. E. card. Guisasola y Menendez, archiepiscopum Toletanum, natalem episcopatus quintum et vicesimum propediem celebratorum . . . .
		20	*Quae in proximis.* - Ad Petrum S. R. E. card. La Fontaine, patriarcham Venetiarum, cuius officiosis litteris ex sacra spiritualium exercitiorum secessione datis rescribit . . . .
	Oct.		*Dioecesanam Synodum* - Ad R. P. D. Fidelem Olivas Escudero, episcopum Ayacuquensem, qui dioecesanam synodum propediem coacturus erat . . .
			Cum ad christianos. - Ad R. P. Dominicum Mariam Ta vani, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium

II. - ACTA SACRARUM CONGREGATIONUM

VII. - S. CONGREGATIO

DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS,

VIII. - S. CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALT.

INDEX ANALYTICUS RERUM NOTABILIUM

A

C

D

I

K

M

O

P

R

S

IV

INDEX PERSONARUM

A

E

N

O

P

DECIMUM VOLUMEN COMMENTARII OFFICIALIS *«Acta Apostolicae Sedis »*

ABSOLVITUR DIE 5 **DEC.** 1918. - **TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS**

PONTIFICIUM INSTITUTUM OEIENTALE

NUNTIA

DE REBUS INSTITUTI

SUMMARIUM

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXVIII

PONTIFICIUM INSTITUTUM ORIENTALB
PONTIFICIUM

I.

INAUGURATIO LECTIONUM.

1. Lectionibus Pontificii Instituti Orientalis, initium fiet die 2 proximi mensis decembris, i. e. Feria II post I Dominicam Adventus.

2. Qui studiis in instituto incumbere voluerit nomen suum mittat eaque documenta afferat quae in n. 9 et in n. 10 Statutorum Generalium infra indicantur.

3. Post diem 20 decembris 1918 nemo exinde ad inscriptionem admittetur.

4. Inscriptiones a die 28 novembris 1918 recipiuntur quotidie, non tamen dominicis ac diebus festis, *mane,* ab hora X ad horam XI cum dimidio, in sede propria P. I. O. in platea vulgo *Piazza Scossacàvalli, Boma.*

II.

• STATUTA GENERALIA.

NOTA. - **Statuta, quae infra habentur, ita propter conditiones praesentes conduntur, ut iam ab initio, iri Pontificio Instituto Orientali, optimus ordo observetur, omnibusque certa regula praesto sit, qua dirigantur: norman tamen definitivam pro futuro non constituunt.**

1, Pontificium Institutum Orientale, ex voluntate magnificentissimi sui Fundatoris, SSmi D. N. BENEDICTI Divina Providentia Pp. XV, domus est altiorum de rebus orientalibus studiorum (Ex Motu Proprio *Orientis Catholici).*

% Destinatur « Latinis primum sacerdotibus qui apud Orientales sacrum ministerium obire volunt, ut congruenti quae omnes numeros habeat, institutione formentur » (ibid:).

3. « Patet etiam Orientalibus tum unitis, tum orthodoxis, qui appellantur, tum aliis qui ab Ecclesia Romana dissident: illis quo ordinarium doctrinae curriculum harum disciplinarum accessione perficiant; his vero ut possint, omni praeiudicata opinione deposita, veritatem penitus perscrutari» (ibid). •

4. Hi omnes qui studiis in Instituto Pontificio Orientali incumbere cupiunt, veL inter *alumnos,* vel inter *auditores* conscribantur necesse est.

5. Inter *Alumnos* adnumerari possunt nonnisi clerici, qui, *absolutis studiis philosophicis ac theologicis,* ea lege admittuntur, ut lectiones omnes et exercitationes frequentare, quae in singulis sectionibus Instituti, de materiis tractant necessario ediscendis, examinibusque circa praedictas materias se subiicere, in fine cuiusvis anni scholastica debeant.

6. Uti *Auditores* vero habentur ii omnes, sive clerici sive laici, qui licentia a Praeside praehabita et sub certis regulis infra statuendis, ita admittuntur ut scholas seu lectiones ab ipsismet electas frequentare valeant.

7. **Qui studiis in Instituto vacare cupiunt, quamprimum nomen suum in scriptis ad Praesidem Instituti mittant, aperiahtque simul singuli, utrum in numerum Alumnorum vel Auditorum admitti desiderant.**

8. Clerici vero ritus latini qui ad coetum religiosum pertinent cuius Sodales nonnulli apud Orientales, vel iuventutis institutioni in litteris **incumbunt, vel alia sacra ministeria exercent, inter Alumnos annumerandi sunt omnino, cum omnibus obbligationibus alumnorum, nisi ex gravi causa dispensationem singuli obtinuerint.**[1]

[1] **Hoc anno dispensatio a n. 8 horum Statutorum omnibus conceditur.**

,9. Pro admissione inter Alumnos oportet etiam indicare:

a) dioecesim vel Ordinem seu Congregationem religiosam ad quam pertinent;

,v 6) locum originis et locum domicilii praesentis;

c) Ordinem Sacrum in quo constituti sunt, addito loco et die ordina' tionis; ' • • ' • - : >

d) gradus academicos, 'si quos- obtinuerint, addito loco et die promotionis ;

e) testimonium authenticum de studiis philosophicis ac theologicis absolutis ;

f) Ab iis vero qui Romam veniunt, requiruntur insuper testimoniales litterae ab Ordinario vel a Superiori religioso datae de consensu praestito pro studiis in Instituto* Orientali faciendis. Pro iis qui veniunt ex Collegiis Pontificiis vel ex domibus religiosis Romae existentibus, sufficiunt litterae commendatitiae Rectoris Collegii vel domus.

10. Pro admissione inter Auditores* Clerici eadem praestent ac ii qui inter Alumnos adscribi desiderant, praeter testimonium de studiis philosophicis ac theologicis absolutis. Laici vero, praeter nomen et locum originis et locum domicilii praesentis, tenentur etiam indicare:

a) studia iam peracta cum documento authentico;

b) gradus, academicos, si quos obtinuerint, addito loco et die promotionis ;

c),ostendant insuper litteras de honestate vitae commendatitias, a persona in dignitate constituta vel ab auctoritate civili, cui subiiciuntur, datas.[1]

Clerici vero simul ac laici déclarent quasnam scholas seu lectiones frequentare optent. . • . >. •

11. Pretium pro inscriptione aut pro frequentandis scholis et.bibliotheca adeunda Instituti nullum penditur.

12. Singulis Alumnis et Auditoribus tessera seu libellus admissionis ad scholas Instituti tradetur, quem semper secum habeant et sine quo nemini accessus ad scholas aut ad bibliothecam patebit.

13. Alumni una cum frequentia assiduitatem diligentiamque coniungere, tam in lectionibus quam in exercitationibus Instituti, curabunt.

14. Quo melius Alumni suam in studiis diligentiam acuant, vel moderatoribus suum in addiscendis disciplinis profectum demonstrent, ordinarius studiorum cursus in Instituto Orientali, duo doctrinae experimenta, extremo quoque anno, ab omnibus alumnis facienda, complectitur.

15. Exeunte primo anno ab omnibus alumnis examen subeundum erit de materiis obligatoriis, quae in decursu anni traditae sunt a magistris.

16. Ii vero qui sive, ex toto sive ex parte, in experimento isto sub finem primi anni academici non satisfecerint, vel iustis de causis illius differendi

[1] Attamen in admittendis Auditoribus, Praeses Instituti facultatem habet, pro sua prudentia gravique de causa, dispensandi, sive ex toto sive ex parte, a praemissis conditionibus.

facultatem habuerint, initio sequentis anni periculum integre vel ex parte renovare, vel dilatum subire, tenentur, ut inter alumnos secundi anni conscribi et speciale diploma Instituti consequi valeant.

17. Exacto secundo anno aliud experimentum de materiis obligatoriis, anno praeterlapso, traditis, fiet ab iis alumnis etiam qui speciale diploma Pontificii Instituti Orientalis consequi non optant.

18. Ut omnibus, ac praesertim ecclesiasticis Superioribus, de studiorum curriculo rite ab alumnis in Instituto peracto, de periclitata cum laude doctrina, authenticum praesto sit documentum, Instituti Praeses, rite suffragantibus doctoribus singulis cuiuslibet disciplinae tradendae, alumnis de comprobata experimento doctrina testimonium porriget.

19. Alumni vero qui, feliciter superato examine primi anni, peculiari laurea seu diplomate P. I. O. condecoran cupiunt, experimentum in fine secundi anni oretenus facient de materiis obligatoriis per biennium ab unoquoque doctore traditis, dissertationemque, vel uti aiunt, « thesim » in scripto evolvent de determinato magni momenti argumento ex quadam inter materias obligatorias ab ipsis alumnis selecto.

20. Antequam thema dissertationis seligat candidatus consilium sumet a Praeside necnon a respectivo magistro, ut ab ipsis summopere adiuvetur pro evolvendi gratia argumenti theseos selectae iuxta normas methocti scientificae.

21. Normae peculiares pro subeundis examinibus et statuta propria pro adeunda' bibliotheca publice innotescent.

22. Qui leges Instituti Orientalis transgressi fuerint aut quidpiam probo viro indignum graviter patraverint, a . frequentandis scholis et bibliotheca removeantur.

III.

PROSPECTUS GENERALIS LECTIONUM

QUAE IN PONTIFICIO INSTITUTO ORIENTALI TRADENTUR.

1. - Praelectiones de theologia orthodoxa ,
et de doctrinis peculiaribus ceterorum christianorum Orientis.

In prima parte praelectionum, post notiones de historia et de fontibus theologiae graeeo-ru ssicae, in singulis capitibus fidei christianae, praemissa semper doctrinae catholicae brevi definitione, expositio obiectiva tradetur doctrinae orthodoxae, argumenta desumendo tum ex «libris symbolieis », uti aiunt, tum ex operibus praecipuorum theologorum orthodoxorum. - In secunda parte sermo erit de Theologia Nëstoriana et de Doctrinis Monoph y sitarum, praehabita semper brevi disquisitione de historia et de fontibus istarum doctrinarum.

2. - Praelectiones de theologia historica.

Expositio accurata aeque ac historia tradetur Dogmatum totiusque doctrinae christianae, argumenta depromendo ex solis monumentis Traditionis Divinae, maxime ex scriptis Patrum, qui a temporibus Apostolicis ad saeculum ix usque, in Ecclesia praesertim orientali floruerunt, insistendo in capitibus doctrinae christianae in quibus tum Ecclesia Orthodoxa Graeco-Slavica tum aliae nationes orientales ab Ecclesia Romana discrepant.

3. - Praelectiones de Patrologia et Patristica.

De Patribus seu Doctoribus Ecclesiae Orientalis, qui prae ceteris doctrina, fama, operum praestantia ac sanctitatis splendore, maxima celebritate gaudent ac auctoritate, lectiones instituentur pro studio accuratiori de vita, de operibus et de doctrina eorumdem. Relate ad opera, sermo erit de numero, de authenticitate, de praecipuis editionibus necnon et de fontibus manuscriptis. De doctrinis vero illorum Patrum maxima cum sedulitate etiam disseretur.

4. - Praelectiones de Liturgiis orientalibus.

In schola ista, praemissis notionibus de originibus et fontibus liturgicis, sermo erit:!° de usibus liturgicis seu de ritibus Sacrificii Missae per varia

saecula introductis; 2° de ritibus sacramentalibus, de divinis officiis ac de divisione, anni liturgici in variis Ecclesiis Orientis ; 3° de librorum liturgicorum descriptione et structura ac de hymnographia seu de poesi liturgica.

5.. - Praelectiones de Iure canonico orientalium.

In iuris ecclesiastici orientalis schola, praehabita tractatione accurata de fontibus ac de collectionibus iuris canonici, tum Ecclesiarum ritus byzantini, tum aliarum nationum, notiones tradentur: I° de iure publico ecclesiastico prout ab Orientalibus et praesertim ab orthodoxis graeco-slaVicis consideratur; 2° de praescriptionibus iuris canonici privati, sive communis sive peculiaris singularum Ecclesiarum orientalium.

6. - Praelectiones de iuribus civilibus Orientis christiani inter se comparatis.

Hac in disciplina iuris nova quaedam species, quae adhuc in cunabulis est, ad compendiariam potiorum iurium civilium quae in historia-Orientis christiani reperiuntur, declarationem intendit. Singula autem iura tum inter se, tum relate ad Iuris Romani evolutionem comparanda erunt. Totius rei fundamentum erit Ius Christianorum Syrorum et Persarum nec non et Byzantinorum. Cuius respectu antecedentia historica (praecipue ius Hebraeorum) et consequentia (praecipue ius Mohammedanorum) expliCàbuntur.

7. - Praelectione° de historia generali, sed praesertim religiosa nationum christianarum Orientis.

Praelectiones historiae generalis Orientis in duas partes dividentur. In prima parte sermo erit de historia antiqua tum Imperii Byzantini tum aliarum nationum christianarum Orientis. In altera vero de historia recentiori populorum stirpis Slavicae et aliorum qui sacris ritibus utuntur Ecclesiae Orientalis sive in regione Balcanica, sive in aliis regionibus Orientis christiani. Specialis cura adhibebitur in expositione obiectiva conatuum Sedis Apostolicae pro reconciliatione utriusque Ecclesiae per varia saecula necnon et in expositione generali historiae diplomaticae Orientis a saeculo xvi ad xx usque.

8. - Praelectiones de historia litteraria scriptorum christianorum orientalium.

In Praelectionibus istis de auctoribus seu scriptoribus christianis orientalibus, notiones breves tradentur relate ad vitam et ad opera uniuscuiusque eorum. De authenticitate, de auctoritate seu de praestantia ac de editionibus vel codicibus manuscriptis praecipuis singulorum operum quae adhuc ser-

vantur, succincte disputabitur. Sermo principalis erit de scriptoribus byzantinis ac de praeclarioribus; viris qui sive in Russia sive apud alias nationes stirpis slavicae de rebus religiosis scripserunt. Lectiones seu collationes instituentur in quibus praestantiores christiani scriptores armeni, syro-chaldaei, arabes, copti et abyssini simile studio considerabuntur.

9. - Praelectiones de archaeologia sacra orientali, praesertim byzantina.

Habebitur sermo in lectionibus istis tum de ecclesiarum forma, de variis partibus et de ornatu, tum de ecclesiae suppellectili ac de artibus minoribus. Addentur notiones de architectura civili, de arte numismatica, de sigillographia byzantina, de palaeographia et de epigraphia byzantina.

10. - Collationes seu Conferentiae de geographia ethnographica nationum christianarum Orientis.

Collationes istae suo tempore instituentur in quibus, regiones ac loca describentur ubi sedem habent hodiernae nationes christianae, sive cum Ecclesia Romana unitae sive ab ea adhuc divisae, sed quae, in vita tum liturgica tum disciplinari, ritus sequuntur et consuetudines Ecclesiae Orientalis. Sermo erit insuper de stirpe, de idiomate, de usibus et moribus, de culturae gradu, de vita religiosa ac de praecipuis institutionibus, uti aiunt, tum civilibus, tum religiosis, populorum istorum. Notiones proponentur tandem et de forma gubernii ac de Constitutione politica quibus nationes illae reguntur.

11. - Scholae linguarum orientalium.

In scholis istis docebuntur:.

a) Lingua graeca; ***b)*** lingua russica cumclementis ***idiomaïis palaeoslaviçi;*** ***c)*** lingua syriaca litteralis; ***d)*** lingua arabica item litteralis; e) lingua coptica; /) lingua armena litteralis ; ***g)*** lingua aethiopica; ***h)*** lingua georgiana.

NOTA. - **In posterum autem eum per res et tempora licebit, ampliori docendi rationi consulendum erit.**

IV.

NUNTIA VARIA.

Divisio anni seholastici. - **In duas partes seu semestres annus scholasticus dividitur, Hoc anno, propter conditiones speciales, prior, ab initio lectionum, ad diem 15 martii ; altera, a die 16 martii ad diem 30 iunii, se extendit.**

Vacationes. - **Scholae Instituti vacabunt: 1) Omnibus diebus Dominicis et festis de praecepto; 2) omnibus feriis V nisi aliter notetur in Kalendario; 3) a Vigilia Nativitatis D. N. L G. usque ad i ianuarii; 4) feria II et III post Dominica Quinquagesimae et feria IV Cinerum mane; 5) a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis; 6) Vigilia Pentecostes, cum feriis II et III post eundem diem festum.**

Distributio horarum pro lectionibus. - **Duae lectiones tradentur mane et duae post meridiem. Ad vitanda iterandae saepius horarum mutationis incommoda pro lectionibus pomeridianis, et simul** Ut **aliqua temporum et locorum ratio habeatur, distributio horarum ita ordinabitur: prima lectio pomeridiana, inde ab initio lectionum usque ad 31 ianuarii, hora** *tertia* **incipiet. Inde a kalendis februarii usque ad festum Paschatis eidem primae huic lectioni initium dabitur** *hora, tertia cum dimidio.* **Denique post vacationes paschales prima lectio a meridie incipiet** *hora quarta.*

Scholae linguarum orientalium. - **I° In Pontificii Instituti Orientalis scholis ita studium idiomatum orientalium peragitur ut idonei practice efficiantur alumni, tum ad attingenda directe documenta originalia in his linguis exarata, tum ad opera evolvenda scriptorum orientalium qui de rebus religiosis scripserunt.**

2° Studio duarum linguarum orientalium, quae inter materias obligatorias examinibus necesse subiiciendas recensentur, sedulo vacabunt,singuli alumni.

3° Hoc anno fas_ erit alumnis, annuentibus Superioribus, sibi seligere duas ex linguis in programmate relatis,

4° Cum necessaria sit omnino in Alumnis Pontificii Instituti Orientalis graecae linguae classicae cognitio pro disciplinis ceteris pleno cum profectu addiscendis, monentur omnes qui huiusmodi cognitione forte careant ut sedulo inde ab initio huius primi anni istius nobilissimi idiomatis studio incumbant.

5° Animadvertant insuper Alumni omnes, studium linguae Russicae magni faciendum/propter innumera summi momenti opera litteraria isto sermone exarata, quorum intelligentia necessaria est in omnibus qui rebus religiosas totius Orientis mentem applicant.

6° Praecedentia commata, sub num. 4 et 5, Alumnos huius primi anni tantum respiciunt; quae vero subsequuntur pro his omnibus qui primo hoc anno nomen Instituto Orientali dederint constituta sunt, nempe:

***a)* praeter absoluta studia philosophica ac theologica, cognitio linguae graecae classicae ita ab omnibus requiretur, rit sine gravi difficultate, adhibita aliqua praeparatione immediata, textum graecum faciliorem intelligere et formarum grammaticalium rationem reddere valeant;**

6) schola linguae Russicae inter scholas ab omnibus Alumnis Instituti ^Orientalis frequentandas computabitur.

Ordo lectionum in singulos hebdomadae dies distributus.

1. *Feria secunda.*

Mane hora		**8,30**	**Theologia orthodoxa.**
»	**»**	**9,30**	**Liturgiae orientales.**
P. M.	**»**	**I.**	**Historia orientalis.**
»	**»**	**II.**	**Lingua orientalis - A.**

& Feria tertia.

Mane hora		**8,30**	**Vacat.**
»	**»**	**9,30**	»
P.M.	**»**	**1.**	**Historia litter. orientalis.**
»	**»**	**II.**	**Lingua orientalis - B.**

•3." *Feria quarta.*

Mane hora		**8,30**	**Theologia historica.**
»	**»**	**9,30**	**Lingua orientalis - A.**
P. M.	**»**	**I.**	**Patrologia et Patrística.**
»	**»**	**II.**	**- Lingua orientalis - B.**

4. *Feria sexta.*

Mane hora		**8,30**	**Theologia orthodoxa.**
»	**»**	**9,30**	**Archaeologia orientalis..**
P. M.	**»**	**I.**	**Historia orientalis.**
»	**»**	**II.**	**Lingua orientalis - A.**

•5. *Sabbato:*

Mane hora		**8,30**	**- Theologia historica.**
»	**»**	**9,30**	**- Iura civilia orientalia.**
P. M.	**»**	**I.**	**- Ius ecclesiasticum orientale (Fontes et Golíec.**
»	**»**	**II.**	**- Lingua orientalis - B.**